This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Stack RBS

62/101/334

2 Bch

Q. HORATII FLACCI

O P E R A

ILLVSTRAVIT

CHRIST. GVIL. MITSCHERLICH

PROFESSOR PVBL. ORDIN. IN ACADEMIA GOTTINGENSI

C405a

TOMVS PRIMVS

LIPSIAE, MDCCC

SVMTIBVS SIEGFRIED LEBRECHT CRVSII

ASHMOLEAN MUSEUM
5 JAN 1906
OXFORD

VIRIS

ILLVSTRISSIMIS GENEROSISSIMIS
EXCELLENTISSIMIS

CHRISTIANO LVDOVICO AVGVSTO
L. B. DE ARNSWALDT

ET

GEORGIO AVGVSTO
L. B. DE STEINBERG

MAGNIS GEORGII III. AMICIS

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

CVRATORIBVS ET MVSAGETIS

SAPIENTISSIMIS

Duros labores Martis et aſperae
Virtutis oeſtro praetrepidos duces,
Quos blanda naſcentes Enyo
Sustulit, indomitum Melanta,

Craïique robur, Nelſonaque horridum
Tridente rapto, et vim Suorovii
Deſaevientis fortiori
Ingeminet fidibus tumultu

Heroa teſtudo: hic levioribus
Imbelle mecum, Melpomene, ſonis
Molire carmen, quale quondam
Aeolio modulata Flacco es.

Echus anhelae vox recinat Viros
Late togatis laudibus inclutos,
Quos alta ſepoſtos eburnis
Gloria per populos et urbes

Vehit quadrigis tempora civica
Lauru coruſcos; quos prope Guelſias
Miratur, exundante frugum
Laetitia decorata cornu.

Vos copiam, Vos redditis aureae
Beata venae tempora; Veſtra ope,
Arnswalde Steinbergique, noſtris
Finibus exitioſa belli

Defensa nubes, quae populos gravi
Incestat umbra. Pierides iugis
Pindi relictis hic silentes
Propter aquas referunt omissos,

Vestro feroces praesidio, choros:
Quas inter alta fronte Georgia
Augusta procedit fluenti
Syrmate, quam sequitur priorum

Caterva vatum, laeta quibus novam
Adflavit auram, Maeonides gravis
Sceptri potitus, Pliadamque
Antevolans graviore nisu

Dux, hospitalem Castaliis Linam
Mutans fluentis, Pindarus, et, pium
Qui duxit Aenean per ignes
Per maria Ausonias ad oras,

Maro iuventa turgidus: hoc minor
Gaudens videri pone subit novo
Decusque virtutesque Vestras
Flaccus avens celebrare plectro.

O longa Muſis mitibus otia
Praeſtetis, almi! Sic precibus piis
Votisque tutelare Sidus
Vltima Vos veneretur aetas.



PRAEFATIO.

Quod homines, longinquum iter ingressi, facere solent, ut, ubi paullo longius profecti, et in peregrina loca delati aliud coeli momentum verti aliamque rerum scenam succedere animadvertunt, aliquantisper subsistant, et quidquid seu confragosae ac deviis commeantium erroribus abruptae, seu occursu silvarum coarctatae, nunc latioribus campis explicitae viae, quod a tergo relictum est, cum animo suo exputent ac plane remetiantur, seque hac ipsa difficultatum, quas eluctati fuerint, haud iniucunda retractatione ad ulteriora, si quae forte ante, quam optatam metam contingant, impedimenta emersura sint, exsuperanda accingant, suscitatoque ita spiritu ac Bonum Eventum rite prius apprecati audacter pergant; eodem fere egomet ipse, quidni enim ingenue fatear, profligata qualitercunque vasti atque

impediti operis, cuius perficiundi aliquot abhinc annis publice nomen professus sum, dimidia parte, eodem, inquam, me constitutum loco, eodemque affectu me intime pertentari sentio. Atque huic quidem tanto excusatius indulgere mihi licere arbitror, quo potiori iure a me postulari posse intelligo, ut absoluta operum Horatii, quae Lyricis continentur, parte collocatae meae in illustrandis iis operae modum ac rationes in istorum fronte diligenter exponam ac praefiniam. Cui quidem tanto prolixiori animo concedo, quo facilius me ita effecturum spero, quod sane prudentes atque idoneos aestimatores ipsa res monet, ut vel iis indignatiunculas suas excutiam, tardationemque meam approbem, qui ex suo ingenio, quo ipsi calide coepta calidius deproperare assolent, rem nimis lente trahi opinarentur, atque adeo in incili haerere subinde clamitarent. Quibus equidem clamoribus tantum abest, ut ab instituta via deturbari me passus sim, aut consilii mei rationes confundi, ut potius, quo longius procede-

rem

rem, tanto penſiculatius pedem movere, atque circumſpectius agere decreverim. Quamquam enim iam tum, quum edendi Horatii provinciam, a Iani ſatis prudenter adminiſtratam, eiusdemque praeſtantiſſimi viri morte, quae bonis omnino literis, maxime Noſtro et Velleio, quibus ſe totum dediderat, ſane quam gravis accidit, vacuefactam Summorum Virorum hortatu et auctoritate ulterius ornandam ſuſciperem, probe admodum mihi perſpicere videbar, quot et qualia ea eſſent, quibus ſatisfactum oporteret, ſi facilitatem meam, in capienda illa oſtenſam, a temeritatis culpa apud aequos et intelligentes rei arbitros redemtam cuperem, iſtaque cogitatio animum ſolicitius haberet; in ipſo tamen operis progreſſu, quum in medium rerum actum deferrer, ac difficultates partim agmine facto me circumſilirent, partim ex inſidiis necopinum opprimerent, ſolicitudinem iſtam mirifice augeri intendique magno cum moleſtiae ſenſu expertus ſum. Quas quidem difficultates minime affectatas aut remiſſioris ſtudii patrocinia a me

prae-

praetexi facile ſibi cordatiores perſuadebunt, ſi me non translaticie munere interpretis defuncturum olim, quum, quas partes mihi in curando hoc negotio agendas tuendasque deſtinaſſem, ſpecimine aliquo evulgato explicare anniterer, publice profeſſum meminerint. Quam profeſſionem, cum iuſtam operae, Horatio, doctiſſimo poetae, a me impendendae, deſcriptionem expromat, hic reponendam iudicavi, quo luculentius inde ſimul appareat, quanto ſtudio ei re ipſa fidem adſtruere allaboraverim.

Igitur quamquam is, qui poetae alicuius verba ac ſenſum commode atque perſpicue explicat, boni omnino interpretis partes ſuſtinuiſſe videri debet; in Horatio tamen maiorem campum, in quo ſeſe exerceat, apertum ſibi exiſtimare debet, quumque Horatius is ſit, per quem Romanae poeſeos maieſtas ſteterit, qui linguam ſuam, Ennii, Lucretii aliorumque conatibus tantum exaſciatam, feliciſſimi ingenii lima perpoliverit, eamque ad Graecae poeſeos genium inflectendo informandoque

novis

novis et exquisitis sermonis poetici augmentis locupletaverit, adeo, ut tota Romanorum poesis novam inde eamque laetam ac satis liberalem induerit faciem, quam quidem, tanquam exemplar consummatissimum seriores, qui aliquid sibi videri vellent, poetae sibi proponerent contemplandam, exprimendamque unice allaborarent; maius ei opus movendum, qui omnes Horatianae poeseos virtutes cognoscere, cognitasque atque curate perspectas aliis ita tradere cupiat, ut Horatii lectio inde perspicua existat atque iucunda.

Atque omnium quidem primam ei virtutem, qui Horatium recte interpretari velit, hanc inesse oportere arbitror, ut ingenium afferat graecorum latinorumque poetarum lectione tritum atque expolitum, quod ipsum, phantasmatum sublimium capax, poetam in altos nubium tractus tendentem nisu haud impari sequi audeat, utque adeo ipsi sit *mens divinior atque os magna sonaturum.* Non igitur, ubi magnarum rerum obiectis a poeta ideis incendi atque exaestuare debet, cum misello

ſello Baxtero lectorem frigore feriet; aut ubi inter Deos res agi, Deorum conſortio poetam frui, eos videre, alloqui ſentiet, fidem eius rei eodem auctore Apellae Iudaeo, qui hoc credat, transmittet: ſed eodem contactus afflatusque ſpiritu eundem commotioris animi ſenſum et in aliis excitare conabitur. Et quum tria potiſſimum interpres Horatianus in quovis carmine ſpectare debeat, inventionem, tractationem, elocutionem; primam impoſitam ſibi cenſebit curam in exponendo carminis argumento, diſpicietque, num primae eius ab ipſo ductae ſint lineae, an praecipua inventi laus graeco alicui poetae deferenda ſit, et, ſi graecum exemplar ante oculos habuerit, num id, quod imitandum ſibi propoſuerat, aſſecutus ſit, vel ornatiore orationis habitu, aut ſubtiliori tractationis artificio ſuperarit, an omnino inferior diſceſſerit, diiudicabit. Mox rei pertractatae rationem expoſitionisque virtutes accurate exponet, et in expediendo ſententiarum nexu docebit, quae pedeſtris, et quae poetica eius ſit ratio. Tum ad ipſam carminis

inter-

interpretationem delatus, ſermonis poetici naturam atque indolem, doctrinam, ornatum, pulchritudinem cum cauſſis declarabit, eumque ad vulgarem loquendi normam revocando orationis amplificatae atque exornatae ſemina atque origines indagabit. Quo in genere ut rectum de poetae virtute ferri poſſit iudicium, ſedulo inquiret, quid ipſius fecundum extuderit ingenium, quidve ab aliis acceperit, acceptumque quibus ornamentis nobilitaverit. Adponenda adeo, ſi ſuperſint, graecorum poetarum, quorum flores *apis Matinae more modoque* legiſſe, et ad quos totum ſeſe compoſuiſſe conſtat, ea loca, quorum vel ſenſum expreſſerit, vel unde prima comtioris dictionis ſtamina deduxerit, omninoque iuncturam, flexionem, collocationem verborum graecam diligenter notabit. Neque vero in his ſubſiſtet, ſed et eos, quoscunque Latium ipſi ſubpeditarit loculos, excutiet, et quid inde in ſuos uſus depromſerit, depromtumque qua arte excoluerit, ſuumque prorſus fecerit, inveſtigabit, ac diſpiciet. Neque leve interpretatio-

tationis ſubſidium ex eorum, quos ſua aetas vidit, quosque ſerior protulit, poetarum carminibus petet, enotandisque, quae colorem ſuum ex Horatio duxiſſe videntur, locis ipſi haud parum lucis adfundet; quo ipſo dubitandum non eſt, quin liberalioris ingenii iuvenibus multum delectationis allaturus ſit. Neque tamen laborem ſuum extendi ac paene dicam effundi in hoc patietur, ut ſententiarum vulgarium locorumque communium ſtruem inde coacervet, iisque poetam obruat: ſed in his circumſpecte verſabitur, eaque tantum adferet, quae, eodem orationis colore delineata, utique ex Horatio ducta videri poſſunt.

Praeterea, quum Horatii lectione iuvenilis inprimis aetas teneri ſoleat, interpres non tantum in difficilioribus poetae locis, aut ubi forte doctam aliquam et exquiſitiorem obſervationem, quam in penu habet, depromendi, aut ſeveram in alios ſtricturam exercendi occaſionem ſibi datam putet, ambitioſe morabitur, ſed adoleſcentum utilitati, quam ſemper in oculis ferre debet, multo magis conſulet, ſi

con-

continua adnotatione poetae lectionem adiuvet, partium inter se iunctarum artem atque consensum, phantasmatum vim, elocutionis virtutes plano ordine retextas perspicuis verbis illustret; unde erectioris indolis iuvenes ingenium ad humanitatis sensum fingere, ac poeticarum notionum, quas et ad alios poetas intelligendos cum fructu transferant, copiam sibi parare, omninoque veram interpretandi artem addiscere queant.

Inter haec omnia subtilitatem adhibebit criticam, deque sententiarum veritate, quaeve sub veri tantum specie adblandiantur, fucatoque colore mentem teneant, quid recte vel secus, quid ambigue poeta eloquutus sit, ubi in medio volatu defectus viribus lassatisque alis magnis ausis exciderit, diligenter monebit; circumspecte tamen de his pronuntiabit, cavebitque sedulo, ne sensu hoc, ut ita dicam, critico, minuatur atque obrigescat sensus poeticus. —

Atque haec fere sunt, quae in Horatio interpretando maxime spectari oportere iudicavi,

quaeque hac nova editione assequi studui. Quo igitur Horatii carmina cum sensu aliquo ad lyricum spiritum attemperato legi possent, unaque ista opera felicioris indolis adolescentibus ingenium fingendi, pulchritudinisque sensu imbuendi copia fieret, in eo potissimum mihi elaborandum intellexi, ut virtutem poetae lyricam, h. universum cuiusque carminis habitum et incessum expedirem, dispositionis artem enodarem, celerem ac liberiorem ingenii motum ac praecipitem adeo impetum, quo argumentum suum subinde devolvit poeta, persequerer, eundemque enthusiasmum in generosioris venae ingeniis excitarem et inflammarem, phantasmatum vim ac rationem, ne incerta fluitarent, animumque obscura tantum aut omnino vana specie, umbrarum tactum refugientium instar, deluderent, sollerter explanarem; tum singularum partium adornationem et tractationem excuterem, earumque iustam cum inter se tum cum primario carminis argumento convenientiam ostenderem; denique sermonis lyrici vim et indolem ita de-

declararem, ut ornatus eius, verborum delectu, dignitate et copia, exquisitiore eorundem structura et collocatione, docta sententiarum inversione, amplificatione caet. quaesiti semina et caussae patescerent. Quae quidem omnia ut rite assequerer, nihil prius atque antiquius habui, quam ut Horatium cum in argumentis tum in singulis carminum partibus mihi plane graecum fingerem ac repraesentarem, fontesque, si quos bona fortuna nobis fecisset reliquos, circumspicerem, seduloque investigarem; defectum autem istorum communi Graecorum loquendi usu ad partes vocato supplerem. Etenim satis exploratum est, Romanos, maxime poetas, ad graeca ingenia sese prorsus composuisse, graecaque exempla aut plane expressisse aut imitando adumbrasse; tum Horatium, qui novum lyrici carminis genus e Graecia Latio inferret, ad graecos Lyricos exprimendos se applicuisse, etiamsi nulla istorum, quae rei fidem adstruerent, fragmenta supersessent, neque ipse aperte, unde profecisset, fateretur, ipsa tamen plurium carmi-

num, qua argumenti indolem enuntiationisque vim plane graecam, ratio istud abunde comprobat. Quo in genere admodum probabile est poetam ita versatum esse, ut, quum assidua poetarum graecorum, maxime lyricorum, lectione bene penitus sese in eorum familiaritatem dedidisset, graecorumque versuum tentaminibus ingenium ad eos plane conformasset, primum, quo sermo latinus, horridus adhuc ac praefractae asperitatis emolliretur rotundiorque existeret, iis ad verbum vertendis insudaret, tum liberiore imitatione spiritum Graiae Camenae excipere, inventaque eius sua facere conaretur, donec tandem assidua hac contentionis asperitate vires perfectas constitutasque nactus operi suo ita sufficeret, ut, quum ad argumentum, ut ita dicam, Romanum deferretur, non tam a Graecis lumen suum accendisse, aut ab iis tantum defluxisse, quam omnes ex sese virtutes expromsisse videretur. Hocce autem modo poetae progressum esse studium, profectusque eius adolevisse, dubitare vix licet, si ipsorum car-

carminum diversum habitum ac formam curatius introspicias. Sunt enim in iis, quae presse ac paene ad verbum ex graecis exemplis, etiamsi nullum eorum vestigium superesset, ducta esse praeter argumenti rationem affectatior loquendi ratio enataque inde obscuritas abunde arguit; tum etiam, quae, quum primum suis ipse pennis niti vellet, iuvenilem redundantiam, immodicum translationum usum, earundemque diversissimarum copulationem, orationem calamistratam, verbo, nondum plane subactum poetae iudicium manifestant; plurima denique in summo perfectionis fastigio collocata, ad quod poetam non nisi per gradus eniti potuisse apparet. Atque inde maxime divini eius ingenii vim censendam esse iudico, quod non uni aut alteri poesis lyricae generi adhaeserit, in eoque solo maturitatem quandam assidua exercitatione duxerit, sed fere omnia delibando parem h. maximam ex iis laudem abstulerit. Ita, quem nunc Anacreontea ἀφελεία ad lusus et iocos descendere, aut remissiore Sapphus lascivia

dulciores affectus fidibus committere, aut Simonidea aequalitate ac ſermonis proprii iucunditate quadam, lenis ac puri fontis ritu, decurrere animadvertas, eundem nunc ſancta ac gravi oratione Deorum atque heroum laudes perſequi, ſententiis denſum et grandem, ſibi ſemper inſtantem, concitatoque ſpiritu, torrentis inſtar, effundi ac debacchari videas, adeo quidem, ut Alcaei bellicum, Steſichoream gravitatem, Pindarique μεγαληγορίαν ac dithyrambicam audaciam congenitam ei exiſtimes. Neque minor eius virtus in illo genere exſplendeſcit, in quo numeros animosque Archilochi ſequutus liberrimae indignationis ſenſum prodidit, vipereoque veneno infecta tela ipſis hominum, a quibus vel irritatus eſſet, vel quos ultro adverſarios ſibi depoſceret, iugulis intendit.

Expoſita, quantum fieri potuit, poetae doctrina alterum hoc mihi datum cenſui negotium, ut artificium eius in tractando illuminandoque argumento ſuo oſtenſum, contextumque cuiusque carminis, Arachnaea ſubinde

ſub-

ſubtilitate oculos paene fallentem, reſolverem atque explanarem. Quo quidem me hoc ſimul conſequutum eſſe arbitror, ut iis tandem aliquando fides derogetur, qui, quas virtutes lyricas ſpiritus poetici inopia ſequi intellectu haud potuerint, eas in vitiis reponerent, ac vel plane nexum in quibusdam carminibus deſiderarent, vel amoeniorem et in multos flexus recedentem ingenii inceſſum graviter reprehenderent. Sermonem denique poeticum ut iuſto modo ac perſpicue declararem, id vero vix aliter me adſequuturum eſſe intellexi, quam ut eum, deterſo omni colore poetico, in pedeſtrem formam diffingerem, et ubique claras notiones ſubſtituerem. Atque in hoc nimiam curam quam defectum, quippe adoleſcentibus, opem deſiderantibus, moleſtiorem, malui reprehendi.

Ex his omnibus ſatis intelligi opinor, me in tractando hoc opere rationes ita inſtituiſſe, ut non tam aliorum, qui eandem viam triviſſent, veſtigia ſequerer, adminiculaque, ad quae adniterer, circumſpicerem, quam ut ipſe

mihi viam ſternerem, meoque potiſſimum Marte ſtarem. Quo minus enim me in commentariorum, ſeu, ut antiquiores interpretes haud inepte indigitant, commentorum vaſtitates immitterem, cum infinita eorum copia, tum maxime ipſa commentandi ratio abſterruit. In antiquioribus enim quum, aetatis quidem iſtius vitio, ſola fere doctrina ſcholaſtica, omni venuſtatis poeticae ſenſu eiurato, regnet, recentiores autem plerique interpretes in vulgaribus diſerti lectorem, ubi opem deſideret, fere deſtituant, captandisque inſuper acuminibus, dilogiis, et quae id genus ſunt, verum ſenſum poeticum perdant, ac ſpecioſis commentis varie illudant; facile praevidebam, generoſiorem mentis impetum lectionis moleſtia atque taedio ſufflaminatum, animique iudicium plane obtuſum iri. Rite igitur praeparatis omnibus acceſſi ad hanc provinciam, tanquam a nemine dum occupatam, eamque ad praeſcriptam a me ſuperius formulam ita quidem regundam ornandamque ſtatui, ut ad meum prorſus ſenſum quodvis carmen excute-

rem

rem, artemque eius in inveniendis tractandisque rerum argumentis proditam, ac sententiarum elocutionisque virtutes explorarem. Atque tum demum, ne omnia ante me ad illustrandum Horatium allata fastoso supercilio aspernatus viderer, in consilium adhibui aliquot melioris notae interpretes, ac primo quidem loco vetustissimos, Acronem et Porphyrionem *), in quorum scholiis inter plures in-

*) De Acrone, Porphyrione deperditisque C. Aemilii, Iulii Modesti, et Q. Terentii Scauri scholiis vid. Fabric. Praef. ad ed. suam a. 1555. et, qui sua inde hausit, Iani Proleg. p. XLII. tum Ian. Parrhas. de rebus per epistolam quaesitis p. 14 seq. Reines. Defens. Var. Lect. p. 107. et Pet. Nannii Miscell. I. et II. 16. Praeter istos extat farrago Scholiorum, a Cruquio e Codd. Blandd. excerpta, et ab eodem Commentatoris nomine insignita, non unius aetatis ac pretii. Sunt enim in iis nonnulla bonae admodum frugis, e deperditis antiquiorum Grammaticorum scholiis haud dubie depromta, plurima ex Acrone et Porphyrione, et ipsis truncatis, constipata, alia denique recentissimae aetatis. Sic, ut utriusque generis exemplum apponam Serm. II. 5. 92. Davi *obstipum caput* illustratur *Scauri* scholio: *inclinatum in alterum humerum*, uti quoque Cicero Arati λοξὸν interpretatur in fragm. Arateis init. *Obstipum caput et tereti cervice reflexum.* Tum Serm. II. 4. 81. *Hic*

 scobis

ineptias et quisquilias, aliunde fonte ingestas, multas bonas observationes reperiri noveram, tum praeter Lambinum, doctum et accuratum virum, Cruquium et Torrentium, itidem doctos, sed sensus poetici ac multo magis spiritus lyrici plane expertes, et interdum, maxime Cruquium, absonis opinationibus et argutiis valde molestos; e recentioribus autem hinc inde ad partes citavi Dacerium et Sanadonum venustatis poeticae intelligentes, sed subinde nimis argutos; tum Iani, elegantissimi iudicii virum ac de Horatio meritissimum; denique, qui partem tantum carminum pro instituti scholastici, cui destinata erant, ratione illustrandam suscepere, duumviros praestantissimos, Koeppenium, summa mihi, dum viveret, familiaritate coniunctum, cuius recordatione adhuc fruor iucundissima, poeticarum Venerum acerrimum indagatorem, eundem-

scobis et haec scobes dicitur rasura serrarum, graece τρίσμα: *Theotisca lingua* urpora; quod haud dubie Nostrum *Bohr* est, quod adeo latiorem olim significatum habuit.

demque haud vulgaris doctrinae laude conspicuum, et Boettigerum: cuius operam si Horatio tam feliciter cessisse dicam, ut, eidem plane satisfactum dici posset, si omnia carmina ab eo perpolita teneremus; haud temere me pronuntiare, aut amicitiae cuidam quidquam me dedisse fatebuntur omnes, qui profundos multiplicis doctrinae recessus amoenissimique eius ingenii vim noverint. Atque hic cum cura a me praedicanda venit insignis Heynii, Viri de me meisque studiis egregie meriti, humanitas, qua quidem mihi, tam grave ac difficile opus molienti, dexter stetit, consiliisque suis, poetae fructuosissimis, nunquam defuit; cuius quidem beneficii memoriam ita colam, ut gratissimo illud homini praestitum bonus quisque intelligat.

In textu poetae repraesentando vulgatam fere sequutus sum recensionem, ad Codicum fidem satis probabiliter constitutam; neque facile discessionem ab ea faciendam iudicavi, nisi ubi Codicum auctoritatem temere posthabitam,

bitam, et coniecturis correctionibusque virorum doctorum non admodum gravibus de caussis indultum animadvertissem. Sicubi tamen lectionem aliquam, omnibus pravitatis indiciis oppressam, exturbandam iuberent artis criticae regulae, et ab aliquo docto viro satis probabile medicinae experimentum factum deprehenderem, hanc, reclamantibus licet omnibus libris, poetae admovere non dubitavi. Multo magis mihi licere putavi in interpunctione facienda, quae quidem exactius instituta dici vix potest, quantum subinde ad expediendam sententiam adiumenti adferat. Sed de his curatius agendi locus erit in singulari Voluminе, quod crisin in omnia Horatii opera complectetur, quam quidem ut plane ab interpretatione seiungerem, pluribus de caussis inductus sum. Praeter istud autem, ut verbo saltem externam operis, quod reliquum est, formam indicem, sequentur duo alia Volumina, quorum prius Sermones et Epistolas, posterius Artem cum Indice uberrimo continebit.

Co-

Codicum et Edd. elenchum, Iani, maxime induſtria concinnatum huic praefationi ſubiungere placuit, ſatisque habui, hinc inde, maxime in antiquis editionibus, a quibus inſtructior eram, nonnulla refingere; ſupplere atque emendare: quod ipſum mihi interdum ſatis moleſtiae attulit; quamquam vel ſic Horatiani textus hiſtoriam minime ad liquidum perductam eſſe ipſe probe intelligam. Tum vitam poetae, a Maſſono ampla doctrina inſtructam, ab eodem autem Iani ſcite in compendium redactam ſubieci; quae vel ſola argumentorum affatim ſuppeditat, quam infirma omnino Bentleii temporum ſit ratio, qua Horatium primum, idque annis aetatis ſuae XXVI — XXXIII., Sermonibus, poſtea biennio Epodis, deinde ſeptem annis tribus prioribus Carminum libris, tum Epiſtolarum libro I., inde Carminum Libro IV. et Saeculari, denique Arti et Epiſtolarum Libro II. uni vacaſſe demonſtrare conatus eſt. Denique cum fructu, antequam ad ipſam Horatii poeſin animus convertatur, legi poterit libellus R. van

Om-

Ommeren, Gymnasii, quod Amstelodami floret, Rectoris nuper meritissimi, lingua Belgica scriptus, in quo poetae nostri virtutes ita expendit, ut aliorum conaminibus, eidem impensis, facile carere possimus. Dignus sane is liber est, qui veste latina ornatus in plurium notitiam perveniat.

Ante autem, quam praefationi huic finem imponam, non possum, quin publice Cel. C. C. Wendlero, doctissimo atque Reizianae plane accurationis Viro, animum meum gratissimum profitear, quod in plagulis a sphalmatis typographicis defendendis operam suam mihi commodare voluerit, eaque sane quam molesta perfecerit, ut, si paucissima imbecillitatis utique humanae argumenta excipias, tersa omnia ac nitida appareant. Scr. Gottingae M. Novembri MDCCXCIX.

ELEN-

ELENCHVS
CODICVM MSS.
AD QVOS HORATIVS ADHVC EXACTVS EST.

De Codd. Horatii in genere monendum, omnes, quos hodie habemus, e recensione *Vettii Agorii Basilii Mavortii*, qui quidem Consul fuit sine collega anno post Christum DCCXXVII. et *Felicis*, oratoris Vrbis, fluxisse. Ita enim in antiquioribus Codicibus, Leidensi, Reginensi aliisque, uti Bentleius in praef. testatur, post Epodos litteris maiusculis scriptum fertur:

VETTIVS AGORIVS BASILIVS MAVORTIVS V. C. ET INL. EXCOM. DOM. EXCONS. ORD. LEGI ET VT POTVI EMENDAVI. CONFERENTE MIHI MAGISTRO FELICE ORATORE VRBIS ROMAE.

h. *Vir clarissimus et inlustris*, *Excomite Domestico*, *Exconsule Ordinario*, eodem Bentl. interprete, Cf. Relandi Fasti Consul. p. 696. Ac librorum quidem MSS., qui supersunt, etsi paene infinitus in bibliothecis numerus reperiatur, paucos tamen, qui Saec. X. attingant, paucissimos vero, qui illud probabiliter antevertant, inveniri, satis constat. Vti autem exiguam admodum istorum partem critico acumine excussam, et emaculando poetae admotam esse res ipsa fidem facit, ita bona fortuna accidit, ut iis, qui ad emendandum textum studia sua conferrent, optimae fere quosque notae libros MSS. inspiciundi copia facta sit, ut adeo de reliquis pervestigandis seduloque excutiendis non tantopere laborandum videatur. Atque

haec quidem fortuna Triumviris potiſſimum Horatii Cenſoribus, rite, ſi qui alii, creatis, Lambino, Cruquio ac Bentleio contigit, Codd. Vaticanorum, Blandinianorum, Graeviani, Reginenſis ac Leidenſis ope inſignem ac novam prorſus ei lucem praeferentibus.

Quo autem rectius intelligatur, quousque conatus Virorum doctorum, qui talibus praeſidiis inſtructi criſin in Horatio exercuerunt, proceſſerint, quaeque amplius de eo bene merendi ſuperſit materies; brevem Codicum, ad quos Horatius adhuc recenſus eſt, elenchum ſubiicere viſum eſt; nam pleniorem et accuratiorem, quam quidem res poſtulare videbatur, quandoquidem e critica eorum notatione lectionum pendet auctoritas, notitiam dare non licuit, quum ipſi, qui eos tractaverint, de iis ſubtilius diſpiciendi ſuperſederint, ſatisque habuerint, eos certis nominibus aut ſignis diſtinguere.

CODD. ALDI ET MVRETI.

Muretus quidem paſſim *veteres libros* crepat, nullum tamen diſerte nominat aut deſcribit; quo minus tamen exiſtimes, antiquiores edd. ab eo deſignari, vetat lectionum, inde allatarum, diſcrepantia; v. c. I. 23. 5. Praeter hos laudat

Codicem Bernardini Lauredani, et

Codicem Achillis Statii perbonum ac perveterem, ut ipſe ait.

Vid Praefat. ad ed. a. 1555. et ad I. 1. extr. et paſſim.

Neque Aldus uspiam diſerte tradit, quibus Codd. uſus fuerit. Satis habet, Codd. *manu* ſcriptos ab *impreſſis* diſtinguere. Laudat quidem ad III. 12. Codicem Viennenſem antiquum *Stanislai* cuiusdam *Zaur*, ex quo illud carmen conſtituit; ſed hanc ſolam notitiam de eo acceperat ab amico; ipſe adeo nunquam manibus tractavit, aut lectiones inde enotatas habuit.

CODD.

CODD. DIONYSII LAMBINI.

Lambinus cum Francisco Turnonio Cardinali Romam profectus, ibique eam, quam diu expetisset, veterum librorum copiam nactus, multos Horatii Codd. MSS. inspexit. Ii sunt:

Codices Vaticani quinque, quos antiquissimos vocat, nec tamen pluribus describit.

Codex Donati Iannoctii Florentini, ad quem testamento Rodolphi Cardinalis pervenerat.

Codex Gabrielis Faërni.

Codex Ludovici Vrsini, Farnesiorum consobrini, ab Hannibale Caro ipsi donatus; in quo desiderabantur Sermones.

Liber Rainutii Farnesii Card. typis quidem excusus, sed cum antiquissimis atque optimis codd. comparatus atque ex iis plurimis locis emendatus.

Codex Ioannis Tornesii, typographi Lugdunensis, Lambino ex Italia reverso, commentariisque iam absolutis, nec opinanti oblatus; quem ille vetustissimum censet.

Tum ad ultimam editionem adornandam Lutetiae sex aliis codd. etiam usus est. Ii sunt

Codex Clerici, quem nactus est ab haeredibus N. Clerici.

Codices Russardini duo, accepti a Lud. Russardo, iuris doctore Avarici Biturigum.

Codices Nicotiani tres, dati ei a Io. Nicotio, legatione apud Lusitaniae regem functo.

Codex Colombinus, donatus ei a Io. Colombino Monstroliensi.

CODICES IACOBI CRVQVII.

Codices Blandinii seu *Blandiniani quatuor*, ex bibliotheca Blandinia, h. PP. Benedictinorum S. Petri

in monte Blandinio Gandavi, quo Roma perlati erant. Sed illa bibliotheca, una cum Dunensi, a Belgis tumultuantibus, templaque et coenobia vastantibus (unde εἰκονοκλάσας Cruquius vocat ad Serm. I. 1.), anno MDLXVIII plane perdita et exusta est. Hos codd. cum omnes venerandae vetustatis esse et ad Saeculum IX referendos indicat vir intelligentissimus (Append. ad lectorem), eosque omnibus suis reliquis praefert; tum unum eorum, quem cum virtute *Blandinium antiquissimum* dicere solet, et sic ultra Saec. IX etiam reiicit, omnium maximi aestimat; quem eumdem Vir κριτικώτατος Cuningamius (praefat. Horat. et animadv. c. 16. p. 297.) omnium qui exstant, codicum Horatianorum emendatissimum optimumque pronuntiat. Mentionem eius facit etiam Muret. praefat. ad edit. 1555. Descriptionem ampliorem Blandiniorum codd. in Cruquio frustra quaeras, nisi quod ad Serm. II. 7. 64. *barbarissimos* eorum *characteres* vocat: ex quo tamen non multum sumi possit.

Codex Divaei, cui etiam magnum pretium statuit vir doctissimus.

Codex Silvius, qui Gualteri Silvii erat. Cruqu. ad Serm. I. 3. 5.

Codex Buslidianus, e bibliotheca Gymnasii Buslidiani trilinguis Lovanii, quem a vetustate commendat ad Epist. I. 1. 57. Apparet autem, mutilum fuisse.

Codex alius *Buslidianus* laudatur e. g. ad Epod. II. 69. cuius autem, cum fere modo unius Buslidiani mentio sit, exiguum tantum fragmentum fuisse suspicor.

Codex Carrionis, itidem mutilus.

Codex Martinius s. *Martinii*.

Codex Tonsanus ex bibliotheca Tonsana, qui solos Sermones continuisse videtur.

Codex Maldeghemius, qui solas odas videtur habuisse, quemque Cruquio commodasse puto Iacobum a Claerhout D. de Maldeghem, cuius mentio ad Serm. I. 2. 106.

quam-

quamquam ibidem etiam memoratur Iudocus Maldeghem D. de Leiſchot.

CODICES GE. FABRICII.

Ge. Fabricius vetuſtis et optimae notae quibusdam codicibus mſſ. et in Italia, et in Germania conquiſitis, uſus eſt, e quibus inprimis ab eo commemorantur

Codex Anhaltinus, miſſus ad eum a Georgio principe Anhaltino et Aſcanienſi: quem a vetuſtate et bonitate lectionum maxime commendat, eumque ſibi Lydii lapidis loco fuiſſe ait, cuius beneficio emendarit ac reſtituerit loca plurima, et Acronem multo habitiorem et nitidiorem in palaeſtram literariam produxerit. vid. Praef. ad edit. 1565.

Codex Saxonicus, communicatus cum eo a Laurentio Scradaeo.

Codex Thuringicus, miſſus ei ab Wolfgango Werthero, Equite Thuringo, ſed non integer.

GE. BERSMANNVS

ſex codd. MSS. uſus eſt, quos acceperat a Poſthio, Iacobo Monavio et Io. Cotteritio.

CODICES THEOD. PVLMANNI.

1. *Codex Auguſtini Hunnaei*, quem hic illi dono dederat, cuique ipſe ſummum ab antiquitate et emendatione pretium ſtatuit. Deſignare eum ſolet littera H.

2. *Codex Collegii Gemblacenſis*. G.

3. Alter *Codex Gemblacenſis*. E.

4. *Codex Belleri*, a quo illi donatus. B.

5. Fragmentum *Codicis Antonii Dieſthemii*; quod continebat libros III et IV carminum, ſed mutilos; item carmen ſaeculare. A.

6. *Codex Plautini*, Sermones tantum exhibens. P.

7. *Codex Cornelii Gualtheri*, fragmentum, continens librum II Epiſtt. et libri I Sermonum eclogas tres cum dimidia. C.

8. *Codex* vetus, Artem poëticam complectens. T.

9. *Codex alter Plautini*, Ars poëtica. P.

10. *Codex Victoris Giselini*, Ars poëtica, Epistolarum liber II, et Sermonum liber II. V.

11. Fragmentum *Caroli Clusii*, pars Epistolarum. K.

CODICES L. TORRENTII.

Torrentius insignes multos codd. quos inprimis Romae collegisset, ad recensendum Horatium adhibuit, in quibus maximum pretium statuit *Codici Laurentiano*; vid. ad Carm. IV. 1. Sed neque hunc, neque ceteros accuratius descriptos usquam in eius editione reperias: haud dubie, quod ipse eam non curavit.

CODICES TALBOTI.

1. *Cod. Galei*, cui inserta sunt *Horatii Opera*, cum scholiis ad marginem scriptis.

2. *Cod. Galei* vetustus, continens *H. Epistolas*, cum scholiis et glossa interlineari.

3. *Cod. MS. Cardin. Bembi*, continens *H. opera*, in Bibl. Coll. Regal. servatus. Vid. Codd. Bentl. n. 12.

4. *Cod. MS. Coll. Petrensis*, cui insertae sunt *H. Odae, Satirae et Epistolae*, cum scholiis et glossa interlineari.

5. *Cod. MS. Coll. Trinit. Cantabr.* qui habet *H. Epistolas*.

6. *Cod. Bodl. I.* continens *Odas H.* nitide scriptas.

7. *Cod. Bodl. II. H. Odas* habens, olim liber *Ge. a Turre*, Profess. Med. Patav.

8. *Cod. Bodl. III.* papyrac. contin. *H. Odas* et l. *de Arte poetica* a. 1463. per *Iohannem de Munti* finitus.

9. *Cod. Bodl. IV.* tenens *H. de A. P.*

10. *Cod. Colleg. Magd. Oxon.* continens *H. Opera*.

11. *Cod. eiusd. Colleg.* contin. *H. Satiras, Epp. et Artem poeticam*.

12.

12. *Cod. Colleg. Regiual. Oxon.* continens *H. O.*

13. Habuit insuper varietatem lectionis, editioni Muretinae a. 1559. e cod. Michaelis Bonae Ragus. adscriptam, tum

14. Varias lectiones, quas Pithoeus ex MSS. ed. Basil. 1580. adleverat.

CODICES R. BENTLEII.

1. *Codex Graevianus*, vetustissimus, annorum DCC, cui tamen Epistolarum et Sermonum pars magna deerat. Erat is a Graevio ad Bentleium missus; post cuius obitum cum reliqua illius supellectile libraria in bibliothecam Electoris Palatini concessit. Eiusdem Graeviani codicis collationem, cum ed. Ascensiana a. 1529. a Iano Broukhusio institutam asservat Bibl. Bodlej. Vid. Catal. Bibl. Bodlej. impress. libr.

2. *Leidensis Codex*, eiusdem aetatis, in bibliotheca academiae Lugduno-Batavae.

3. *Codex Zulichemianus*, annorum DC. Huius et Leidensis varietatem a N. Heinsio enotatam interpositis propriis coniecturis a P. Burmanno nactus est.

4. *Codex Vossianus*, quem non inferiorem prioribus illis censet.

5. *Codex Markianus*, qui epistolas modo habet. Huius et Vossiani lectiones in Batavia ab Abrahamo Frankio descriptae erant.

Ex Britannicis, quos ipse omnes inspexit,

6. *Codex collegii Reginensis* Oxonii, qui caeteris palmam aufert, annorum DCC, et ab omni parte integer.

7. *Codex* e bibliotheca *Regiae Societatis* Londini.

8. *Codex Petrensis* domus Cantabrigiae, D annorum.

9. *Codex collegii Magdalenensis* Oxonii.

10. *Codex Rogeri Galei.*

11. *Codex* episcopi *Eliensis*, sub initium typographiae scriptus.

12. *Codex collegii Regii* Cantabrigiae, ab eadem manu. Perperam *Bembinus* dicitur Talboto. Vid. eius Codd. n. 3.

13. *Codex Battelianus*, e museo *Io. Battely*. Desunt in eo Epistolae, et Sermones aliquot libri II.

14. *Codex Regius*, Sermones et Epistolas Artemque complexus.

15—17. *Codices tres ex collegio Trinitatis*, Sermones, Epp. et Artem P. continentes.

18. 19. *Codices duo Bodleiani*, in quibus Carmina et Epodon liber.

20. *Codex Vigornienſis*, Ars poëtica.

21. *Codex Digbeanus* Oxonii, Ars poëtica.

22. *Codex Moreti*, a N. Heinſio collatus, etiam artem poët. continens.

23. *E Codice Colbertino* et

24. *Franequerano* etiam excerptas lectiones habuit, ſed pauculas, et levi cura.

25. *Codex Magdalenenſis* alter, Sermones, Epiſtolae et Ars, ab eodem librario, a quo ſupra n. 14.

26. Acronis exemplar ſcriptum, quod olim erat Bilibaldi Pirkheimeri, in bibl. Reg. Societ. aſſervatum.

Duos libros manu exaratos adhibuit DAN. HEINSIVS; vid. Not. ad I. 7. 13. ed. 1629. p. 24. Codicibus etiam MSS. quibusdam ſe uſos dicunt ALEX. CVNINGAMIVS et IO. IONES; ſed eos non ulterius deſcribunt. Item HENR. STEPHANVS paucos quosdam codd. et excerpta habuit. Vid. eius diatr. II.

CODICES GESNERI.

Codex Gottingenſis, in bibliotheca academica, chartaceus, eleganter ſcriptus, recentior quidem, ſed optimas plerumque lectiones habens. Scholiis inſtructus eſt marginalibus et gloſſa interlineari. Fuit quondam ex libris *Congregat. S. Mauri* Rom. quod alterum eius folium teſta-

testatur. Sermones subiectos habet Epistolis, quae librum claudunt.

Codicum Hannoveranorum duorum, ex bibliotheca regia, fragmenta membranacea, 8 min. Vnum charactere Longobardico, sed tenui et eleganti, nec tamen sine vocum compendiis, scriptum, continet Serm. I. 1 — 2. 121. tum I. 4. 4 — II. 4. 50. porro II. 6. 14 usque ad finem libri. Alterum, litteris minutissimis Longobardicis, habet Epist. I. 3. 27 — I. 18. 13.

Collatio Saxiana h. e. variantium lectionum sylloge, a Christo. Saxio descriptarum partim de exemplo Cuningamianae editionis, cui eas adleverat Cortius ex uno cod. Lipsiensi, et uno Vinariensi, partim de alio Maettarianae editionis, cui docta manus IV Codicum lectiones adscripserat. Ex ea sylloge, sibi missa, pro consilio suo quaedam enotavit Gesnerus, quae syllaba *Sax.* designantur.

Codex Io. Brodaei, cuius collationem adscriptam exemplo Torrentianae editionis habuit Gesnerus. Ex iis, quae in fine codicis sunt, apparet, eum esse e saeculo XIV. Lectiones quasdam exhibet memorabiles; multas optimas, ut Carm. II. 10. 10.

CODICES IANI.

Codices Dessauienses duo, ex Italia eo perlati, quorum *primus*, membranaceus, in folio minori, laceratus et mutilus. Manipuli, quorum singuli integri habent IV plagulas complicatas, numeris romanis, ab alia manu additis, certe reparatis, signantur, et progrediuntur ad XXII. Paginae nec numerum nec custodem habent. Textus totus est ab eadem manu, pallescente Longobardico charactere, praeter initiales versuum quadratas, eleganter et ad lineas instrumento ferreo impressas, scriptus. Litterae initiales maiores desunt, nec nisi rarius suppletae sunt a manu secunda. Semper *ſ* longum in fine; *i* fere sine apice; vocum compendia semper eadem; correctio-

nes a manu prima, quae ſcribam doctum prodant. Scholia, tam interlinearia, quam marginalia, quam plurima, lectu difficillima, ſed et praeter ea, quae in Scholiaſtis iam legimus, parvi pretii. Habet codex multas lacunas: 1) a libri I carm. 13. 19 — II. 9. 16. 2) a l. III. 2. 29 — 4. 15. tum a 5. 27 — 7. 12. item a 9. 4 — 16. 2. denique a 19. 1 — IV. 14. 52. 3) a l. V. 1. 1 — 2. 50. tum a 5. 71 — 17. 27. 4) Epiſtolarum libri I deeſt ultimus verſus; in libro II autem 1 — 2. 65. 5) a Sermonum lib. II. 5. 45 — 90. tum a 6. 26 — fin. item a 7. 46 — 91 et ab 8. 65 — fin. Titulus ab alia manu, haud dubis eadem, quae manipulos numeris inſtruxit, exhibet poſt indicem operum Horatii hanc notam: *Sanctae Dei genetricis Mariae Sanctique Cipriani epiſcopi et martyris in Nigenburga. Reparatus* (h. vel emtus, vel renovatus) *anno domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo.* Si omnia haec et inpr. etiam ſcripturam recenſionemque coditis expendamus, probabile ſit, illum e Saeculo XIV eſſe, ſed ex vetuſto admodum et bono exemplari deſcriptum.

Codex ſecundus, membranaceus, in forma octava, rudi filo et glutine (recentius fortaſſe) compactus, Longobardicis litteris minutiſſimis, ſaepe negligenti et fugitiva manu, et pallido atramento, ſcriptus. Manipulos habet IX, quorum ultimus V, ceteri VIII folia continent, ſine numeris et cuſtode. In odis ſingulae paginae in binas ſectiones diviſae. Initiales maiores rubrae, virides, atrae. Verſuum initiales paullum eminent, ſed eiusdem et manus et characteris cum textu, niſi quod nonnullae ſunt quadratae minores. Semper *ſ* in fine longum et *i* ſine puncto. Vocum compendia ſemper diverſa, verſuum ordinandorum frequens neglectus, correctiones vel negligentes, vel perverſae, commutationes litterarum, ut *d* et *t*, *b* et *v*, ſcribam declarant rudem et imperitum. Quantum e ſcriptura ceterisque argumentis aſſequi poſſis, videatur hic codex paullo recentior priori.

Codex

Codex Mentelianus, e Saeculo XI, qui olim in bibliotheca Io. Iac. Mentelii fuit, cuius lectiones Marquardus Gudius exemplo editionis Mureti, Venet. 1582. 8. adleverat, unde adscriptae sunt exemplo editionis Desprezianae, quod in illustri bibliotheca academiae Lipsiensis servatur. Adscripta est eidem huic exemplari Desprezianno (sic tamen, ut diligenter distinguatur a lectionibus Codicis illius) varietas editionis nitidae Parisiensis, ex officina Vascosani. Ex his emendanda sunt, quae in Fabricii biblioth. lat. (ed. nov.) T. I, p. 409. traduntur; ubi et dicitur ille codex Mentelianus Lambini olim fuisse, quod falsum est. I. 28. 6; 31. 18; 37. 28. II. 3. 11.

Codices Lipsienses quatuor, qui in bibliotheca senatoria Lipsiae asservantur; quorum *primus* (pulpit. I. n. 6.), membranaceus, fol. complectens CX folia, nec numeris nec signis distincta, quorum octona videntur manipulum efficere. Singula folia interdum a bibliopego permutata sunt. Scripsit totum cod. una manus, sed illa sibi non constans, nunc maiores nunc minores pingens litteras, quae non quidem plane rudes, at neque elegantes dicendae. Sunt eae, etiam initiales versuum, minusculae, magis latinae quam gothicae. Initiales carminum, more in MSS. consulto, plerumque desunt, et leviter tantum sunt designatae. Compendia vocum crebra. Atramentum temporis diuturnitate fuscum factum. In primi et ultimi folii columna priori sic deletae litterae, ut legi vix possint; quare primos XI versus ode I serior penna denuo induxit. Ex omnibus his, aliisque, probabile, codicem Saec. XIII aut XIV in Italia scriptum esse. Duabus quasi partibus constat, in quarum prima, quae Odas, Epodos et Carmen saec. continet, singulae paginae in binas sectiones divisae sunt, lineaeque ductae tam transversae XXVIII, quam ab utraque parte ad perpendiculum, quibus initiales litterae et longitudines linearum definirentur. Nec libri, nec singula carmina numerata. Paucae inscriptiones, rubrae illae et a seriori manu. Vt

ante

ante artem poëticam: *Incipit liber poëticae.* Ars poëtica statim sequitur Epodos. Scholia in prima parte paucissima, in altera plura, etiam a prima manu; a qua et codicis inscriptio est: *Opa Oracy: item poëtria.*

Codex secundus (pulpit. I. n. 38.), membranaceus, in 4. folia habens CXV; nam primum folium deperditum est, ut nunc codex incipiat a v. 38 odes II. Folia non signata; quaedam et a bibliopego permutata. Octonis constant manipuli, praeter XIII et XV, qui habent sena. Eos manipulos serior manus in infima prima pagina signavit, I°. II° cet. Ab una manu totus codex est, sed negligentior saepe scriba proditur, verbis aut integris versibus omissis, post ab alio suppletis. Nec litterae sibi constant, neque atramentum. Vocum compendia plurima. Diphthongi plures, quam in ceteris tribus, geminatae litterae pauciores. Quae omnia, coniuncta inprimis cum scripturae specie, suadent codicem ad saeculum XII referre, et habere pro antiquissimo Lipsiensium quatuor. Lineae in singula pagina ductae XXXIV. Initiales versuum alterne rubrae et atrae; illae carminum et librorum pictae, sed arte rudi. Nulla librorum divisio, nulli numeri. Pro inscriptionibus carminum solius metri designationes sunt, minio scriptae, sed lectu difficiles, saepe etiam falsae. Scholia passim adsunt, sed pauca, nec multi momenti. Ars poëtica est inter Odas et Epodos, Epistolae ante Sermones. Folia quaedam ab initio et in fine situ et vermibus admodum corrupta sunt.

Codex tertius (pulpit. I. n. 39.), membranaceus, in 4. Fuit olim Nicolai Heinsii, (Vid. eius Catal. P. II. p. 89.) e cuius bibliotheca redemit Fr. Bened. Carpzovius (quod hic ipse notavit), unde in biblioth. senat. pervenit. Habet codex LXXXII folia, superne numeris 1, 2, 3, cet. signata (quamquam XVIII ultima elegiam continent scriptoris recentioris, cui in fine additum: *Explicit Yronia Gaufridi*); quorum octonis constant manipuli: quos non solum in ima pagina litteris *a*, *b*, *c* cet. signavit primi librarii

librarii manus, sed etiam folia singuli manipuli appositis numeris, a^1, a^2, a^3 cet. In fine manipuli cuiusque custos est. Membrana adhuc satis nova, atramentum nigrum, licet pallescens. Quae omnia, praeter ductus characterum, codicem admodum recentem arguunt. Est ille litteris gothicis eleganter et cum cura scriptus. Vocabulorum compendia in eo plurima. Initiales carminum admodum minuto charactere designantur. Continet liber IV libros Odarum, librum Epodorum et carmen saeculare, sine librorum divisione et titulis: nisi quod inter singulas odas una linea vacua relicta est, in qua serior manus quibusdam odis inscriptionem posuit; quae et omissa a librario supplevit, vitiaque emendavit. Lectiones interdum memorabiles habet, ut Carm. II. 4. 20. Scholia paucissima sunt.

Codex quartus (pulp. I. n. 40.), chartaceus, in 4. Fuit olim, ut docet emblema a fronte insertum, Io. Christo. Wagenseilii, et constat foliis LXXXVIII, quorum IV prima vacua sunt, VI ultima nil praeter pauca de metris odarum, eaque nullius momenti, paginis sex exhibent. Foliis numeros dedit prima manus, usque ad 55. Manipuli quatuor priora, cum septimo, habent folia X; quintus XII, sextus XVI, octavus IV. In cuiusque fine custos est. Characteres admodum similes hodiernis Italorum. Compendia vocum valde multa ac impedita. Omnia produnt codicem admodum recentem. Atramentum satis nigrum adhuc, licet iam inclinans ad rubicundum colorem. Nec libris nec odis numeri dati; plerumque tamen unius lineae spatium inter has relictum. Continet codex odas, epodos et carmen saeculare; et est valde vitiose exaratus: habet tamen lectiones interdum vix alibi obvias; e. g. Carm. I. 14. 13. Scholia passim pauca adsunt.

Codices Altorfini duo, in bibliotheca academica, quorum descriptionem et lectiones Cl. Nagelius inde ab a. 1766 octo plagulis singulis edidit, quorum

primus

primus, membranaceus, in 4. non adeo antiquus, M. D. Omeiſii, cuius olim fuit, iudicio, in fronte libri adſcripto. Eſt in minutiore litterarum charactere, ſed negligenter et vitioſe admodum a ſcriba valde indocto exaratus. Attamen e bono et nunc ignoto antiquo codice exſcriptus videtur; habet enim lectiones multas egregias et elegantes, quae vel raro vel nusquam alias reperiantur, nec profecto ex ingenio ſtupidi fraterculi venerint. Continet codex omnia Horatii, ſed cum magna lacuna, a Serm. I. 5. 57 — II. 1. 49. Ars poëtica ſequitur ſtatim carmen ſaeculare. Initiales carminum multo auri levigati nitore ſplendent. Lectionum eius ſpecimen dedit *Ch. Theoph. de Murr* in Memorabil. Biblioth. Norimberg. P. III. p. 77 ſqq.

Codex ſecundus, chartaceus, in volumine, quod et Ciceronis de officiis libros, item Claudiani de raptu Proſerpinae carmen, carmen de littera Y (quod alias Virgilio tribui ſolet), Virgilii moretum, et partem batrachomyomachiae Homeri, CLIV latinis hexametris expreſſam, continet. Satis eleganter ſcriptus eſt Horatii codex, multisque interpunctionibus diſtinctus. Magna in illo etiam librarii ignorantia proditur, in Graecis praeſertim. Veluti arti poëticae ſubſcripſit: Τελος φήνης. Το θεο χαρις. Ars poëtica inter Sermones et Epiſtolas collocata eſt. Quamvis recentior hic quoque codex haud dubie ſit, forte e Saeculo XIV exeunte, tamen idem ob lectiones non ſolum bonas plerumque, ſed et proprias ipſi quasdam, easque elegantes et memorabiles, e bono et vetuſto libro deſcriptus et emendatus videtur. Nam emendatorem ceterum indoctum hominem fuiſſe apparet. Vid. v. c. ad I. 15. 35: 21. 13. II. 12. 8. et 21. Cf. *de Murr* lib. laud. p. 108 ſq.

Codex Franequeranus, in bibliotheca academica aſſervatus, veneraudae antiquitatis, cuius et Bentleium lectiones habuiſſe vidimus, ſed pauciſſimas et negligenter excerptas. Tum quoque Lamb. Bos in animadverſſ. ad Ho-

Horatium (quae eius animadversionibus ad scriptores quosdam Graecos, Franequ. 1715. 8. subiectae sunt) nonnullas illius lect. commemorat. Pleniorem eius lectionum recensum accepit Iani ab Herbellio, qui a. 1770, cum Franequerae versaretur, codicem istum cum Cruquiani Horatii editione anni 1593 docte diligenterque contulit. Est codex membranaceus, forma, quae *in folio* vocatur, oblonga; habetque scholiorum ineditorum insignem copiam. Vid. et Gutberleth. de Saliis, p. 9.

Codex Helmstadiensis, formae maximae, chartaceus et levigatus, litteris minusculis satis elegantibus scriptus. Vocum compendia pauca; semper fere *ſ* longum et *u* pro *v*; scripturae errores crebri, inprimis in verbis, quae a Graecis sunt. Initiales librorum variis coloribus pictae et deauratae; in singulorum carminum initiis alternant rubrae et caeruleae. Incipit Ars poëtica, sequuntur Sermones, Epistolae, denique carmina. Librarius se appellat *Mariam Ieronimum*. Saeculo XIV exeunte scriptum esse codicem, omnia suspicari iubent. Sed diligentissime tamen ad antiquiorum librorum, nobis nunc ignotorum, fidem emendatus esse videtur. Habet certe lectt. quasdam singulares, et memorabiles, ut I. 12. 35: 26. 10 et 11: 37. 28. Scholia etiam non pauca adscripta. Fuisse et hic et ceteri libri mss. bibliothecae Helmstadiensis traduntur olim in Hungariae regis Corvini thesauro. Lectionis varietatem cum eo communicavit Henkius, V. S. R.

CODEX BARTHII.

Commemorat Vir doctissimus, Adverſ. XXXV. 2. codicem, ut ait, venerandae vetustatis, DCCCC annorum, atque ex eo profert quaedam; sed neque amplius illum describit, nec urbem quidem, ubi eum viderit, nominat. Facilis nimium erat Barth. in constituenda codicum aetate. vid. Ill. Heyn. elench. codd. Virg. Tom. I. p. XXXII.

CODD.

CODD. CAR. COMBII.

Delectum habuit Combius Codd. Harleianorum, in Museo Britannico adservatorum, ex iisque sequentes melioris notae libros adhibuit, ita ab eo designatos

A.	N. 2725.	saec.	X.
B.	— 3534.	—	XII.
C.	— 2724.	—	XIII.
D.	— 3754.	—	XV.
E.	— 2609.	—	XV.
F.	— 4862.	—	XV.
G.	— 2621.	—	XIII.

Editionem insuper principem, in Bibliotheca Regia asservatam, perlegit, et lectiones varias inde enotavit.

CODD. IOS. NIC. DE AZARA.

Interioris notae Codd. aliquot, ad quos textum typis Bodonianis exprimendum exigeret, ad manum habuit Eques illustrissimus, e bibliotheca amplissima eademque lectissima Chisiana depromtos; *quinque* nimirum *Odarum*, *tres Epistolarum*, *Artis poeticae* et *Sermonum*, quorum duo ex eodem thesauro accessere: tertium Zeladiana Bibliotheca suffecit. Lectiones, quas in iis deprehendit, scitas doctasque idem vocat in doctissima, eleganterque scripta Praefat. p. X. ut adeo maximopere dolendum sit, lectionum exquisitiorum silvulam in calce libri non adiectam fuisse.

CODD. OBERLINI.

Quatuor Codd. MSS. Argentoratensibus usus est Oberlinus, vir humanitatis pariter atque exquisitioris doctrinae laude florentissimus, e quibus in usum critices extantiora in calce splendidissimae suae editionis adiicienda curavit. Ita vero accuratissime eos describit:

Cod. A. Formae quartae saeculo X. tribuendus videtur, quod frequentior diphthongorum, separatis literis scripta-

ſcriptarum uſus et rariora vocum compendia docent, ut alia argumenta taceam. Continebat Odas, Epiſtolas atque Satiras, ex quibus varia ſuperſunt. Statim vero deeſt folium primum, adeoque incipit codex ab Odes II. L. I. v. 2. hinc pergit ad v. 1. odes XXIX. ubi lacuna occurrit ad verſum usque 16. odes XXXI. inde procedit ad v. 31. Od. II. L. III. Tum adſunt folia duo, quae fragmenta exhibent Epiſt. II. L. II. ſcilicet a v. 112 ad 152. item a v. 193 ad finem. Cui ſubiectae leguntur Satirae ordine conſueto, ubi tamen exciſum folium unum abstulit partem Satirae II. et III. L. II. a v. 132 Sat. II. ad v. 75. Sat. III. Deſinit codex v. 94. Sat. V. Liber de Arte poetica ex eo plane exulat. Satis accurate caeterum ſcriptus eſt, et a vitiis immunis. In vocibus compoſitis et accuſativo plurali in *is* exeunte frequens antiquam formam ſervat, quod idem et de ſequente codice valet. (Extat in Bibl. Academica.)

Cod. B. Formam cum primo eandem obtinet, eiusdem cum eo ſaeculi putandus eſt. Scriptura eſt nitida et ſollicite curata; argumenta rubro colore ſunt tincta. Innotuit olim *Caſp. Barthio*, qui mentionem eius facit in Adverſariis L. XXXVI. c. 14. Leguntur hic *odae*, et quidem ab initio ad verſ. 29. odes XXXV. L. I. Tum pergunt v. 19. odes XIII. L. II. unde continua ſerie procedunt ad finem libri IV. poſt quem videtur in codice, ex quo hic noſter deſcriptus eſt, ſecutus Liber de Arte poetica. Ita enim rubrum habet: *Q. H. F. de Arte poetica explicit, incipit Epodon*, et gloſſa adiecta in margine iſta addit: *finitis quatuor libris carminum et poetria Horatius a' Mecoenate rogatus, ut, ſi aliquod genus metri apud Graecos inveniret, id Latinis oſtenderet* etc. Neque vero in noſtro codice inſerta fuit Ars poetica; ſequitur enim illud rubrum ſtatim *Liber Epodon* in eodem quaternione ab initio ad Odes X. v. 8. ubi deficit, tum rurſus pergit ad Odes XIV. v. 12. ad finem Epodon, cui ſubiicitur carmen ſaeculare. Scholiis abundat hic codex,

aeque ac prior; de quibus alibi forsan aperietur dicendi locus. (Bibl. Acad.)

Codex C. Folio oblongo. Spectat ad saec. XI. aut initium XII. Rarissimas habet diphthongos seiunctim pictas; hinc inde vocalis tertia duplicata gemino accentu insignitur. Caeterum in medio diversa literarum forma diversorum librariorum manum arguit. Complectitur *Artem poeticam*, *Satiras* et *Epistolas*, et omnia quidem haec opera integra. Scholia habet rariora. Mendis hinc inde scatet. (*Io. Iac. Gambsii.*)

Codex D. Formae quartae. Saec. XI. vel XII. hunc quoque adsignandum puto. Minorem librarii curam frequentiora vitia, scripturae inaequalitas et passim ruditas produnt. Habet librum de *Arte poetica*, *Epistolas* et *Satiras*. Scholia pauciora margini visuntur adlita. Est, ubi credas, ad dictata recitantis verba excepisse scribam; sic L. I. Sat. X. v. 50. habet *addixi* pro *at dixi*. Sed idem in Cod. C. nonnumquam observare licet; sic L. II. Sat. VI. v. 54. *ad omnes Dii* pro *at omnes Dii*. (*Franc. Phil. Louis.*)

Hactenus de Codicibus, quorum auctoritate Horatii lectio stabilita est. Iam, quo melius perspiciatur, quam exiguum omnino illud sit, si numeri ratio habeatur, quod in poetam nostrum e Codd. redundarit adiumenti atque commodi, et qui fructus amplius inde sperandi sint; librorum MSS., maximam partem nondum excussorum, copiam, per cultiorem Europae partem sparsam, sub unum conspectum hic adducere et tanquam in tabula repraesentare visum est: quamquam ex notitiis, quas bibliographi de iis suppeditant, parum accuratis ac subtilibus, quem usum criticum praestituri sint, omnino parum tuto statui posse ipse sentiam. Alphabeticum autem in terris, quae istos thesauros reconditos servant, percensendis tenebimus ordinem. Primum igitur

In

In *Anglia* et quidem *Londini* asservatur in biblioth. Regia:

Horatii Ars poetica, Sermones et Epistolae. Vid. Dav. *Casley* Catal. of the MSS. of the Kings Library p. 240. Est Bentl. n. 14.

In Eccles. *Westmonasteriensi.*

n. 1116. *Horatii* Opera.
n. 1117. *H. Epistolae* quaedam et *Ars poetica.*
n. 1118. *H. Odae*, cum vet. commentatoria notis. Ib. p. 27.

In bibl. *Isaaci Vossii*

n. 2492. *Horatius*, cum expositione interlineari, et Scholiis antiquis.
n. 2622. *Horatius*, cum expos. interlin. et notis marginalibus.

Ibidem exempl. Horatii Plantinianum extat, *Casauboni* manu notatum, n. 2790.

In Museo *Britannico* Codd. *Harleiani*

n. 2581. *Q. H. Fl. de Arte poetica, Saturarum Libri* II. *Epistolarum libri* II.
n. 2609. *Q. H. Fl. Carminum libri* IV. *et Vita.* Desunt in fine duo folia. Saec. XIII. Iuxta Comb. saec. XV.
n. 2621. *De Arte Poetica liber, Epistolarum libri* II. et post alia interiecta *Saturae octo priores.* saec. XIII.
n. 2632. *Carminum* sive *Odarum* libri IV. cum *vita Horatii. Epodon liber* et *carmen saeculare.* saec. XV.
n. 2642. *Carminum seu Odarum Libri* IV. saec. XV.

n. 2688. *Epodωv* IX *postremae:* cum expositione — *carmen saeculare: Epistolarum primi libri et pars secundi.*

n. 2699. *De Arte poetica liber: Sermonum sive Satyrarum libri* II.

n. 2710. *Carminum Libri* IV.: *Epodωv libellus: carmen seculare.* Cod. scriptus per Angelum Ariminensem, Romae 1443.

n. 2724. *Opera omnia* cum Scholiis hoc ordine: *Carminum libri* IV. *de Arte poetica: Epodωv liber: Carmen seculare: Epistolarum libri* II. *Sermonum libri* II. *Vita.* Saec. XIII.

n. 2725. *Opera,* eodem ordine. Deest Sermonum lib. II. Saec. X.

n. 2734. *Opera.* Saec. XV.

n. 3510. *Opera.* Saec. XV.

n. 3534. *Opera.* Saec. XII.

n. 3754. *Opera.* Saec. XV.

n. 3892. *De Arte Poetica,* liber: *Epistolae* IV libri I. Saec. XV.

n. 3997. *Opera.* Saec. XV.

n. 4079. *Opera* et *Vita.* Saec. XV.

n. 4862. *Odae, sermones, Epistolae* et *Ars poetica.* Scribebat Ferrariae Ioh. Carpensis. A. D. 1461.

n. 5303. *Opera.* Saec. XV.

n. 5413. *Opera.* Saec. XVI. Denique

n. 2752. *Scholiastes* in Horatium. Saec. XIII.

In bibl. *Bodleiana.*

n. 1657. *Horatius de Arte poetica* (Catal. Librorum MSS. Angliae et Hiberniae (Oxon. 1697.) p. 79. T. I.)

In bibl. *Norfolciana*

n. 2961. *Horatius,* cum commentario Acronis Grammatici.

n. 3126.

n. 3126. H. ode VII. L. IV. subiecta Ciceronis de Off. libris, unde coniecturam ducas, Schoefferum editionem suam inde descripsisse.

n. 3130. *H. Opera*, cum notis interlin. et margg.

In bibl. *Franc. Bernardi*

n. 3605. *Horatii Epistolae*.

In bibl. *Thomae Galei*

n. 6032. *Horatii Epistolae*, liber valde antiquus, cum glossis interl. et commentariis.

n. 6120. *Horatius* integer, cum commentariis.

In bibl. *Eduardi Bernardi*

n. 7443. *Horatius*.

n. 7444. *Idem*.

n. 7453. *Idem* cum glossis.
Ibidem tria Horatii exempla extant, cum vett. libris collata.

In aedibus *Iacobaeis*

n. 8621. *H. de Arte poetica*, et eiusdem *Sermones* cum Scholiis.

In bibl. *Io. Mori*

n. 9193. *Horatius* integer, eleganti charactere exaratus. Cod. membran. in 12.

Oxonienses

Oxonii in Collegio Reginensi:

n. 938. Cod. membran. 4. *Horatii Opp.* cum Scholl. hoc ordine exhibens: Carminum Libri IV. Ars poetica: Liber Epodon: Carmen saeculare: Sermones, Epistolae. (T. I. P. II. p. 30.)

In Collegio *Magdalenensi*

n. 2156. *Horatius* cum Scholiis aliquot. (Ibid. p. 72.)
n. 2185. *H.* de *Arte poetica*, eiusdem *liber Satirarum et Epp.* cum Scholiis. (Ibid. p. 73.)

Cantabrigiae in Colleg. *S. Trinitatis*

n. 446. *Horatii Epistolae* (Ibid. T. I. P. III. p. 99.)

In domo *S. Petri*

n. 1929. *Horatius;* liber ex parte imperfectus. (Ibid. p. 155.)

Vigorniae in Ecclesia Cathedrali

n. 822. *Horatii Carminum* et *Epodwv* libri. Carminum libri II. priores deperditi sunt. (Ibid. T. II. p. 20.)
n. 902. *H. de Arte poetica*, cum notis. Ib. p. 21.

In *Batavis* oris et quidem *Lugduni*

In bibl. *Academica*

n. 27. *Horatii* varia opera, quae finiunt in Satira: Vt Nasidieni iuvit te coena beati, cum variis glossis inter versus aut ad margines adscriptis. Cod. membr. vetustissimus. *Catal, Bibl. Lugd. Bat.* p. 326.

Ibidem inter *Vossianos*

n. 21. *Horatii Carmina*, cum Scholiis densis et antiquis, ubi etiam Sermones dividuntur in Eclogas. Codex egregius in membr. 4. Colligata est *Ars* eiusdem *poetica*. Adhaeret *Ovidii* Ibis in charta. *Catal.* p. 378.
n. 6. *Horatii* Flacci Venusini moralissimi *Epistolarum* liber. Item *Odarum* libri et de *Arte poetica;* Vita Horatii et Ars metrica Odarum eius. Item ars metrica Boetii Severini Torquati. In ipso Horatio

ratio sunt Scholia interlinearia et marginalia. Cod. membran. rec. 8. *Catal.* p. 386.

In eadem bibl. extant exempla Dionys. Vossii et Casauboni manu notata. Vid. Catal. p. 266.

In *Belgio:* in bibliotheca *Marchianensi*

Oratii carmina, cum explanatione.

V. *Sander* Bibl. Belg. MSS. (Insulis 1641.) p. 60.

In *Dania* et quidem *Hafniae* in bibliotheca Regia:

Carminum libri in membrana nitide exarati, 4.

Carminum Lib. II. cum Scholiis, cod. chartac.

Ars poetica et Epistolarum Libri II. cum commentario Zach. Lundii autographo.

Vid. Ioh. Erichsen *Vdsigt over den gamle Manuscript-Samling i det Kongel. Bibliothec.* (*Kobenh.* 1786.) p. 68.

In *Galliis* et quidem in *Parisiensi* bibliotheca publica:

n. 6098. *Horatii Epistolarum* Libri II. cum Scholiis margg. et glossis interlin. Codex chartac. saec. XV. olim de Noailles.

n. 6102. *H. de Arte poetica: carminum libri* IV. *Epodon liber*, et *carmen saeculare.* Cod. chartac. saec. XV.

n. 7369. *H. Ars poetica*, cod. membran. a. 1471. exaratus, olim Mazarinaeus.

n. 7892. *H. de Arte poetica*, cod. membran. saec. XV. exaratus. Olim Puteanus.

n. 7900. a. *H. carminum libri* ΘΡΙΝΘΥΕ, cum Acronis commentario: Epp. liber I. Cod. membran. saec. X. olim Puteanus.

n. 7971. *H. opp. omnia*, cum glossis inter lineas et ad marginem; in calce annotatt. de variis metrorum Hor. generibus cum eiusdem Vita. Cod. membr. saec. X.

n. 7972. *H. Opp.* cum gloſſis et Scholiis, cod. membr. ſaec. X. olim Mentellianus.

n. 7973. *H. Carmina, ars poet. epodon liber, carm. ſeculare, Satirarum l.* I. *et ſecundi duae priores.* Cod. ſaec. X. membr. primum Petri Danielis Aurel. poſtea Colbertinus.

n. 7974. *Opp. cum Scholiis.* Ad calcem ſubiic. de metris H. et eius vita. Cod. membr. ſaec. XI. olim Puteanus.

n. 7975. *Opp. cum Scholiis.* Cod. membr. ſaec. XI.

n. 7976. *Opp. cum Scholiis.* Cod. membr. ſaec. XII.

n. 7977. *Opp. cum Scholiis.* Cod. membr. ſaec. XII. olim Magiſtri Nicolai de Clamengiis, poſtea Colbertinus.

n. 7978. *Ars poetica* et *Epiſtolae* V. poſtremae L. I. Hae ſaec. XIV. illa ſaec. XII. exarata. Cod. membran.

n. 7979. *Carmina, ars poet., et Satirae cum gloſſis.* Cod. membr. ſaec. XII. exaratus. Olim Colbert.

n. 7980. *Ars poetica, Satirae et Epp. cum Scholiis.* Cod. membr. ſaec. XIV.

n. 7981. *Ars poetica, Epp. et Satirae cum Scholl.* Cod. membr. ſaec. XIV. primum Thuani, poſtea Colbert.

n. 7982. *Ars poetica et Epp. cum Scholiis.* Cod. membr. ſaec. XIV. olim Tellerianus.

n. 7983. *Opp.* deeſt ep. 2. L. II. Cod. chartac. ſaec. XV. olim Mazarin.

n. 7984. *Opp. cum gloſſis.* Cod. membr. ſaec. XV. primum Thuani, poſtea Colbert.

n. 7985. *Acronis commentarii in Horatii carmina, librum Epodon, et carmen ſaec.* — *Anonymi* Expoſitio in eiusdem A. P. et Satiras. Cod. ſaec. XV. chartac. olim Mentellianus.

n. 7986.

n. 7986. *Acronis commentarii.* Cod. chartac. ſaec. XV. olim Mentell.

n. 7987. *Pomponii Porphyrionis comment. in H.* Cod. membr. ſaec. XV.

n. 7988. *Pomp. Porphyrionis comm. in H.* — *Acronis comm. in eiusdem Carmina, epodon librum* et *c. ſaeculare.* Cod. membr. ſaec. XV.

n. 8072. *Carminum libri III. priores, cum gloſſis et Scholiis.* Cod. membran. ſaec. X. olim Thuani, poſt Colbert.

n. 8074. *Ars poet., et Epp. cum gloſſis et Scholl.* Cod. membr. ſaec. XIV. primum Thuani, poſtea Colbert.

n. 8212. *Opp.* Cod. membran. ſaec. XII. olim Mazarinaeus.

n. 8213. *Opp.* Cod. membr. ſaec. XII. olim. Mazar.

n. 8214. *Opp. cum gloſſis et Scholl.* in fine ſubiectas habet annotatt. de Horatii numeris et eiusdem Vitam. Cod. membr. ſaec. XII. olim Colbert.

n. 8215. *Opp.* (deeſt L. I. init.) Cod. ſaec. XIII. membr. olim Bigotianus.

n. 8216. *Opp.* Cod. ſaec. XIII. in membrana. Olim Colbertinus.

n. 8217. *Opp.* (deſiderantur L. II. Serm. et A. P.) *cum Scholl. et gloſſis.* Cod. membr. ſaec. XIII. olim Colbert.

n. 8218. *Ars poet., Epp. et Satirae.* Cod. membr. ſaec. XIII. olim de Noailles.

n. 8219. *Opp.* (L. II. Sat. et Epp. deſiderantur) Cod. ſaec. XIV. membran. Olim Lud. de Targny.

n. 8220. *Epp. Libri* II. ad Calc. ſubiic. *Anonymi* Annotatt. in Odas H. manu recentiore. Cod. ſaec. XIV. membran.

n. 8221. *Epp.* L. I. (finis deſideratur.) Cod. membr. ſaec. XIV. Mazar.

n. 8222. *Ars poet. et Epp.* Cod. membr. ſaec. XIV.

n. 8223. *Opp. cum glossis et Scholl.* Cod. membr. saec. XV. Colbert.

n. 8224. *Carmina et Epp.* Cod. chartac. a. 1463. exaratus.

n. 8225. *Carmina cum Scholl.* Cod. chartac. saec. XV. olim Mazar.

n. 8226. *Carmina et Ars poetica.* Cod. chart. saec. XV.

n. 8227. *Carmina:* Cod. chartac. saec. XV. Mazarin.

n. 8228. *Epp. et Carmina:* Cod. membr. saec. XV.

n. 8229. *Ars poetica cum glossis.* Cod. saec. XV. chartac. olim Baluzianus.

Argentorati

Q. H. Fl. Epistolarum libri cum glossa. Cod. chartac. fol. in bibl. S. O. Hierosolymit. Vid. *Witter* Catal. Codd. MSS. biblioth. istius Ordinis p. 13.

In *Germania*, et quidem

Dresdae, Horatii Opera. Codex chartac. saec. XV. fol. Notatae in margine eius Var. Lectt., Emendationes et Observationes manu *Ge. Fabricii*, ad quem olim pertinuisse putatur. Vid. *Goetzii* Memorabb. Bibl. Dresd. P. I. p. 515.

Erlangae, in bibl. Academica, Cod. chartac. saec. XIV. (1386.) *Horatii Epistolas* complexus. Vid. *Pfeiffer* Beytr. zur Kenntniss alter Bücher und Handschr. Hof. 1783. *Hirsching* Beschr. der Bibl. T. II. p. 304.

Ibidem *Odas Horatii* in membranis, cum diversitate lectionis et Scholiis in margine asservari, satis locuples auctor est Cl. Harles. Notit. Script. Lat. T. II. p. 370. qui paucas singulares et a vulgatis diversas lectiones in isto codice deprehendit.

Franco-

Francofurti ad M. H. Fl. *Epistolarum moralium* L. I. Cod. MS. saec. XV. Uffenbach. Nonnullae Anonymi notis uberrimis instructae sunt.

Vid. Catal. bibl. Vffenbach. P. II. p. 220.

Gaybaci in Franconia apud Illustrissimos Comites de Schönborn:

Horatii Epistolae, cod. membran. scriptus a. 1332.

Horatii Carmina et *Odae* cum glossa marginali et interlineari.

Vid. Cl. *Degen* Beytrag zu Nachrichten von alten Handschriften Ansp. 1785. *Hirsching* T. I. p. 134. et T. II. 333.

Gothae

Horatii Sermones et Carmina.

Ex Cypriani bibl. Goth. laudat Montfaus. I. p. 600.

Gottingae

Praeter Cod. chartaceum, a Gesnero iam subinde ad partes vocatum alium Bibliotheca academica possidet Cod. membranaceum, *Q. Oratii Flacci Sermones et Epistolas* complexum. Est is nitidissime scriptus, caeterisque ornamentis librariorum satis liberaliter instructus, sed vix ultra typographicae incunabula adsurgit, ac vulgares fere lectionum discrepantias offert. Ad nostras terras perlatus est inde ab ultima Hesperia a Cel. *Tychsenio* a. 1784.

Ipse possideo fragm. *Artis poeticae*, in membrana exaratum, et ipsum saeculi XV. neque ulla memorabili lectionis varietate insigne.

Noribergae

Plures ibi Codd. extare, qui vel integra Horatii opera, vel singulares eius libellos complectantur, qui tamen non ultra saec. XIV. adsurgant, tradit *Hirsching*. Zusätze p. 262.

Pragae

Pragae

In bibl. Principali Furstenbergia: *Horatii Opera*, Cod. membran. saec. XIV. 4. olim Ducis de la Valliere. Adjectas habet Lectt. discrepantias.

Ibidem: *H. Opp.* itidem Lectt. varietate instructa. Cod. membr. saec. XIII. vel XIV. 4. Vid. *Hirsching Beschreib. der Biblioth. Deutschlands.* T. III. *Zusätze* p. 287.

In bibl. Capitul. quae in aede S. Viti asservatur:

Horatii Epistolae et Poetria. fol.
Eiusdem Carmen saeculare. fol.
Eiusd. Carmina. 4.
Hirsching l. l. T. III. P. I. p. 210, 211.

In bibl. *Clementina*, s. Academica:

Horatii Sermones saec. XIII.
Iidem saec. XIV.
Iidem saec. XV.
Hirsching l. l. p. 257.

Ratisbonae in bibliotheca Monach. O. S. Benedicti ad S. Emmeranum

Opera: Cod. MS. n. 337. in Catal. bibl. T. II. p. 56. Alius Cod. MS. membr. saec. XI. n. 824. Ibid. p. 137.

Carmina: *Liber Odarum* in membrana, n. 834. In eodem volumine: diversa Horatii carmina saec. XIII. Ibid. p. 139. *Carmina*, in fine et initio mutila, cod. membran. saec. XI. n. 830. Ibid. p. 139. et *Hirsching* Beschr. der Biblioth. Deutschl. III. p. 583.

Ibidem reperitur *Oratius Flaccus de Diversis* (s. *Satirae*) n. 845. saec. XI. Ibid. p. 141.

Vima-

Vimariae

Codex unus *Horatii*.

Hirsching Zusätze zu seiner Bibliothekengeschichte Deutschlands p. 171.

Vindobonae

n. 141. Philol. *Horatii Opp.* Cod. membran. fol. min. elegantor scriptus a. 1448. (finitus d. VI. Febr.) ut in calce operis librarius monuit, literis maioribus artificiose pictis. Fuit olim Io. Sambuci. Continet Horatii poemata antiquo ordine.

n. 187. *Ars poetica* cum Scholiis marginalibus.

n. 201. Cod. membran. fol. min. saec., ut videtur, XIII. scriptus. Continet *poetriam* et *Sermones*, Scholiis interlinearibus et marginalibus instructos.

n. 204. *Ars poetica*, *Satirae*, *cum Scholiis*, et *vita Horatii*.

n. 214. Cod. membran. saec. XVI. nitidissime scriptus (in 4.) literis maioribus dexterrime pictis, auroque subinde obductis. Fuit olim Io. Sambuci, qui passim lectionis varietatem in margine adnotavit.

n. 463. Cod. chartac. fol. *Epistolas cum glossis* complexus. Vid. Lambec. T. II. p. 927. ed. Kollar. Denique

n. 244. Cod. membran. saec. XIII. in 4. crebris vocum compendiis et pallido atramento scriptus. Continet foll. 17. Scholia *anonymi* cuiusdam auctoris in Horatii artem poeticam, cuius initium: *In hoc libro est intentio Oratii tractare de poetica arte* caet. et

n. 282 et 283. (Apogr. eiusdem exempli) Cod. chartac. in 4. saec. XVII. Continet incerti auctoris (in Catal. bibl. Palat. „qui Franc. Tonner a Trubach esse videtur) Scholia in H. XVIII. priores Epp., et in nonnulla eiusdem carmina lyrica.

Accu-

Accuratiorem horum Codd. notitiam debeo doctissimo Medico Car. *Weigelio*, Aetii futuro Sospitatori.

In *Helvetia* et quidem in bibl. *Bernensi*

A. 60. *Horatii Ars poetica.* Codex chartac. saec. XV. 4.

n. 21. *H. Odarum libri IV. Ars poetica, Epodon, Epistolarum libri II. Sermonum libri II.* Cod. membran. saec. X. fol. Olim Petri Danielis (Aurelianensis). Sermones mutili sunt a medio Sat. VIII. L. II. et desinunt v. 89. *Et leporum avulsos ut multo suavius armos.*

n. 223. *In Horatii Carmina et Epodon commentarius Acronis.* Cod. membr. saec. XV. fol.

n. 266. *Scholia in Horatii Artem poeticam, Sermones et Epistolas.* Cod. membran. saec. XIII. fol.

n. 308. *Horatii Carmina* (Opp.), eodem ordine, quo in cod. n. 21. membran. saec. X. 4. Mutilus est a Sat. I. L. II. v. 13. *Cupidum pater optime vires.* Additae sunt paucae et levis momenti notae in marg.

n. 327. *H. Ars poetica, Epistolae et Sermones; praemissa argumenta odarum et Scholia in Artem poeticam.* Cod. membran. saec. XII.

n. 398. *Horatii Odarum* fragmentum ab oda XXIII. L. III. usque ad finem Odarum. Additae sunt *Ars poetica, Satirae* III. L. I. *et Epistolae.* Cod. membran. saec. XI. 4.

n. 487. *Horatii Epistolarum* fragmentum a I. Epist. L. I. v. 68. usque ad Ep. X. v. 41. *Serviet aeternum* caet. Cod. membran. saec. XII. 4. Varia in eo extra ordinem posita.

n. 516. *In Horatium Porphyrionis et Acronis commentarii.* Cod. chartac. saec. XV. 4. „Scripsit Petrus Marsus Viterbi 1472."

n. 520.

n. 520. *H. Odarum Libri IV. cum Scholl. marginalibus.* Cod. membr. saec. XV. 4. Olim Bongarsii.

n. 542. *H. Odarum Libri IV. Epodon, Ars poetica, Satirarum Libri II. Epp. Libri II.* Cod. membr. saec. X. 4. initio Artis poet. mutilus, et Sat. 2. l. I. in duas dividit a versu *regibus hic mos est* caet.

n. 619. *H. Satirae et Epistolae cum Glossis marginalibus.* Cod. membr. saec. XI. 8. Incipit a L. I. Sat. 9. Tum Sat. 10. praefixos habet vv. *Lucili* caet.

n. 622. *Scholia in H. Artem poeticam, et Epp. ex Acrone conscripta.* Cod. membr. saec. XIII. 8.

n. 648. *Scholia in Horatii Odas, Artem poet., Satiras et Epp.* Cod. membran. saec. XIII. 8. Olim Bongarsii.

(*Sinner* Catal. Codd. MSS. bibl. Bernensis T. I. inde a pag. 477. Idem T. III. p. 282. ibidem asservari ait *Hadr. Iunii* in Odarum Horatii libros II. priores Commentarium, cuius etiam specimen cum praefatione eius adposuit.)

In *Italia*, et quidem

Caesenae in bibl. Fratrum minorum

Codex Horatii saec. XII. cum Scholiis, quae tamen saec. XV. demum exarata videntur, judice Mucciol. Catal. bibl. Malatest. T. II. p. 165. qui et Acronis pleniorem commentarium ibi asservari tradit.

Florentiae

I. In Bibl. Laurentiana Medicea Plut. XXXIV.

n. 1. Codex membran. saec. XII. 4. correctissimae atque castigatissimae lectionis, dignus adeo, qui accuratissime exploretur. Glossas interlineares habet et Scholia in margine uberrima, ab eadem manu exarata. Praecedunt Vitae Horatii III. quarum duae prio-

priores tantum editae sunt. Opera ita sunt disposita: Carminum libri IV. De Arte poetica liber unus. Eiusdem Epodon ad Mecoenatem (in his Ep. II. in duas divisa est, altera incip. a v. 23. *Libet iacere* caet. Idem factum in Epod. IX. ubi altera incipit a v. 27. cum epigraphe: *De fuga Antonii.*) Carmen saeculare: Epistolarum libri II. (Ep. XV. L. I. in duas dividitur. Altera incipit a v. 26. cum titulo: *Ad Maenium Scurram.* Item Ep. II. L. II. definit v. 103. et nova incipit v. 109. apposito: *Lex poematis.*) Sermonum Libri II. ubi Sermo 2. Libri I. in duos dividitur, inchoante altero a v. 86. Item Sermo 2. Libri II. ubi alter incipit a v. 53. cum titulo: *Corripit sordidos sub Ofelli nomine.* Item Serm. 3. qui definit v. 167. et v. 168. novus incipit, inscriptus: *Contra ambitiosos et avaros ecloga* V. Franc. Petrarchae fuisse hunc Codicem testatur subscriptio eius autographa: *Liber Francisci Petrarce laureati, qui post obitum eius remaneat penes heredem suum. Emptus Ian.* 1347. *Novembris* 28. In eius integumento legitur, Ant. Cocchium hunc cod. contulisse mense Febr. 1731. Constat foliis 141.

n. 2. Cod. membranac. saec. XV. 4. nitidissimus, vulgarem servat opp. ordinem.

n. 3. Cod. membranac. saec. XV. 8. In hoc *Ars poetica* inter *Sermones* et *Epp.* relata est.

n. 4. Cod. membr. in 4 minori oblongo saec. XIII. a pag. 41 ad 50. nova manu suppletus. Glossas et Scholia habet in margine diversa manu exarata. Ars poetica antiquum locum tenet.

n. 5. Cod. membranac. saec. XIII. ineuntis, in 4 minori oblongo. Complectitur *Artem poeticam*, *Sermones et Epistolas*, *cum Scholiis in margine exaratis.* Initio legitur: *Antonii Petrei* Canonici Florentini n. 69.

n. 6.

n. 6. Cod. membran. ſaec. XIV. in 4. Continet *Artem poeticam et Epiſtolas.* In fine rubris literis ſubnotatum eſt: *Iſte liber eſt Franc. Ioh. Vannicelli populi Sancti Felicis in Platea, quem ipſe fecit ſcribi anno Dom.* MCCCLXXIX *de menſe Februarii.*

n. 7. Cod. membran. ſaec. XII. in 4 minori, binis columnis exaratus. Poſt praecepta Grammatica, rationem metricam et Muſarum nomina ſequuntur argumenta in omnia poemata, hoc praefixo titulo ſatis poetico: *Sucus odorifer florentiſſimi et aprici libri Odarum Horatii.* In fine auctoris nomen indicant duo hi verſiculi:

Haec ego Furlanus Daniel quaeſita coegi,
Vtque vides, celeri ſcripta fuere manu.

n. 8. Cod. membran. ſaec. XV. 4. nitidiſſimus, in quo Ars poetica ante Epodon librum ſcripta eſt, et Sermones libri I. primo et ultimo excepto, Eclogae audiunt.

n. 9. Cod. membran. ſaec. XV. 4. Continet *Carminum libros* IV. *Epod., carmen ſeculare et ſermonum Libros* II. quorum alter deſinit in S. V. v. 52.

n. 10. Cod. membran. ſaec. XIII. ineuntis in 4 minori oblongo. Exhibet *Carmina cum gloſſis et Scholiis, Epod., carmen ſec.,* et reliqua.

n. 11. Cod. chartac. in 4 min. ſaec. XV. complectens *H. Opp.* antiquo ordine.

n. 12. Cod. membran. ſaec. XIII. ineuntis in 4 min. obl. Ars poetica inſtructa eſt Scholl. marg. et gloſſis interlin. et in fronte habet monſtrum illud, quod initio deſcribitur, rudi calamo delineatum. Reliqua deſtituta ſunt Scholl.

n. 13. Cod. membran. ſaec. XII. in 8 obl. Continet *Opp.* antiquo ordine, cum gloſſis et Scholiis, alia manu adiectis.

n. 14. Cod. membran. ſaec. XIII. in 8. hoc ordine: *Ars poetica*, *Sermonum Libri* II. *Epiſt. libri* II. *Carminum libri* IV. *Epodon liber unus*, *carmen ſeculare*, quod gloſſas et Scholia habet, a varia manu allita. Tum ſequuntur argumenta Sermonum et Epp., verſibus heroicis expreſſa.

n. 15. Cod. membran. ſaec. XIII. ineuntis in 8 min. habens tantum *Sermonum ſeu Satyrarum libros* II. *cum gloſſis et Scholiis brevibus.*

n. 16. Cod. membran. ſaec XV. 8. *Epiſtolas* exhibens.

n. 17. Cod. membran. ſaec. XV. 8 obl. *Carmina*, *Epodon librum* et *carmen ſaeculare* continens.

n. 18. Cod. membran. ſaec. XIV. 8. tenens *Carmina cum gloſſis* et *Scholiis*; *Epodon librum* (qui inſcribitur LIBER *V.*) et *carmen ſeculare.*

n. 19. Cod. chartac. ſaec. XV. 8. habet *Carmina*, *Epod. carmen ſeculare*, *artem poeticam* et *initium primae Satirae* usque ad v. 51.

n. 20. Cod. membran. ſaec. XIV. 4. *Artem poeticam et Epp. cum gloſſis et Scholiis exhibens.* In fine:

Explicit, expliciat, ludere ſcriptor eat.

n. 21. Cod. membran. ſaec. partim XII. partim XIII. fol. complectens *Artem poeticam cum gloſſis et Scholiis Epiſt.* I. Lib. I. ſaec. XV. exaratum, et Perſium. In fine inſcite:

Clauſit Dane (Danaen) *pater*, *cui iungitur aureus imber caet.*

n. 22. Cod. membran. ſaec. XIV. ineuntis, fol. habet *Artem poeticam et Epp. cum gloſſis.* In fine:

Qui ſcripſit ſcribat, *ſemper cum Domino vivat.*

n. 23. Cod. membran. ſaec. XIII. 8. *Ars poetica et Epp. cum gloſſis.* In fine:

Manus ſcriptoris ſalvetur omnibus horis,
Qui me ſcripſiſti, *fias ovis in grege Chriſti.*

Iſte

Iste liber est Giorgii Ghezzi, morantis in scholis magistri Francisci Doctoris grammatici ac poitae. Deo gratias. Amen.

(*Bandini Catal. Bibl. Laurent.* T. II. p. 143—153.)

In eiusdem bibl. Plut. XXXVII.

n. 24. Cod. membran. saec. XIII. 8. *H. Ars poetica et Epp. cum glossis et Scholiis. Bandini* II.

Plut. XXXVIII.

n. 27. Cod. membran. saec. XIII. in 4 maiori, contin. *Carmina*, *Artem poeticam*, *Epod.*, *carm. seculare* (quod patrimi et mamae cantabant ad chorum puerorum), *Epp.*, *Sermones*, quorum III. Lib. II. in tres partes divisa legitur, cum titulo primae: *Disceptatio Damasippi cum Horatio*; secundae: *Contra ambitiosos et avaros*; tertiae: *Contra luxuriosos et insanos*. Bandini II. 275. dignissimum hunc. cod. iudicat, qui pro editione istius poetae adornanda consulatur.

Plut. LXXXXI. Sup. (*Bandini* III. 756.)

n. 21. Cod. membran. saec. XV. 8. *Carmina*, *epod.*, *et carmen seculare* continens.

n. 22. Cod. chartac. saec. XV. in 4 minori, *Eclogas* (Sermones), *Carmina*, *Epodon lib. et Carmen saeculare cum Scholiis*, quae valde docta Bandini dicit, continens. In calce:

Scriptori (Scribae) *det munus, qui regnat ternus et unus*
Vivat in caelis Bartolomeus nomine felix.

Plut. LXXXXI. inf. (Bandini IV. p. 7.)

n. 12. Cod. chartac. saec. XV. 8. *Horatii Opp.* praeter Epp. complectens.

Plut. XXIII. bibl. S. Crucis (Laurent. illatae) a dextera p.

n. 11. Cod. membran. saec. XIII. 4. *Artem poeticam et Epp. cum Scholl.* habens. In calce:

Qui me furatur (vel) reddat, vel suspendatur.

Bandini IV. p. 677. Denique

Plut. LXXXXI. sup. (*Bandini* III. p. 757.)

n. 23. servatur Cod. *Acronis expositionem super Epistolas et Sermones H.* continens, vulgata plenior, et

Plut. XXXIII. (*Bandini* II. 105.)

n. 21. Cod. chartac. saec. XV. in 4 min. *Acronis commentarium in Horatii carmina* complexus. Ex vv. subiectis patet, Petrum de Cenninis Acronem istum fideliter (*error si quis inest, exemplar semina sevit*) ex antiquo cod. descripsisse.

II. In bibl. *Riccardiana.* (Vid. *Lamii* Cat. p. 237.)

Plut. M. III.

n. 11. Cod. chartac. in fol. tenet *Horatii Opera cum commentariis Acronis.* In fine: *Explicit liber Acronis super odas Oratii a me Ricardo Lunensi, Blasii filio Lunensi, a. D. MCCCCLVII. et die quarto mensis Maii et hora prope XXIII. et die Mercurii. S. Expletus Florentiae.*

n. 14. Cod. chartac. in 4. *H. Opp. cum Scholiis et glossis.*

Plut. M. IV.

n. 3. Cod. chartac. in 4. *H. Opp.* In fine: Explicit liber Oratii Venusini, scriptus per me, Benedictum Andreae Gini: finitum autem est die XV. mensis Augusti 1470.

n. 4. Cod. membranac. in 4. saeculi, ut videtur, XII. *H. Opp.* continens. In fine legitur: *Hic liber mei est*

est Fr. Christophori Lucensis Ord. Min. Et alibi: *Presbyteri Francisci Ser Philippi de Bonagratiis de Piscia.*

n. 5. Cod. membranac. 4. saec. XIII. initio mutilus, continet *Horatii Opp. cum Scholiis.*

n. 6. Cod. membran. in 4. *H. Opp.* In prima pag. legitur: *Bartolomei Fontii.*

n. 7. Cod. membran. in 4. saec. XIII. *H. Opp.* continens.

n. 8. Cod. chartac. in 4. *Opera H.* complexus. In prima pag. legitur: *Giraldi de Giraldis Francisci filii.* In fine Artis poet. scriptum est: *Finit die V. Aprilis* 1475. et in fine Cod.: *Index Odarum finit sexto Kal. Augusti* 1476.

Plut. L. IV.

n. 13. Cod. membran. in 4. saec. XIII. contin. *Artem poet. Sermones et Epistolas.* In fronte legitur: *Liber Georgii Antonii Vespucci.*

n. 22. Cod. chartac. 4. compl. *Carmina* et *sermones.*

n. 26. Cod. chartac. 4. habet *Opp. cum schol. Porphyrionis.* Olim *Bartol. Fontii.*

n. 30. Cod. membran. in 4. *Poeticam et Epp.* complexus. In fine: Iste liber est Francisci Altobranci de Albertis de Florentia posuit hoc manu propria V. Nov. 1433. Tum: Hunc librum ego Landinus a Franc. Altobranci dono accepi die VI. Aug. 1443.

n. 33. Cod. membran. 4. *Epistolas* habet.

n. 34. Cod. chartac. 4. *Satiras cum glossis.*

n. 35. Cod. membran. 8. *Epistolas.* Denique Plut. N. III. n. 29. tenet Cod. chartac. 4. *Acronis scholia in A. P.* Plut. M. IV. n. 2. *Commentar.* in Horatium, chartac 4. Plut. IV. n. I. *Porphyrionis comm. in Hor.* in chart. 4. N. I. n. 9. *Explanationem Porfirionis super H. Fl. Poetica.* cod. ch. 4. tandem Pl. M. IV. n. 8. *Vitam Horatii* chartac. 4.

III. In bibl. Monasterii Camaldulensium B. Mariae de Angelis *Horatii Carmina* extare tradit Montfauc. in Diario Ital. 354.

Mediolani

In bibliotheca Ambrosiana

Horatii Lyrica cum notis. Cod. membran.
Eiusdem Epistolae item cum notis. Cod. membran.
Eiusdem Poetica cum annotatt. Cod. membran.
Eiusdem Odae, item cum notis.
Montfauc. T. I. p. 516.

Neapoli

In bibl. Olivetanorum

Horatii Codd. II. integra opera exhibentes.
Eiusdem *Sermones*, *Epp.* et *de Arte poetica*, cod. membran. rec. *Montfauc.* I. p. 230.

Patavii

In bibl. S. Antonii *Horatii poetica*, Vid. Phil. Tomasini de Bibliothh. Patavinis p. 53. et inde Montfauc. B. B. T. I. p. 486.

In bibl. O. Eremitanorum: *Odae.* cod. membran. 4. Tomasini l. l. p. 76.

In bibl. seu museo Pignorii: *H. carmina* scripta characteribus Langobardicis (ex munere Nicolai Grassi). Tomasini p. 85. Montfauc. I. 487. Transiit cum caeteris Pignorii MSS. in Dominici Molini Veneti bibliothecam ex testamento.

In bibl. Candorum (Francisci et Antonii) *H. Odae* cod. chart. 4. Tomasini p. 89. Montfauc. I. 487.

In bibl. Io. Rhodii: *H. Odae*, cod. membran. 4. charact. Longobard. Tomasini p. 139. Montf. I. 489.

Romae

Romae

In bibl. Vaticana inde a

n. 2765 usque ad 2777. tum a
n. 3232 ad 3261. Codd. XLI. Tum

In bibl. reginae Sueciae, quae ibidem asservatur,

n. 1663 — 1673. Codd. XI.

In bibl. Petavii, ibidem repositae

n. 43. 60. 429. 888. 965.
Vid. *Montfauc.* bibl. MSS. T. I. p. 4. 52. et 91.

Taurini Codex membranaceus, constans foliis LXXXIV. saeculi XIII., additas habet intra textum et in margine adnotationes, plerumque ad Etymologiam verborum spectantes. V. *Catal. Codd. MSS. bibl. regii Taurinensis Athenaei* I. II. p. 297. Montfauc. II. p. 1398.

Venetiis

Epistolae, Cod. saec. XV. in 4. n. 692. Cod. est pulcherrimus, cum brevibus postillis Graecis et Latinis characteris minutissimi et manus synchrona textui; teste *Mittarelli* in *biblioth. Codd. MSS. S. Michaelis Venetiarum* p. 509.

Ars Poetica, saec. XIII. extat cum Iuvenale et Ovidio in Cod. 188. teste eodem *Mittar.* l. l. Idem p. 912. laudat cod. chartaceum in fol. saec. XV. n. 45. (p. 54.) inscriptum *Poetica varia*, qui continet illustrationem Carminum Horatii, qua occasione afferuntur plures versus Virgilii, Lucani, Terentii, Plauti, Statii, Iuvenalis. Incipit Codex: *Horatius Flaccus, libertino patre natus* caet. Hactenus Mitarelli.

Ibidem in bibliotheca Naniana

n. 110. Q. H. Fl. *Satyrae et Epistolae.* Cod. chartac. saec. XV. 8.

n. 111. *Acronis commentarius in Horatii carmina.* Vid. Iac. Morellii Cat. Codd. MSS. lat. bibl. Nanianae p. 151.

Cracoviae in biblioth. Zalusciana

n. 422. *Q. horacij flacci de arte poetica* duo Codd. membranacei perexiguis characteribus conscripti. 8.

Vid. *Ianozki* Spec. Catal. Codd. MSS. bibl. Zaluscianae 1752. 4.

Denique in *Suecia*

Vpsaliae est Codex Horatii membranaceus, formae, quae in folio vocatur, minoris, integer praeter lacunam ab Epod. III. 8. usque ad Carmen saec. v. 26. quam alia manus supplevit. Folia habet CXVII. quorum octonis manipuli constant; praeter VII. qui sex, et XV. qui septem folia habet. Nec libri, nec carmina distincta, nisi unius literae spatio. Inscriptiones nullae: initiales carminum grandes et pictae. Numeravit alia manus Odas usque ad Epod. III. cui adscriptus numerus 108. Carmen VII. L. I. in duo divisum. Odas sequitur Ars poetica cum titulo: *horacij flaccj publij QnTI LIBertinI lib. Eplarum jncipit.* Tum sermones non divisi in duo libros; unde ultimae eclogae (II. 8) subscriptum: *Horatij. flacci. liber. sermonum. explicit.* Quae sequuntur Epistolae, etiam non discretae in libros. Est codex minusculis litteris s. Langobardicis scriptus, immixtis tamen passim maiusculis. Vocum compendia creberrima, diphthongi rarae; *i* constanter sine apice; in fine fere *ſ* longum; plurima soloeca et archaica; distinctionum signa a prima manu nulla, nisi punctum, sed id saepe vix commatis vim habens. Membrana non crassa, satis candida; atramentum praeter manipulum VII, quo illa lacuna expletur, admodum pallidum. Conveniunt characteres cum scriptura

ſcriptura ſaec. XI. aut XII. apud Mabillon. et auctores novi Tr. diplom. Scatet liber mendis apertis, transpoſitionibus, raſuris, correctionibus. Fuit olim Seb. Miegii, poſt Io. Schefferi, unde in biblioth. acad. venit.

Aurivill. in Act. Nov. Societ. Reg. Vpſal. T. I. p. 110 ſqq.

DE
HORATII EDITIONIBVS.

Quum praeſtantiores fere ſcriptores veteres, ad quos illuſtrandos emendandosque Viri docti inde ab inventa arte typographica certatim ſtudia ſua contulere, ſingulis propemodum annis plura praela exercuerint, fieri vix poſſe exiſtimo, ut lectionis ſeu textus, quem vocant, origines ac fontes plane indagentur, nedum rivuli omnes inde deducti, Maeandrique inſtar ludentes, expediantur. Fere enim quisque, ut alias cauſſas taceam, novando interpolandoque pedum veſtigia, vulpeculae inſtar, delere ſtudebat; novumque iter ingreſſus videri cupiebat. Quamquam igitur editionum ſtirpes, familias et cognationes deducere ac diſtinguere difficillimum ſit; tamen, quum fata ac viciſſitudines contextus, per tantum temporis tractum, ad quem fere caligat viſus, propagati rationem mutationesque noſſe perquam iucundum, ad criſin autem recte inſtituendam admodum neceſſarium ſit, committere nolui, ut opera iſta in Horatio prorſus deſideraretur. Experturus igitur, quousque in hoc negotio progredi liceret, ſimulque pleniores accuratioresque editionum huius poetae annales confecturus non tantum edd. congeriem a VV. DD. rem literariam augentibus hucusque adgeſtam, amplasque, quas bibliotheca Academica Gotting. aſſervat, copias perluſtravi diligenterque excuſſi, ſed etiam libros, de rei librariae primordiis exponentes, ac bibliothecarum inſigniorum catalogos, aliosque, in quibus edd. Horatii notitiam aliquam occurrere memineram, inſpexi,

ſpexi, ac, ſumma quamvis cum taedii moleſtia pervolvere haud gravatus ſum. Atque ita demum de nonnullis certiora exploratioraque afferre licuit, ſimulque, Hiſtoriam textus Horatiani a Iani ſatis probabiliter et accurate concinnatam fuiſſe intellexi. Hanc igitur tanquam tabulam, in quam referrentur reliqua, a me leviter raſam atque deterſam praemittendam duxi, ſatis habens, de ſingulis, ubi opus eſſe putarem, ſuo loco monere.

Ex edd. ſaec. XV. paucae admodum, neque ſatis accurate a Viris doctis exploratae ſunt, ut adeo, quaenam ex iis principes habendae ſint, quaeque ex aliis deſcriptae ſint, certo definiri vix poſſit. Priores quidem Mediolanenſes ab una ſtirpe ſatae videntur usque ad Mediolanenſem a. 1508. quae quidem ad Venetas alterius recenſionis transfugit. Nam et ipſae Venetae non unam eandemque textus deſcriptionem habent. Primae illae 1477. 1478. 1479. tum Zarottiana 1492, et 1498. e Mediolanenſi exemplo aliquo anteriori ductae ſunt, lectione ſubinde ad veterem aliquem librum reficta; nam illas fere cum Mediol. 1477, quae ad manus fuit conſpirare vidi: tum novam familiam ducunt, quae editae ſunt cum Landini commentario, qui primum prodiit Flor. 1482. Vnde pendent Venetae 1483. 1484. 1486. Harum lectionem immutarunt paſſim edd. Venetae a. 1490, quae a Io. Fr. Philomuſo curata eſt, et 1492. apud Pincium, quas fere ſecutas deprehendi Venetas 1494. 1495. 1497. 1498. 1499. 1509 caet. De Neapolitana a. 1474. et Patavina Raph. Regii a. 1481. quod nemo adhuc diſpexerit, tanto aegrius ferendum, quo probabilior ſuſpicio eſt, illam e codd. omnino fluxiſſe, hanc critica cum cura factam eſſe. Lipſienſes edd. fere ſunt ex recenſione Io. Honorii Criſpi Cubitenſis, dignae utique, quae accuratius inſpiciantur.

Inde

Inde a principio Saec. XVI. usque ad Lambinum primaria quasi tria editionum stemmata erant: *Aldinae*, *Iuntinae et Ascensianae* editiones (plane ut in Virgilio); quae omnes cum et a superioribus et a se invicem manifesto discederent, tum suam quaeque familiam et quasi propaginem editionum secutarum habuit; licet subinde ab una familia ad alteram transfugisse videantur editores. *Aldina prima* prodiit 1501. Eam secutae tres aliae, 1509, 1519, 1527. quae nihil in textu novasse videntur; sed quarum tamen emendatissima putatur 1519. Repetierunt Aldinum textum plures aliae, ut Basil. 1520. item fere, Venetae 1540. 1573. Parisinae quaedam ut H. Stephani I. 1513. cet. Contra Aldi iunioris editiones, quibus *Muretus* praefuit, in multis a priscis Aldinis discedunt, novamque recensionem constituunt. Earum prima fuit 1551, saepius deinceps repetita; etiam cum scholiis I. M. Bruti 1561. 1570. cet. Expresserunt hanc iuniorem Aldinam s. Muretinam etiam Rouilliana 1559. Lugdunenses 1566. 1610. cet. Paullus autem Manutius a. 1566. et 1568. Lambinianam repetiit.

Iuntina prima, a Phil. Iunta expressa est a. 1503. quam secutae ex eius officina duae aliae, 1514 et 1519. Inter emendatissimas habendae Iuntinae, nimiumque neglectae sunt ab editoribus; quamquam non defuerunt, qui eas sequerentur.

Ascensiana, h. Iodoci Badii Ascensii commentariis instructa, *prima* prodiit a. 1503; quam secutae (1505. 1506.) 1511. 1516. 1519 et 1529. Si verum dicendum, respectu ad textum universum habito Ascensianae ab antiqua recensione, quam habet Veneta 1492 et eius familia, non multum discedunt; in singulis lectionibus quaedam omnino aliter exhibent. Sed in his ipsis etiam editt. 1519. 1529 a prioribus saepius dissentiunt; nam lectiones ex Ascensianis 1503. 1511. 1516. laudatas reperias, quae non sint in illa 1519. Scilicet in hac subinde

inde Ascensio Matth. Bonsinis imposuit. Transscriptae autem ex Ascensianis complures Venetae, ut 1536. 1543. 1558. Lugdunenses, ut 1519. Parisinae, ut 1528. 1543. inprimis ex Ascensiana ultima 1529 expressae sunt editt. Parisinae Roignii, Vascosani et Richardi. Vid. Cuning. Animadv. c. VIII.

Maxime memorabilis et inter classicas referenda est editio Lugdunensis a. 1511. et summae raritatis, et emendatae sanaeque lectionis nomine. Sed quis ei vir doctus praefuerit, non certo constat; quamquam probabile est, Simonem Carpentarium fuisse. Id apertum, diligentem accurataeque doctrinae virum fuisse. Fundamentum editionis est textus Aldinus, sed multa ex antiquis libris editor in eo correxit. Ducta haud dubie ex hac Argentinensis ex aedibus Matth. Schurerii, qua Horatii opera separatim prodierunt, annis 1514—1517; quod facile intelligatur ex inscriptione tomi IV an. 1517. comparata cum inscript. Lugdunensis.

Ge. Fabricius, Chemnicensis, exemplo Iuntino, ut videtur, pro fundamento posito, codices etiam mss. in subsidium vocavit, deditque Horatium cum argumentis et castigationibus, Lipsiae 1570. quae editio post saepissime repetita est. Inprimis autem unus omnium maxime promeritus est Fabricius de antiquis Horatii Intpp. vel Scholiastis, non Acrone et Porphyrione solum, sed et, quorum pauca tantum fragmenta exstant, C. Aemilii, Iulii Modesti et Terentii Scauri; in quibus restituendis ac emendandis operam per multos annos assiduam posuit; cuius fructus publici usus fecit editio *Henricopetrina* 1555. inter praestantissimas, sed et rarissimas numeranda.

Glareani prima editio 1523 fere ducta est ex Aldina 1519, sic tamem, ut ipse nonnulla, audaciori interdum conatu, correxerit. Repetita saepius.

Editio-

Editiones *Sim. Colinaei* 1528. 1531. 1533. cet. preſſe ſequuntur Aldina exempla; de fonte *Gryphianarum* 1530. 1533. cet. nihil adfirmare auſim; niſi quod Gryphianae 1559. 1566. 1567. ex Muretinis ductae videntur.

Robertum Stephanum I in editione prima 1539, iisque, quae ſecutae ſunt, Iuntinum exemplum operis imitandum dediſſe, ſuſpicor. Multo plus adiumenti Horatio attulit *Henricus Stephanus* II. dum in conſilium adhibuit lectiones codd. Lambini, Cruquii, Fabricii, Mureti; deinde et paucula, quae aliunde habuit, ſive codices, ſive excerptas lectiones, conſuluit, magnumque ſe et generoſum, ſed modeſtum quoque, in emendando criticum praeſtitit. Sunt editt. 1577. 1588. 1592. 1600. Denique *Ro. Stephanus III.* a. 1613 editionem minorem evulgavit, cum notis I. Rutgerſii, in quibus multa utilia, inprimis ad criſin. Textus expreſſus eſt fere ex edit. D. Heinſii, etiam cum plerisque illius emendationibus.

Baſileenſium primariae ſunt tres ex officina Valentini Curionis (quibus praefuit Michaël Bentinus), 1524. 1527. 1531. ex Iuntino exemplo, ut arbitror, ductae, ſed adhibito etiam vetuſto codice Io. Sichardi, ut Bentinus in praefatione teſtatur. Has ex impreſſis emendatiſſimas eſſe iudicabat Fabric. ad Carm. I. 6. *Henricopetrina* prima, 1545, ſequitur editt. Curionis. Secunda eſt Fabriciana 1555, ex qua etiam textus repetitus eſt in tertia 1570 et quarta 1580; quarum utraque variorum Intpp. commentariis onerata atque obruta eſt; quod iam in prima factum erat.

Antverpienſes, ex officina Mart. Nutii, duae, 1557 et 64, cum Theod. Pulmanni notis, ex Aldino textu ductae, ſed ob emendationes Pulmanni, et collatos ab eo codd. admodum utiles. *Plantinianae* non unius generis ſunt. Prima fuit cura Raphelengii 1558, ex Aldino exem-

exemplo, recusa 1575. 1590 et 1608. Tum ex recensione Pulmanni, 1566. recusa deinceps 1577. 80. 82. 87. 1610. 77. Hinc ex ea prodierunt Heinsiana 1606. item Cruquianae 1573. 1578. 1586. 1678. Ex officina Plantiniana Raphelengii Lugd. Bat. prodiere Cruquianae 1593. 1597. 1603. 1604. 1611 et 1620. seu ultima; et minores editiones, 1594. 1604. tum Heinsianae 1605. 1610. 1709.

Dionysii Lambini, magni illius Horatii sospitatoris, a quo novam aetatem editionum ordiri fas est, editio prima, ad fidem decem codd. MSS. emendata, prodiit a. 1561; altera et ultima, ab ipso quidem accurata, a. 1567. In hac adornanda VII aliis etiam codd. mss. usus est, et quaedam in textu novavit. Cum certatim utraque editio per Galliam, Germaniam et Italiam repetita est; in quibus princeps est illa a. 1605. ob adiecta Turnebi et Marcilii commentaria: tum recensio Lambini in multas Venetas, innumerasque alias editt. est illata.

Iacobus Cruquius ad undecim codd. MSS., in quibus omnium, qui noti sunt, praestantissimi quidam, Horatium recensuit et commentario illustravit. Prima editio prodiit 1578 apud Plantinum, postquam iam a. 1565 librum IV carminum, et 1573 Sermones separatim ediderat. Saepius ea recusa est; sed in editione 1597 primum accessit ineditus Scholiastes, vel, ut Cruquius dicit, Commentator, hoc est, sylloge scholiorum, quae ille ex codicum Blandd. margine et interlineari spatio laboriosissimo studio eruit. Fuerunt (in his Barthius et T. Faber), qui huic commentatori exiguum admodum pretium statuerent; nam nihil in eo esse, quod non in Acrone et Porphyrione iam legatur. Quod licet negari non possit, confluxisse quasi videri ex illis scholiasten Cruquianum, tamen is quaedam subinde addit, alia aliter, luculentius etiam interdum, exponit, atque hactenus sua ei dignitas relinquenda est. Deinde huic edit. Cruquianae etiam adnexus

nexus eſt Iani Douſae, patris, commentariolus, quem huc usque non ita, ut opus erat, inſpexere Intpp. Horatii. Repetita autem eſt haec editio a. 1603. 1611. quae claſſica eſt, ſed admodum rara, tum 1620 et 1678.

Greg. Bersmanni prima Lipſiae prodiit a. 1602. cum variis lectt. ſex codicum; et ſaepius ſub praelum eſt revocata.

Ex officina Plantiniana Raphelengii primum exiit a. 1605. Horatius ex recenſione et cum notis *Dán. Heinſii.* Repetita eſt in eadem officina a. 1610 et 1709. Tum apud Elzevir. a. 1612, animadverſionibus auctioribus et cum libro de Satyra longe praeſtantiſſimo; item 1628 et 1629 quae claſſica eſt), et forma minore ſine notis 1653. Denique, ſine notis etiam, Amſtel. 1676. 1696. et Edimb. 1704. Ex Heinſiana autem ductae Rutgerſiana 1613 (ut vidimus), item haud dubie Schrevelianae, et quaedam aliae.

Laevinus Torrentius Horatium, ſubiecto textu vulgato, emendavit et recenſuit ad fidem aliquot codicum. Prodiit prima editio a. 1608 ex officina Plantiniana; et eſt numeranda inter principes: repetita a. 1620. 1708.

Tanaquillus Faber Horatium recenſuit et caſtigavit, ſed e ſolo ingenio, a. 1671. Heinſium inprimis acriter in notulis ſuis inſectatus, ſed eo ipſe ſaepe non continentior. Expreſſus ex eius recenſione eſt textus Dacerii.

Petrus Burmannus edidit Horatium primum a. 1699, cum Rutgerſii lectt. Venuſinis, doctis et ad criſin utiliſſimis; deinde 1713 emendatum ad fidem codd. MSS. et ad Bentleii editionem, a qua tamen, ubi ille audacior eſt, recedit. Vtraque editio ad uſum criticum praeclara.

Prodiit anno 1699 etiam Cantabrigienſis editio *Iac. Talbot*, cum a ſplendore, tum a diligentia recenſionis, et variarum lectt. elencho commendanda. Recuſa eſt 1701, et repetita a Io. Pine, qui aeneis tabulis incidit Horatium 1733.

Wil-

Willielmi Baxteri prima editio exiit a. 1701. Nullis ille codd. MSS. usus est, sed, vulgata lectione pro fundamento posita, ex commentatorum animadverss. interdum et ex ingenio, textum constituit. Excerpta e Scholiastis dedit, et in his ipsis etiam quaedam emendavit. In editione altera 1725 quae accesserunt, tantum non omnia contra Bentleium sunt. Repetiit hanc Gesnerus in Germania; ut mox dicetur.

Sed clarissimam huius saeculi haud dubie editionem dedit *R. Bentleius*, qui Horatium tam ex codd. MSS. quos plurimos habuit, quam ex suspicione, amplius DCCC locis emendavit. Plurimum sane ei debet Horatius, estque hic, etiam ubi errat, ab ingenii doctrinaeque magnitudine semper admirabilis ac venerandus. Prodiit prima eius editio a. 1711. notis ad calcem libri subiectis: emendatior, et cuivis paginae substratis notis, repetita Amstel. a. 1713. 1728. item Lipsiae 1764. Londini 1765. Recusa etiam est, sed notis in compendium missis, Cantabr. 1713. cura Th. Bentleii. Nactus est Bentl. adversarios plurimos. Fuit eorum primus anonymus, cuius exstat *Aristarchus ampullans in curis Horatianis, auctore Philargyrio Cantabr.* Londin. 1712. 8. Secutus est *Richardi Iohnsoni Aristarchus Antibentleianus*, Nottingham. 1717. 8. Fuit in hoc viro maior adversus Bentleium acerbitas, quam doctrina.

Omnium doctissime in hoc castigando versatus est *Alexander Cuningamius*, qui a. 1711 (Hagae Com.) non solum edidit *Horatium*, *ex antiquis Codd. et certis observationibus* (quas inprimis ex codice Blandinio antiquissimo Cruquii et Pierio Valeriano sibi informasset) *emendatum*, cum variis lectt. sed subiecit etiam huic editioni *Animadversiones in Bentleii notas et observationes*, doctissimas illas, et unde eximios fructus capere possit critices studiosus. In Londinensi eiusdem anni edit. accedunt *observationes criticae* textui subiectae. Amplius

CCCC locis emendatiorem esse suam recensionem Bentleiana affirmat Cuningamius, superbior iusto, si verum dicendum, et in Bentleium acerbior. Tantum est illius adversus hunc odium, ut, si lectionem Bentleianam amplectatur, eam numquam Bentleio debere videri velit, sed semper studiose alios quosvis fontes indaget. Quos ubi non reperit, quamvis ei placere appareat Bentleianam, aliam adoptare mavult; ita non potest invidiam vincere. Emendationes autem eius fatendum est omnium doctissimas esse ac ingeniosissimas, saepe, si ad leges artis criticae excutiantur, pro unice veris lectionibus habendas. Saepius tamen non minor in iis, quam in Bentleianis, audacia est, sed illa melior profecto aliorum indocta modestia.

Sub idem tempus a. 1720. apparuit etiam editio *Ioannis du Hamel*, in universitate Parisina professoris, repetita 1730 et 1764. Is Horatii textum et ad codd. MSS. fidem et multis locis ex ingenio audacius correxit. Sed indocta est eius arrogantia, impar talibus ausis; quo nomine subinde eum castigat Sanadonus.

Sanadonus in contextu Horatii constituendo cum Lambinum, Cruquium, Torrentium, aliosque, qui codd. MSS. usi sunt, consuluit, tum multas Bentleii emendationes sibi vindicavit; sed omnium maxime Cuningamium secutus est, etiam, ubi is ultra lineas processit. Attamen et multae emendationes ipsi propriae sunt. Repetiit eius recensionem novissima Patavina 1774.

Horatii Carminum libros V a. 1731 recensuit *Ge. Wade*, qui ea ad certissimas artis criticae regulas quam plurimis locis ex vetustis exemplaribus, editionibus et commentariis emendasse se profitetur. v. Iourn. des Sav. 1731. Aout, p. 561. Nobis ea non est visa.

Londini a. 1736 prodiit editio *Ioannis Iones*, qui se MSS. quibusdam usum ait, emendavit quaedam (sed au-

audacter etiam ſatis), ſubiecitque notas ſuas, tum var. lectiones et coniecturas viror. DD. denique indicem editionum Horatii, ſed illum e Fabricio totum transſcriptum. Doctrina critica longe inferior Ioneſius eſt Cuningamio et Bentleio. Sanadonum in multis, quae illi propria ſunt, ſequitur.

Baxteri editionem cum repeteret *I. M. Geſnerus*, a. 1752, non ſolum in textu Baxteriano mutavit quaedam, ſed etiam e Codd. et editt. antt. varietatem lectionum, at illam minus plenam et accuratam, dedit. Recuſa eſt Geſneriana haec editio nuper a. 1772.

Denique a. 1770 prodibat Pariſiis Horatius ad fidem LXXVI codicum, curante Abbate *Ipſ. Valartio*. Quod non accipiendum de numero Codd. quos inſpexerit; nam forte nullum omnino vidit: ſed de iis, ad quos adhuc Horatius a viris doctis recenſus eſt. Sic itaque hoc intelligendum, ut eum in textu conſtituendo principes editt., quamquam parum accurate, contuliſſe putemus.

Qui Horatii editionem a. 1777 evulgavit, *Lud. Poinſinet de Sivry*, cum ſatis multas criticorum emendationes in contextum recepit, tum ipſe, inprimis in diſtinctionibus, quaedam novavit, quae vereor ut probari viris doctis poſſint. Maxime improbandus eſt eius conatus, quo tam multas Horatii odas, np. I. 4: 7: 9: 27: 36. II. 11. III. 8: 14: IV. 6: 12. in binas diviſit. duas autem, II. 2. III. 19. in ternas adeo.

Sivrio maiori cum laude ſucceſſit *Chr. Dav. Iani*, qui quidem fundamentum poſuit vulgatam lectionem, a qua tamen diſcedendum ſibi putavit, ubi immutandam lectionem ſuaderent artis criticae regulae. Quem in finem non Codicum ſolum, quos Lambinus, Cruquius caeterique Horatii editores contuliſſent, quosque ipſe nactus eſſet, varietatem enotavit, ſed et edd. veteres, quae ad manus ipſi erant, diligenter conſuluit, indeque, quae

Horatio aptae dignaeque esset lectiones, eruit, atque in contextu reposuit. Ipse coniecturis numquam fere indulsit, aliorumque raro admodum nec nisi gravissimis de caussis ita rationem habuit, ut ipsi poetae textui ingereret.

Iustae quoque recensionis instar habenda est editio, a *Gilb. Wakefield*, acutissimo Critico, parata, interpunctione solicitius facta, delectuque lectionum memorabilis; quamquam eum coniecturis cum aliorum tum suis, quarum quidem feracissimum habet ingenium, nimium pretium subinde statuisse animadvertas.

(1470.) *)

Horatii editio princeps fere habetur, quae nullam editoris, loci, temporis expressam notationem habet, ne titulum quidem s. indicem. *Maittaire* quidem (*Annal. typogr.* T. I. p. 292.) eam Mediolani ex *Antonii Zarotti*, Parmensis, (Vid. de eo *Asso Saggio su la tipogr. Parmense* p. III.) typographia a. 1470. prodiisse inde auguratur, quod Ant. Zarottus libros anno isto Mediolani excudere coeperit, et typi cum aliis, quos idem excudit, fere convenient. Eidem Zarotto istam adsignant *Orlandi* (*Origine e progressi della stampa.* 1722.) p. 101. *Saxius* (Hist. typogr. Mediol.) p. 556. et *Debure* (*Bibliographie instructive, belles Lettres*) T. I. p. 311. 12. *Morellius* tamen, Vir rei intelligentissimus, in *Bibliotheca Maphaei Pinellii* T. II. p. 324. aegre ac difficulter in hanc sententiam concedit, quod a Zarotti typis cum quoad characterem, qui plane idem sit, quem Plutarchi Apophthegmata a Philelpho latine reddita, Florus et Lucanus, absque ulla nota impressi praeferant, tum quoad chartae genus liber

*) Edd. quae stellulis notatae sunt, habet Bibliotheca Academica Gottingensis.

liber iste haud leviter diffidere videatur. Conf. *G. W. Panzeri* Annal. typogr. T. II. p. 143. et 354. Primum ista editio ad partes vocata est a Gesnero, qui eam ita describit: Literae sunt eius formae, quam Iensonius adhibuit, sed paullo minus cultae et incompositae, ut appareat, neque matrices fuisse ita perfectas, ut fuere Iensonianae, neque ita accuratam versuum dirigendorum rationem. Porro literae nullae initiales, saepe ſ longum in fine vocis positum etc. Volumen constat quinternionibus, i. e. quinque plagulis duplicatis, ut oriantur denorum foliorum libelli. Folia ipsa non signata neque literis neque numeris, custodes nulli, nullum registrum, literae saepe transpositae, infantia denique artis et operarum ruditas undique apparet. Voces vel omissae, vel cum ipsius metri pernicie permutatae, fidem faciunt, non praefuisse editioni Grammaticum, sed simpliciter exemplum suum, i. e. manu scriptum Codicem, secutos esse typographos. Vnde illud consequitur, ut, quae bonae sunt lectiones, eas ab antiquo codice, non ab ingenio correctoris esse intelligamus. Ad finem adduntur hi versus:

Hoc quicunque dedit Venusini carmen Horati
Et studio formis correctum effinxit in istis
Vivat et aeterno sic nomine secula vincat
Omnia cen nunquam numeris abolebitur autor.

Post Gesnerum adhibuit eam *Car. Combe*, exempli eius, quod in bibliotheca Regis Britanniarum asservatur (pervenit eo e biblioth. Askew), copia ei facta.

Sermones Oratii, absque loci nota charactere gothico f. 1470.

Vid. *Maittaire* T. I. p. 296. *Orlandi* p. 346. *Debure Bibliogr.* T. I. p. 311. et *Panzer* T. IV. p. 3. De hoc libro nihil plane liquet, qui ab uno Orlando inspectus videtur.

(1471.)

Q. H. Fl. Opuſcula, Romae ex officina Iohannis Philippi de Lignamine.

Quamquam parum exploratum ſit, num Opuſcula iſta anni nota inſignita ſint, necne; ad hunc tamen vel adeo praecedentem 1470. annum editionem iſtam referri oportere ex ipſiusmet Io. Ph. de Lignamine Epiſtola, operi *Dominici Cavalcae, Pungilingua* (*Tractato contra el peccato della lingua, ditto Pongie lingua*) inſcripto, ac Romae 1472 a ſe edito, praefixa cognoſcitur. Ibi enim dicit, ſe iam *ſecundum* annum Romae agere, et ab eo impreſſum eſſe Quintilianum, Suetonium, Leonis P. M. ſermones, Lactantium, Ambroſium de Officiis, Laurentii Elegantias, *Horatii Opuſcula* caet. Cf. omnino *Audiffredi* Catal. hiſtorico-criticum Romanarum editionum ſaeculi XV. p. 84. 85. et p. 112 ſqq. ubi de *Io. Phil. de Lignamine* fuſe diſputat. Adde *Laire* Spec. p. 187.

Eodem anno Horatium Neapoli apud Iodocum Hoenſtein 4. prodiiſſe, eiusque exemplum in bibliotheca civica Argentinenſi aſſervari dubia admodum fide tradit *Giuſtiniani* Saggio ſulla tipogr. di Napoli p. 46. Eſt haud dubie a. 1474.

(1472.)

Ad hunc vel proximum annum *Debure Bibliogr. inſtruct.* T. I. p. 312. editionem referendam iudicat, quae ſine loci, anni, et typographi nomine in folio excuſa eſt, hoc ſolo ductus argumento, quod exemplum eius, quod in *Ducis de la Valliere* bibliotheca eſſet, cum editione Catulli, Tibulli, et Propertii principe a. 1472. fol. compactum fuiſſet, illudque integumentum ad ipſa iſta tempora ſpectare videretur, tum quod Horatius iisdem fere typis exſcriptus eſſet, quos Catullus et reliqui haberent. Quae utraque quam levis ratio ſit, facile rei intelligens

telligens perſpiciet. Niſi utique extremo illud exemplum deſtitutum eſt folio (quae res paſſim fraudem fecit VV. DD.), e verbis, Satirarum fini ſubſcriptis: *Q. H. Fl. Satirarum, non indiligenter correctarum et impreſſarum finis*, haud plane abſurde colligas, ex eadem *A. Zarotti* officina iſtum librum prodiiſſe, quum Zarottum et alibi (vid. vel a. 1474.) hac formula uſum eſſe conſtet. In corrigendis autem libris, quos Zarottus evulgavit, *Petr. Iuſtinum Philelphum* operam ſuam contuliſſe, ſatis conſtat. Vid. *Orlandi* p. 101. — Eiusdem editionis exemplum itidem *Catulli* caet. editioni principi annexum in bibliotheca Corſiniana cum notis MSS. A. Politiani extare teſtatur *Laire* (in Spec. typogr. Romanae, Rom. 1778. 8.) p. 186. qui quidem in Catullo caet. *Vlrici Han* characteres agnoſcit. *Maitt.* autem (p. 767.) huius Horatianae editionis characterem ad eum accedere ait, quo Catull. Tibull. Propert. et Statii Silvae Venet. 1475. apud Io. de Colonia et Io. Manthen de Gheretzen excuſae fuerint. Idem duas huius Horatii editiones ſe vidiſſe perhibet adeo ſimiles, ut, qui non attente contulerit, unam facile putaverit; et in altera epiſtolas, in altera Satiras librum claudere, atque illam hac longe correctiorem eſſe.

1474.

Q. H. Fl.: *per Antonium Zarottum Parmenſem: Mediolani* f. 1474.

In fine: *Anno a natali Chriſtiano* 1474. *die XVI. Martii divo Galeazio Maria Sfortia Vicecomite, Inſubrium, Ligurumque quinto duce feliciter regnante Antonius Zarothus Parmenſis cuncta opera Quinti Horatii Flacci non indiligenter emendata. S. carminum libros IIII. Epodon. Carmen ſeculare. De Arte poetica librum I. Sermonum libros II. Epiſtolarum libros II. eleganter atque fideliter impreſſit. Quisquis haec coemerit, nunq̃ poenitebit.* Ita accurate deſcripſit *Laire* (*Ind. Librorum*

ab inventa typogr. ad a. 1500. *Senon.* 1791.) T. I. p. 340. Cf. *Maitt.* I. p. 336. *Orlandi* p. 101. *Pinelli* T. I. p. 325. *Debure Bibl. instr.* T. I. p. 314. *Bibl. Smith.* p. CCXXX. et inprimis *Sax.* p. 561.

Eodem anno idem Zarottus Acronis Scholia primum edidit cum hoc lemmate: *Acronis commentatoris egregii in Quinti Horatii Flacci opera expositio*; et in fine: *Acronis viri quam doctissimi commentaria quam diligenter emendata in Q. Horatii Flacci opera, per Antonium Zarothum Parmensem Mediolani impressa Idibus Sextilibus* f. 1474.

Perperam statuunt, qui textum Horatii his Acronis scholiis a Zarotto adiectum ponunt, v. c. *Debure Bibl. instr.* p. 316. et plerique, qui elenchos edd. Hor. concinnarunt, *Douglas*, *Neuhaus*, *Iani*, *Bipontini*. Vtrumque librum habet bibl. Guelpherbyt.

Q. H. Fl. per Antonium Zarottum, Mediolani 1474. 4.

Laudat eam *Douglas* Catal. Edd. Horatii, et recenset *Morellius* in libris Pinellianis n. 4568.

Q. H. Fl. Carmina, Neapoli 1474. 4.

In fine Odarum haec habet: *Completum est opus Oratii in odis per Arnaldum de Bruxella, Neapoli anno Domini* 1474, *die vero quindecima mensis novembris. Sequuntur Satyrae et Epistolae* (in quarum fine versus extat: *Qui dedit expleri, laudetur mente fideli*) *cum Arte poetica.* Eximiae raritatis haec editio, Maittairio aliisque bibliologis plane ignorata, soliqe Morellio visa. Vid. *Panzer* Annal. typogr. II. p. 155. Vberius eam describit *Giustiniani* Saggio istorico-critico sulla tipografia di Napoli (1793.) p. 46.

Q. H. Fl. Opera, per Augustinum Carnerium: Ferrariae 1474. 8.

In

In fine:

Ferrariae impressit regnante sub Hercule Divo
Regia quo gaudet nunc Lionora viro.
Carnerius puer Augustinus: cui dedit almam
Bernardus lucem Bibliopola bonus.

h. Augustinus Carnerius, Bernardi C. filius. Male plerique *Carnerium* praenomen et *Augustini* (*Agostini*) nomen gentile habent; in quo errore etiam est *Orlandi* p. 137. qui patrem *Bernardo Agostini* vocat. Fraudem VV. DD. fecit metri necessitas, quamquam ambiguitati isti facile ita occurri poterat: *Ferrariae impressi — — Augustinus ego Carnerius: huic* etc. Sole clarius id patefecit ex inscriptione, quae est in fronte carminis Lod. Marii Paruti Ferrariensis in auctoris laudem, quod ultimo folio libri: *Omniboni Leoniceni de VIII. partibus orationis* Ferrariae 1474 (v. *Audiffredi* p. 194.) excusi legitur: *Paruti in Omniboni grammaticam carmen per Augustinum Cannerium Ferr. Bernardi Cannerii bibliopolae filium impressam,* ubi tamen Cannerius audit. Aliunde patrem Ferrariam immigrasse, admodum probabile est; e Belgio oriundum censebat *Baruffaldi* (*Tipograf. Ferrarese p.* 60.), quamquam parum firmo argumento innixus. Idem hanc eius Horatii editionem Mediolanensi priorem habendam esse iudicabat p. 62. Caeterum, quum Maitt. T. I. p. 336. versus illos ex exemplo editionis, quod manibus versavit, afferat, idemque Sermones et de Arte Poetica in eo non comparere affirmet, mancam illam editionem, et e Codice, in quo isti libri deessent, ductam recte suspiceris. Cf. Audiffredi Edd. Ital. p. 232.

1475.

Affertur huius anni editio, Mediolani ab A. Zarotto curata; a *Saxio* in hist. literario-typogr. Mediolanensi, quae *Ph. Argelati* biblioth. SS. Mediolan. praemissa est,

p. 563. e catal. librorum venalium, Venetiis 1735. edito; cuius adeo admodum levis est auctoritas. Anni 1473. illam habet *Panzer* II. 21. quam tamen nullibi memoratam videas.

1476.

Q. H. Fl. Opera, Mediolani fol. 1476.

In fine: *Hoc opus Horatii emendatissimum impressum est opera et impensis Philippi de Lavagnia Mediolanensis anno a natali Christiano* 1476. *die* XVI. *Februarii. Amen.*

Maitt. p. 366. *Orlandi* p. 103. *Sax.* p. 565. *Bibliotheque du Roi, Belles Lettres*, T. I. 298. *Smith.* p. CCXXXI. *Debure Bibl. instr.* p. 315. et *Panzer* II. 22. Elegans et nitida editio, ducta e Zarottiano a. 1474. exemplo, iudice *de los Rios* bibl. instruct. p. 67.

Q. H. Fl. Odarum libri IV. Epodon liber I. Carmen seculare et Ars Poetica, cum comment. Acronis et Porphyrionis curante *Io. Aloysio Tuscano*, et cum eiusdem *Epistola ad Franciscum Helium Parthenopeum* s. loco (Romae) et a. (1476.).

De hac editione ita disserit *Audiffredi* p. 413: Io. Aloysii Tuscani ea fuit cura, ut Horatii carminibus commentarii Acronis et Porphyrionis adiungerentur, quod antea nunquam, ipso testante, factum fuerat. Erunt, inquit in principio suae epistolae, qui inventum hoc nostrum lenocinii reum dicant, quod Odis et Epodis ac Poesi Acronem et Porphyrionem commisceri curaverim. Nec deerunt, qui arguant, hanc rerum mixturam operi religionem ac maiestatem detrahere. Et infra: Eos tamen, qui recte sentient, et libero iudicio censere voluerint, novum hoc commentum nostrum arbitror probaturos. Caeterum qui editionis curam gesserunt, ii fuere *Cneus Sabinus* et *Helius*, uti declarat ipse Tuscanus circa finem epistolae: testis

es

es tu, inquit, qui una cum Sabino nostro in corrigendis redigendisque his voluminibus impensam operam navasti. Ipse vero Helius in fine epistolae responsivae ad Tuscanum sic scribit: „Sed hoc mihi molestum est, quod in his Horatii libris, qui te maxime hortante impressi sunt, non eam, quam vehementer optassem, emendationis diligentiam exhibere potui: at certe quantum in me fuit, et curam omnem et studium adhibui: sed Acronis exemplaria, ut scis, defuere, unum habuimus, nec id satis emendatum; utcunque tamen sit et libenter fecimus, et faciemus de integro." Duae hae epistolae occupant quatrior priora folia, seu exactius paginas VI. et lineas VI. Sequenti quinto continentur duae Horatii Vitae: prima fusior secundum Acronem; altera brevior secundum Porphyrionem. Post haec incipit poeta ipse, cuius singulis lucubrationibus subiiciuntur explanationes, Acronis primo, et deinde Porphyrionis. Tam poetae carmina, quam interpretum explanationes sunt uno eodemque Romano charactere, qui idem prorsus est ac is, quo Barthol. Guldinbeckius a. 1476. *Summam S. Thomae de articulis fidei* impressit. Graeca suis locis inserta sunt; non ubique tamen. Editio splendida est, sine signaturis, numeris, custodibus, ac registro: extatque in bibl. Casanatensi, apud S. M. de Populo, et in bibl. S. M. ad Quercum O. P. P. PP. Viterbii. Hactenus Audiffr. Conf. Maitt. p. 752. et p. 766. Debure bibl. Ducis Vallierii T. II. p. 91. qui tamen opera Horatii omnia isto libro contineri falso statuit. Adde Foss. Catal. bibl. Magliabec. I. p. 802. In Catalogue de la biblioth. du Roi, belles Lettres p. 298. memoratur vetus editio cum commentariis Acronis et Porphyrionis s. l. et a. et circa a. 1480. ponitur; sed haud dubie haec ipsa h. a. est, et exemplum istud forte destitutum erat V prioribus foliis, Tuscani et Helii Parthenopei epp. cum vita Horatii complectentibus.

1477.

1477.

* *Q. H. Fl. Opera, Mediolani* fol. 1477.

In fine: *Hoc opus Horatii impressum est opera et impensis Philippi Lavagniae, civis Mediolanēsis āno a natali Christiano* MCCCCLXXVII. *tertio kl. Maii.*

Maitt. T. I. p. 376. *Orlandi* p. 103. *Sax.* p. 367. Scatet vitiis typographicis haec editio, et subinde totos versus omittit, veluti I. 4. 18. *seu poscat agna sive malit hoedo.*

Q. H. Fl. Opera Tarvisii fol. 1477.

Maitt. I. p. 376. Valde suspecta est haec editio Panzero A. Typ. III. p. 35. Sed *Orlandi* p. 118. diserte memorat impressorem Hermannum Levilapidem (*Lichtenstein*) Colonienſem; qui quidem, vagus caeteroquin artifex, ut eum Orl. vocat, anno isto typographiam Tarvisii exercuit, nam ibidem eodem a. Terentius ab eo excusus fuit. Vid. Maitt. et Orl. ll. ll.

Q. H. Fl. Opera, per Philippum Condam Petri; die XV. Sept. ducante Ioanne Mozenico. Venetiis fol. 1477.

Maitt. p. 376. Dubitat *Debure* Bibl. instr. I. p. 316. de anni nota, et hanc ed. anni sequentis esse iudicat, quod ista eundem diem (XV Sept.) subscriptum habeat; non reputans fraudes typographorum ad ipsa fere artis istius incunabula pertingere, et alteram Venetam a. 1478. forte non nisi ultimo folio ab hac differre. Quamquam non adeo mirum videri debet, edd. brevi intervallo recusas fuisse, quarum non adeo magnus exemplorum numerus inprimi soleret. Memoratur autem huius 1477. anni editio in *Bibl. Harlei.* T. I. p. 179. Adde *Orlandi* p. 29.

1478.

1478.

* *Q. H. Fl. Opera* Venetiis fol. 1478.

In fine: *Horatii opere finis cum magna diligentia. Impressum per Philippus condā petri in ueneciis ducāte Ioanne Mozenico inclito duce* MCCCCLXXVIII *die XV septembris* cum registro.

Maitt. p. 387. *Orlandi* p. 29. *Debure* p. 315. *Pinelli* T. II. p. 325. *Smith* p. CCXXXI. et *Panzer* III. p. 141. Perquam nitida editio, quamquam haud raro mendis typographicis foedata.

1479.

* *Q. H. Fl. Opera Venetiis per Philippum Condam Petri* fol. 1479.

In fine eandem cum praecedente subscriptionem habet, si anni et mensis (*die XVIII. Septembris*) notationem excipias, idemque plane registrum. Vnde Maitt. p. 398. has tres Philippi edd. Venetas sub trium annorum 1477. 1478. et 1479. notatione excusas, unam eandemque esse suspicatur, mutatum tantum anni numerum praeferentem. *Maittairio* accedit *Ernesti* apud Fabric. T. I. p. 406. not. r. *Debure* Bibl. instr. p. 316. et alii. Sed certiora de postremis a. 1478 et 1479. nobis afferre licet, cum utraque nobis ad manus sit. Ac ducta quidem plane est posterior a. 1479. editio ex anni superioris exemplo, adeo quidem, ut paginis eius respondeat, sed novae plane impressionis habendam esse et literarum characteres, paullo pinguiores, et scripturae compendia, partim facta, ubi in altera non essent, partim abiecta, ubi altera haberet, ostendunt. Tum sphalmata prioris editionis passim sublata in ea animadvertas, quamquam vel sic alteram praeferendam putem, accedente in hac novorum sphalmatum amplissimo cumulo. Omnino quam negligenter haec curata sit, ab uno hoc crimine discere licet.

licet, quod in principio l. II. in primam oden inculcata est illa: *O matre pulcra filia pulcrior.* Magna etiam confusio post III. 9. *Donec gratus eram* caet. ubi inscriptionem c. X. *in quemlibet adulterum* sequitur particula carminis XVIII. l. II. *truditur dies die* caet. et sic passim.

Q. H. Fl. Opera Mediolani per Philippum de Lavagnia fol. 1479.

Memoratur haec editio in *Catal. bibl. Thottianae* T. VII. p. 87.

1480.

Q. H. Fl. Epistolarum libri II. Cadomi 1480. 4.

Primum folium habet: *incipiunt epistole Horatii*; et extremum: *Impressum Cadomum* (Cadomi) *per magistrum Iacobum Durandas et Egidium Quijoue anno Domini* MccccLxxx. *mense Iunio die vero* VI. *eiusdem mensis.*

Maitt. p. 407. *Marchand* hist. p. 73. *Orlandi p.* 191. et alii.

1481.

Q. H. Fl. opera omnia cum comment. Acronis per Lodovic. de Strazarolis Tarvisanum recogniti praecedente Porphyrionis in Horatii opera comm. per Raphaet. Regium castigato. Fol. I. b. *Raph. Regii dedicator. ad Aloysium Maurocenum Patritium Venetum, quae data est Patavii Idibus Augusti* MccccLxxxI. In fine commentar. Porphyrion. fol. 50. b. *Pomponii Porphyrionis enarratoris diligentissimi in Horatium commentariorum finis.* Fol. 51. sequitur *Epistola Lodov. de Strazarolis ad Angelum Phascolum Episc. Feltriensem.* Fol. 52. *Acronis commentatoris Egregii in Quinti Horatii Flacci Venusini Opera expositio incipit.* Fol. 3. *Quinti Horatii Flacci Odarum ad Mecoenatem, liber primus.* In fine operis: Τελος. *Quinti Hoatii* (sic) *Flacci omnium operum cum Acronis*

Acronis Dissertissimi commentatoris expositione, adi. *Registro*. Maitt. p. 419. Venetam hanc habet editionem *Pinelli* II. 325. n. 4570. Idem statuit *Gemeiner* (Nachrichten von den in der Regensburg. Bibliothec befindlichen Büchern) p. 222. sed Patavii nomen liquido expressum memorat Bibl. Hulsiana. Vid. *Lengnich. Beyträge* T. II. p. 102. *Gras* typogr. Denkmäler zu Neustift in Tirol aus dem XV. Jahrh. p. 233.

1482.

Q. H. Fl. Opera cum commentariis Christophori Landini Florentiae fol. 1482.

Praecedit Angeli Politiani Ode ad Horatium Flaccum. Hanc excipit Chr. Landini epistola nuncupatoria ad illustrissimum Guidonem Feltrium, magni Federici Ducis filium. Tabula. Praefatio cum titulo: Chr. Landini in Q. Horatii Flacci carmina interpretationes incipiunt feliciter. In fine: Chr. Landini Florentini in Q. Horatii Flacci opera omnia interpretationum finis divino auxilio felix. Impressum per Antonium Miscominum Florentiae Anno salutis MccccLxxxii. nonis Augusti. Errata. Cum foliorum numero in parte inferiori paginarum. *Maitt*. p. 433. *Orlandi* p. 132. *Pinelli* II. p. 326. *Debure* B. Instr. p. 317. *Audiffredi* p. 290. *Mitarelli* Catal. Codd. Bibl. Murianae Append. p. 201. *Foss*. Cat. B. Magliabec. p. 803. *Panzer* I. p. 411. Princeps haec editio, in qua Landini interpretationes adiunctae sunt, certatim deinceps expressa.

Q. H. Fl. Opera, cum Chr. Landini interpretatione, Venetiis fol. 1482.

Landini editionem Florentinam Venetiis eo ipso anno repetitam utique mireris. Vtramque autem hanc, ne in loco errorem factum suspiceris, laudat *Osmont Dictionn. typogr.* p. 358. et possidet Bibliotheca Principalis Furstenbergia

bergia Pragae asservata. Vid. *Hirsching Beschreib.* von Biblioth. Addit. ad T. III. p. 316.

Q. H. Fl. Epistolarum liber Lipsiae 1482. 4.

Extat in bibl. Comitis Solmensis.

1483.

Q. H. Fl. Opera cum commentariis Chr. Landini, Venetiis. fol. 1483.

Praemittitur ad Horatium Fl. Ode Angeli Politiani cum praefatione Landini ad Guidonem Feltrinum. *Sequitur* tabula Vocabulorum, quae in Nostris commentariis Suo Ordine Interpretata Invenies, cum erratis librarii et Registro chartarum. *Ad huius calcem:* Christ. landini florentini in Qu. Horatii Flacci opera omnia interpretationum finis. Divino auxilio foelix. die XVII. maii. MCCCCLXXXIII. fol. 7. opus incipit. *In fine:* Impressum Venetiis per Ioannem de forlivio et socios.

Maitt. p. 443. Orlandi p. 37. Biblioth. du Roi, belles Lettres I. 298. Seemiller Bibl. Ingolst. Incun. II. 119. Panzer III. 190. Bibl. Bunav. I. 308.

Q. H. Fl. Opera cum Landini Florentini commentariis, Venetiis fol. 1483.

Praecedit vita Horatii per Chr. Landinum descripta. *In fine secundi libri Epistolarum:* Chr. Landini florentini in Q. Oratii flacci carmina interpretationes Expliciunt foeliciter. Impressum Venetiis, per Magistrum Reynaldum de Novimagio almanum. anno salutis MCCCCLXXXIII. die VI Septembris. Deo gratias. Amen. Finis *fol.* 159. Chr. Landini Florentini in Q. Horatii Flacci libros omnes ad Illustrissimum Guidonem Feltrium Magni Federici Ducis filium interpretationes Incipiunt Foeliciter.

Maitt.

Maitt. p. 445. *Pinelli* II. p. 325. *Fossi* l. l. p. 803. *Braun.* Notit. libr. II. p. 103. Vtraque haec Veneta repetita e Florentina a. 1482.

1484.

Q. H. Fl. Opera cum notis Variorum Venetiis apud Io. Gryphium fol. 1484.

Memoratur haec editio in *Catal. biblioth. Hulsianae* et *Douglas.* Gryphiorum (*Greiff*) adeo nomen, Reutlinga oriundorum, ad ipsa artis typographicae incunabula adsurgit; nam eodem ipso tempore alium Gryphium, Michaelem cognomine, Ioannis forte fratrem, Reutlingae artem typographicam exercuisse, satis constat. Vid. *Denis* Suppl. Maitt. p. 221. qui Michaelem patrem Sebastiani (adeoque etiam Francisci) habet. Cf. *Lengnich.* Beyträge T. II. p. 103. Notae Variorum autem non aliae esse possunt, quam Acronis, Porphyrionis et Landini.

1485.

Q. H. Fl. Opera cum comment. Acronis et Porphyrionis. In fine: *Impressum Mediolani, per Anthonium Zarotham, Parmensem, impensis Augustini Mariae Conagi* MCCCCLXXXV. fol.

Maitt. p. 463. *Orlandi* p. 102. *Sax.* p. 581. *Panzer* II. 52.

1486.

* *Q. H. Fl. Opera cum comment. Acronis et Porphyrionis. Mediolani* fol. 1486.

In fine: *In officina egregii librarii Antonii Zarotti Parmensis. impendio Alexandri Minutiani Appuli De Sancto Severo haec opa Mediolani impressa sunt. Anno a salutifero Virginis partu sexto et octogesimo supra millesimum et quadringentesimum. Quinto Idus Martias. Iohannis Galeatii Mariae SF. Vic. Sex. Med. Ducis inclyti*

inclyti Regnum foelici gubernante auspicio Lodovico Maria SF. Vic. invictiss. ac sapientiss. Principe. cuius singulari prudentia ocio ac festa pace fere omnis fruitur italia. In epistola ad Magnificum Virum Bartholomaeum Chalcum, quam operi praefixit, magnifice iactat Alex. Minutianus, se Horatii libros studiosissime recognovisse, et ad manum habuisse unicum exemplar, idque, temporum iniuria exesum; tum lubentissime id oneris suscepisse, veritum, ne, si id penitus detrectasset, plurimum de maiestate Oratiana tolleretur, ob temerarium et veluti sacrilegum cuiusdam conatum, qui *recentissimas* in Flaccum interpretationes edidisset. Conagum hunc esse, quem Minutianus tangat, opinabatur Sax. p. 581. satis probabiliter. Scilicet, recentissimae interpretationes sunt Acronis et Porphyrionis a Conago adiectae. Landinum tamen sugillari credebat Gesn. praef. Hor. Caeterum textum fere edd. Venett. deprehendimus. Omnino Minutiani opera in Porphyrione, cuius antiquissimum Codicem nactus erat, expoliendo videtur collocata fuisse.

* *Q. H. Fl. Opera cum comment. Chr. Landini:* in fine: *Impressum venetiis per magistrum Bernardinum de tridino ex monteferrato. Anno salutis.* Mcccclxxxvi. — *Pridie idus Martias*, quod adiiciunt nonnulli, in libro non legitur. Est autem repetita e Florentina Landini a. 1482.

Aliam eiusdem anni Venetam editionem *per Mag. Bernardinum* laudat bibl. Horat. (Lipsi. 1775.), quum priorem *Bernh. de Tridino*, tanquam alius hominis, memorasset; inficeto errore.

1487.

Q. H. Fl. Opera, per Antonium Zarottum, Mediolani fol. 1487.

Nusquam alibi commemoratur haec editio, praeterquam Douglas., cuius fontem indagare non potui.

1488.

1488.

Q. H. Fl. Epodon liber. Liptzk 1488. 4.

Laudat hunc librum Fabric. Bibl. Lat. I. p. 408. et Douglas.

1489.

Q. H. Fl. Opera cum comment. Domitii Palladii Sorani, Venetiis fol. 1489.

Denis Suppl. Maitt. p. 268. Sed recte dubitat de anno *Panzer* III. 277. qui ad a. 1498. editionem deprimendam esse statuit.

1490.

Q. H. Fl. Opera cum commentariis Acronis, Porphyrionis, et Landini. Praemittitur *tabula postillarum, Iohannis Francisci Philomusi epistola, eiusdemque carmen ad Principem Iohannem Sfortiam;* in fine: *Horatii Flacci Lyrici poetae opera: a Georgio Arrivabene Mantuano: diligenter Venetiis impressa: Hic clauduntur. Anno salutis* M. CCCC. XC. *Pridie. Non. Februa. Laus Deo.*

Orland. p. 48. *Maitt.* p. 521. *Crevenna* III. p. 137. *Braun* Notit. II. p. 210. *Lengnich. Beytr.* II. p. 106. *Panzer* III. p. 287. Extat in bibl. Guelpherbyt. Praefuit huic editioni *Io. Franc. Philomusus Pisaurensis,* qui de studio suo Horatio impenso in praef. ita disserit: Ego rem non ingratam nec inutilem me facturum existimavi, si, quae apud Horatium mendose legerentur, industria ac diligentia mea emendatiora redderentur; tresque commentarios, qui in enucleandis huius poetae sensibus praecipue elaborarunt, imprimendos curarem; in quibus etiam corrigendis non minus mihi laboris incubuit. Haec ille. Novae adeo recensionis instar habenda haec editio. Commentariis Ioannis (Georg.) Arrivabeni istam instructam autumabat Fabric. B. L. p. 407. qui

eius impressor tantum fuit. Caeterum Acronem et Porphyrionem in hac ed. primum adiectos fuisse, perperam opinabatur Bentl. in Praef. ed. suae.

Q. H. Fl. Opera: cum comment. Landini, per Io. de Forlivio et socios (Venetiis) fol. 1490.

Q. H. Fl. Opera: impensis Bernardi Resinae Venetiis fol. 1490.

De utraque hac editione parum constat. Prior quidem repetita videtur ex illa 1483. Altera anni demum 1492. videtur; ad quem vide.

1491.

Q. H. Fl. Opera, cum comment. Landini: per Bernardinum de Tridino de Monteferrato, Venetiis fol. 1491.

Maitt. p. 542. Repetita haec editio ex eiusdem impressoris ed. a. 1486.

1492.

Q. H. Fl. Opera cum commentariis Ant. Mancinelli, Acronis, Porphyrii, Christophori Landini, Venetiis fol. 1492.

Praecedit *Antonii Mancinelli ad Pomponium Laetum Epistola.* In fine: LAVS DEO. *Horatii Flacci poetae opera a Philippo pincio Mantuano diligenter Venetiis Impressa: anno salutis* MCCCCXCII. *Pridie Kal. Martii. Bernardino Resina litterarum doctorumque amantissimo pecuniam impendente.*

Orland. p. 48. Maitt. p. 555. Foss. p. 805. Bibl. Bunav. I. 308. Feracissima novae prolis haec editio, cuius textus subinde a Venetis recedit. Alia eiusdem anni cum iisdem commentariis, eiusdemque Bern. Resinae impensis, *Id. Octobr.* eodemque loco excusa memoratur in bibl. Horat. p. 6. cuius auctor saepius in errorem induci

duci se passus est, adeo ut, quum unius eiusdemque exempli editionem nunc breviori nunc longiori titulo commemoratam deprehenderet, diversas statim inde editiones procuderet. Caeterum ducit haec editio ordinem edd. cum IV. commentariis.

Q. H. Fl. Opera cum commentar. Mancinelli, Acronis, Porphyrii et Christophori Landini. Venetiis per Petrum Ioannem de Quarengis fol. 1492.

Orland. p. 53. Maitt. p. 546. *Panzer* III. 325.

Q. H. Fl. Opera, cum comment. Acronis et Porphyrionis, per Anton. Zarottum Parmensem, Mediolani fol. 1492.

Habet Biblioth. Horat. p. 6. Notitiam eius aliunde frustra petas.

Q. H. Fl. Opera, Lipsiae per Martinum Herbipolensem 1492. 4.

edente Io. Cubitensi, qui Angeli Politiani oden ad Horatium et Iacobi Sentini, Ricimensis, de lyricis quibusdam carminibus libellum adiecit. In fine: *Impressum in inclyta civitate Lipsgk per Baccalarium Martinum Herbipolensem anno salutis* MCCCCXCII.

Maitt. Index II. App. p. 526. *Annal. typogr. Lips.* p. 66. *Panzer* I. 477. Curatam de ea notitiam dedit, curatioremque promisit Cl. Seybold in Progr. super Hor. L. III. carm. 3. scripto p. 13. Digna utique est, quum prima in Germania omnia H. complectatur, quae critico acumine exploretur.

1493.

Q. H. Fl. Opera, cum commentario Christoph. Landini (incerto typographo) f. 1493.

Laudat hanc edit. *Maitt.* p. 560. fine teste. Vnde *Panzer* III. 346. de ea addubitat, et annum forte 1483.

per Ioh. et Gregor. de Forlivio substituendum iudicat. Sed recenset *Orland.* p. 62. in iis, quarum impressores haud innotuere. Magis dubia fides est sequentis:

Q. H. Fl. opera cum quatuor commentariis (Acrone, Porphyrione, Landino et Mancinello) Venetiis fol. 1492.

Affert eam *Maitt.* p. 567, et Rutgers. catal. p. 88. neque alibi eam memoratam videas. Vnde Panzer III. 346. satis probabiliter statuit, esse eam vel a. 1492. vel 1494. cum iisdem commentariis.

1494.

* *Horatius cum quattuor Commentariis* (Acronis, Porphyrionis, Landini et Mancinelli). Praemittitur *epistola Mancinelli Veliterni ad Pomponium Laetum.* In fine: *Horatii Flacci poetae opera: a Boneto Locatello Venetiis Impressa: Anno salutis* MCCCCXCIIII. *Pridie Idus martias. Octaviano Scholo litterarum doctorumque amantissimo pecunias impendente.* Ducta haec ex edit. a. 1492. uti haud dubie et sequens:

Q. H. Fl. Opera: impensis Bernardini Resinae Venetiis fol. 1494.

quamquam idoneum eius testem adhuc desidero.

Q. H. Fl. Ars poetica cum notis Fr. Petrarchae f. l. 1494. 4.

Possidebat Petrarcha Codicem H. quantivis pretii, quem in exprimenda A. P. sequutum admodum probabile est.

1495.

Q. H. Fl. Opera, cum quatuor commentariis. Venetiis per Bernardinum de Tridino fol. 1495.

Laudat

Laudat hanc editionem *Soubise* p. 328. et ex eo *Panzer* III. 323. Est haud dubie repetitio ed. a. 1492. e qua etiam fluxere duae, quae sequuntur:

Horatius cum quatuor commentariis, Acronis, Porphyrionis, Landini et Mancinelli. Venetiis fol. 1495.

In fine: *Qu. Horatii Flacci opera: Venetiis impressa. Anno salutis* M. CCCC. XCV. *die* XVI. *februarii.* In ultimo folio conspiciuntur literae B. F. h. *Benedictus Fontana.* Adeantur de ista *Maitt.* p. 595. *Mittarelli* p. 102. et *Bibl. de la Valliere* P. II. Vol. IV. p. 27. *Pray* Catal. Bibl. Bud. p. 518.

* *Horatius: cum comment. Acronis, Porphyrionis, Land. Mancin.* et figuris nuper additis. Venetiis fol. 1495.

In fine: *Horatii Flacci poetae opera: Venetiis impressa per Dominum pincium Mantuanum anno a nativitate Domini* MCCCCV (pro: MCCCCXCV) *die quinto Februarii.* Expressa plane ex ed. a. 1492. servati quoque in dedicatione et in fine commentarii.

1497.

Q. H. Fl. Opera cum quatuor commentariis, Acronis, Porphyrionis, Landini et Mancinelli Venetiis fol. 1497.

Rossi p. 67. et inde *Panzer* III. 424.

1498.

* *Horatii flacci Venusini. Poete lirici opera cum quibusdam annotationibus imaginibusque pulcherrimis aptisque ad Odarum concentus et sententias.* In fine: *Elaboratum impressumque est. hoc elegans. ornatum: splendidum: comptumque Horatii flacci Venusini. lyrici Poete opus. cum utilissimis argumentis: ac imaginibus pulcherrimis: in celebri: libera: imperialique urbe Argentina. opera et impensis sedulis quoque laboribus Providi*

viri Iohannis Reinhardi cognomento Gürninger civis eiusdem urbis Argentinensis: quarto idus Marcij. absolutum vero Anno domini M. CCCC. XCVIII.. Curavit hanc editionem *Iacobus Locher*, Poeta laureatus, idemque Professor Gymnas. Friburg., quam iure inter principes referas, quandoquidem non ex Italicis exemplaribus, sed e Codd. in Germania custoditis, iisque satis probis eam ductam esse apparet. *Epigrammata Iac. Locheri* sequitur eiusdem *epistola ad Carolum Marchionem Badensem*, in qua in Germanorum laudes bellicas pariter ac togatas expatiatur; hanc excipiunt *Vita Horatii compendiosa*, duo eiusdem *carmina* (quamquam laureato poeta parum digna), *tabula metrorum* et *directoria vocum et sententiarum*. Epistolae Locherus subscripsit a. 1497.; unde passim hunc impressionis annum memorari videas. Afferunt quoque Argent. a. 1499. quae nec ipsa a nostra diversa videri debet. Cf. *Seemiller* fasc. IV. p. 101. *Hupfauer* Druckstücke aus dem XV. Jahrh. p. 204.

Eodem hoc anno Venetiis quater Horatius recusus est, et quidem:

Q. H. Fl. Opera, per Georg. Arrivabene fol. 1498.

* *Horatius cum quatuor commentariis* (*Acronis, Porphyrionis, Mancin. et Landini*); in fine: *Horatii flacci poetae opera: Venetiis impressa: Anno salutis* MCCCCXCVIII. *die* XIII. *Iulii.*

Denis suppl. 447. Satis obvia haec editio. Tum:

Q. H. Fl. Opera, cum commentar. Acronis, Porphyrionis, Ant. Mancinelli, et Chphori Landini. Venetiis, per Simonem Ticinensem cognomento Bibilaqua fol. 1498.

Denis suppl. p. 447. Denique:

* *Horatius cum commentariis Antonii Mancin. et insuper Acronis, Porphyrionis et Landini.* In fine: *Horatii*

ratii Flacci poetae opera per Iohannem alutysium de varisio Mediolanensem. Venetiis impressa. anno salutis MCCCC. LXXXXVIII. *die* XVIII. *iullii.* fol.

Maitt. p. 662. *Mittarelli* tamen p. 292 habet: *die* XXIII. *mensis Iulii*; quocum facit *Orland.* p. 58. et exemplum Biblioth. Acad. Gotting. (quod etiam in fronte simpliciter habet: *Horatius cum quatuor commentariis*) Ductae autem hae omnes praeter primo loco memoratam Arrivabeni editionem, quae forte eiusd. edit. a. 1490 repraesentat, ex ed. Veneta a. 1492.

Q. H. Fl. opera: cum comment. Christophori Landini, Argentorati fol. 1498.

Dubiae admodum fidei haec editio, melioribusque bibliologis prorsus ignorata.

Horatii Odae cum argumentis et tabula legum carminis, Parisiis 1498. 4.

Orland. p. 346. *Maitt.* p. 662.

Q. H. Fl. Libri IV. Carminum, Lipsiae per Iac. Thanner 1498. 4.

Praecedit *Io. Honorii Crispi Cubitensis Ode et Nic. Perotti Commentatio de Odis Horatii.* In fine: *Impressum Lipcz per Iacobum Thanner Herbipolensem, anno Salutis Christiane* M. CCCC. LXXXXVIII. *die septimo Iulii.* Cf. Freytag Apparat. II. p. 1350. et Denis Suppl. p. 447.

Q. H. Fl. Carmen Epodon, per Iac. Thanner, Lipsiae 1498. 4.

Editionem curavit idem *Io. Honor. Crispus Cubit.* Extat in Bibl. Moeno-Francofurt. et Comitis Solm. Cf. *Maitt.* p. 662. n. 6. *Leich.* Annal. Lipf. p. 72.

Q. H. Fl. Carmen seculare cum Ioannis Sentini de quibusdam lyricis carminibus tractatulo, Lipsiae 1498. 4.

Fabric. B. L. Ern. I. p. 408.

* *Horacy flacci venusini. poete censory poetica ad pisones* (per Iac. Thanner, Lipsiae) (1498) 4.

Freytag Adpar. litt. II. p. 1350. *Meusel Magaz.* III. 151. Eadem forte, quae Maitt. Ind. II. App. 526. Bibl. Bunav. I. p. 312. Hulf. p. 521. et Leich. Annal. Lipf. p. 104. memoratur. In fronte et in fine leguntur carmina lyrica Magistri Hinrici Northemensis.

* *Q. H. Fl. Epistolarum liber. Liber Epistolarum Horatii ad Lectorem: Disticha* 3. Haec in fronte fol. I. a. In fine: *Liptzk impressum a Jacobo Thanner.* (1498.) 4.

Rarissimus hic libellus extat quoque in bibl. Panzeri (Cf. eiusd. Annal. I. p. 504) et Harlef. Vid. Bibl. Sartaziana P. II. p. 172. Etiam in Bibl. Guelpherbyt. extare audio.

Separatim hos Horatii libellos a Thannero excusos evulgatosque fuisse testatur subscriptio cuique subiecta. Quum autem mox, ut iustum volumen explerent, coniungerentur, turbatum inde mirum in modum est a bibliographis, alios ex his complectentibus (ut *Maitt.* p. 662. Art. Poet. Epod. et Carm. Saec.) alios seorsim commemorantibus. Monendum hoc, ne diversae iterataeque istos impressionis habeas. Idem dicendum de sqq. Martini Herbip. edd.

Q. H. Fl. poetarum institutiones ad Pisones, et Epistolarum liber I. et II. per Martinum Herbipolensem, Lipsiae, die ult. mens. Ianuarii. fol. 1498.

Praemittitur *Io. Honorii Crispi Cubitensis epistola ad Matthaeum Lupinum.* Repetitio ed. 1492. ab eodem curatae. Maitt. p. 662. not. 6. Leich. p. 72. Eosdem Horatii cum *Sermonibus* libellos idem forma 4. dedit, quamquam nec loci nec anni mentione facta, (vid. *Denis* Suppl. p. 588.) item *Carminum* Libri. IV. cum insigni Martini Herbip. qui extant in Acad. Gotting. Bibliotheca. Affertur etiam eiusdem

Q.

Q. H. Fl. Epistolarum liber primus, in cuius fine est: *finit foelicitet*, absque anni et loci nota, sed iisdem Martini Herbip. characteribus in 4. impressus, *Panzero* IV. 346. n. 320. quae pro priore parte alterius huius ed. utique habenda videtur. Cf. *Fabric.* B. lat. I. p. 407. *Ern. Hupfauer* Druckst. p. 273.

Q. H. Fl. Carmen seculare. In fine: Impressum est hoc carmen seculare horatii Lipczk per Iacobum Thanner Herbip. *a. d.* M. CCCC. XCVIII. *die III. Augusti.* 1498. 4.

Extat Beuerbergi. Vid. *Hupfauer* lib. laud. p. 205.

1499.

Q. H. Fl. Opera cum comment. Acronis, Porphyrionis, Landini et Mancinelli. Venetiis sumtu Io. de Tridino die IV. Novembris fol. 1499.

Orland. p. 52. *Maitt.* p. 658.

Horatii Poemata, cum subtilissima Acronis interpretatione s. l. 1499. 4.

Maitt. p. 707. Eadem videtur cum sequ.:

Sermonum Horatii familiare commentum cum Acronis subtilissima interpretatione. Tum: *Epistolarum Horatii familiare commentum cum Acronis subtilissima interpretatione.* In fine: *Impressum est hoc et sermonum opus per Nicolaum Wolf Lutriensem. anno* M. CCCC. XCIX. *ad idus Martias.* fol. min. Vid. *Denis* Suppl. p. 466. Pro eadem habenda est, quae ab eodem Wolfio, eodemque anno in 4. excusa perhibetur.

Q. H. Fl. Epistolae, Sermones et institutiones poeticae per Iac. Barynum s. l. et a. (Lipsi. 1499.)

Vid. Catal. Bibl. Schwarz. P. II. p. 58.

1500.

1500.

Q. H. Fl. de arte poetica Opusculum aureum, ab Ascensio familiariter expositum, et recentius regulis prosaicis auctum, Parrhisiis, V. Idibus Sept. 1500. 4.

Q. H. Fl. Satyrae et Epistolae cum commentario Acronis et Badii Ascensii, Parisiis 1500. 4.

Maitt. p. 741.

Q. H. Fl. Odae, impensis Petri van Os. Zwollis 1500. 4.

Q. H. Fl. Epistolae. Francof. 1500. 4.

Edd. huius saeculi, temporis nota destitutae.

* *Q. H. Fl. satyricorum omnium principis Sermones, exactissime iam pridem exarati.* In fine: *Hic finiunt libri Sermonum Horatii, impressi Colonie in officina literaria ingenuorum filiorum Quentell ad Maium. mendis etiam pluscules tersi.* s. a.

Rarissimus hic libellus vel ad finem saec. XV vel ad initium sequentis omnino referendus videtur.

Horatii Sermonum s. Satyrarum libri, Epistolae et Odae. 4. s. l. et a.

Bibl. Hulf. p. 522.

Horatii Epistolae familiari commento a Iodoco Badio Ascensio auct. et recogn. cum Philippi Beroaldi ac Angeli Politiani annotatt. 4. s. l. et a.

Eadem Bibl. Hulf. ibid. Est forte a. 1500.

1501.

Q. H. Fl. Opera, Impendio Alex. Minutiani, Mediolani fol. 1501.

Repetita ex ed. a. 1486.

Q.

Q. H. Fl. Poemata, in quibus multa correcta sunt, et institutiones suis locis positae commentariorum quodammodo vice funguntur: ex recognitione Aldi, cum metrorum generibus et emendationibus. In fine: *Venetiis apud Aldum et Andrueam Socerum, mense maio. Id genus characteres decennium ne attingito. Libros huiuscemodi litterulis excusos neu impressito neu vendito.*

1501. 8.

De hac et caeteris edd. Aldinis vid. supra p. XLIV. Expressa est typis minoribus, *currentium* nomine insignitis. Caeterum editionem Brixiensem Horatii hoc anno evulgatam laudat Bibl. Horatiana, qua fide, non dixerim. Dubitat quoque *Panzer* VI. 338.

1502.

* *Horatius ita emendatus: ut eius interpretes non multum desideres Lector candidissime.* In fine: *Mediolani apud Alexandrum Minutianum.* M. DII. *Pridie cal. Decembr.*

Vana haec emendatioris lectionis professio; nam Venetam anni 1492 fere expressam deprehendimus.

Horatius recognitus per Philippum Beroaldum: impressus Bononiae per Benedictum Hectoris, Bibliopolam et Impressorem elegantissimum. Anno salutis MDII. *Kal. Novemb.* fol.

Memoratur haec editio soli auctori libri: *Dictionnaire Bibliographique historique et critique* T. II. p. 50. Nihil certi igitur de ea pronuntiare licet.

Q. H. Fl. Epistolarum liber. In fine: *Epistole Horatii Flacci, poete clarissimi, a Iacobo Thanner Herbipolensi diligenter Liptzk impresse hic clauduntur. Anno salutis secundo supra quingentesimum et millesimum.* 4.

Gesner

Gesner Biblioth. p. 8. et inde *Panzer* VII. 142. Bibl. Princip. Furstenbergii, quae Pragae est. Vid. Hirsching. Addit. ad T. III. p. 316.

1503.

Horatii Ode. Carmen Epodon et seculare cum exactissima Antonii Mancinelli, et cum familiari Jodoci Badii Ascensii explanatione. Venundantur Parrhisiis in vico divi Iacobi a Dionysio Roce sub divo Martino et in monte Sancti Hilarii sub leunculis aureis. In fine: *accuratione Ascensiana compressa ad* XV *Calendas Julias anni* MDIII. Sequitur *De arte poetica libellus. Ascensii opera ad idus septembr. anni* MDIII. — *Sermones et Epistole Quinti Flacci Horatii cum — explanatione Iodoci Badii — parrhisii in regione divi Iacobi* caet. In fine: *accuratione ipsius Ascensii ad Quintum Calendas Septemb. anni huius* MDIII. fol.

Maitt. II. p. 164. *Thott.* Catal. VII. p. 88. Est haec prima Ascensiana, e Veneta a. 1492 potissimum ducta.

Ode Horatii fideliter emendate cum breviusculis argumentis et tabula perfacili, qua lex carminis cujuslibet Odes clarissima redditur, cum insigni typographi JEAN PETIT. In fine post *Iohannis Parvi epistolam et Tabulam universas horatii odas metiri facillime docentem: Ode Horatiane fideliter emendate sumptibus Iohannis parvi parisiensis bibliopole, felici fine consummate sunt Kal. Februariis Anno a natali salutifero Millesimo quingentesimo tertio.* Sequitur *Iohannis Chappuis bituricensis epistola ad lectorem.* 4.

Rarissimae huius editionis a nemine adhuc excitatae, exemplum possidet Panzer. Vid. Annal. eius T. VII. p. 505. Expressa est haud dubie ex editione Paris. anni 1498. Quum puerorum usibus ea destinata fuisset, mirandum non est, tam raro hodie eam inveniri. Idem dicendum de sequ.:

Q.

Q. H. Fl. Opera: cum notis A. Mancinelli et familiari Iod. Badii Ascensii explanatione. In fine: *Ad V. Calend. Sept.* MDIII. *in nobilissimo Parrhisiorum gymnasio:* IEHAN PETIT 1503. 4.

Maitt. Ind. p. 504. Eadem haud dubie, quae in Bibl. Harl. I. p. 180. memoratur

Q. H. Fl. Opera: cum notis Tib. Claud. Donati. Argentorati fol. 1503.

Laudat *Bibl. Horatiana* p. 11. et inde *Panz.* VI. 30.

Horatii opera. In fine: *Impressum hoc opus Florentiae, impensa Philippi Bibliopolae, Anno salutis millesimo quingentesimo tertio, quinto nonas Octobris, Petro Soterino Vexillifero foelicissimo.* 8.

Bandini Iuntarum typographiae annal. II. p. 5. *Maitt.* Ind. p. 561. Est haec prima Horatii Iuntina. Praecedit Benedicti Philologi nuncupatoria, docto iuveni Philippo Nerlio inscripta.

Terentianus de litteris, syllabis et metris Horatii. Venetiis per Ioannem de Cereto de Tridino, alias Tacuinum 1503. 4.

Debure Catal. des Livr. du Duc de la Valliere P. I. T. II. p. 93.

1504.

Q. H. Fl. Sermones, per Greg. Laticephalum Lips. 1504. 4.

1505.

Q. H. Fl. Opera, Ascensianis asteriscis illustrata: in aedibus Ascensianis ad tertium Idus Ianuar. Paris. 1505. 8.

Altera haec Ascensiana. *Maitt.* II. p. 174. *Panzer.* VII. p. 512. Sequitur tertia Ascensiana:

1506.

1506.

Q. H. Fl. Opera: cum notis Ascensii, Parisiis 1506. 4.

1507.

Horatii Epistolarum liber. Liptzk 1507. 4.

Bauer Supplem. III. p. 117. *Panz.* VII. 161. Vterque auctorem affert *Pray* Catal. p. 517. habet Bibl. Guelpherbyt.

1508.

* *Horatii Fl. Opera, cum quatuor commentariis Porphyrionis, Acronis, Landini, Mancinelli.* cum signo Io. de Lignano. *Impress. Mediolani per magistrum Leonardum Pachel anno domini* M. CCCCC. VIII. *die* XXIII. *Augusti.* fol.

Maitt. Ind. I. p. 504. *Thott.* VII. p. 88. Bibl. Bunav. I. 309.

Epistolæ HORATII. *Impressum Liptzk per Baccalaureum Wolfgangum Monacensem* 1508. 4.

Nomen impressoris est *Wolfgang Strockel.* Vid. *Bibl. Hor.* p. 12. De ipsa editione adi *Gesner* Bibl. p. 30. Leich. p. 87. *Bauer* Suppl. T. III. p. 117. et *Panzer* VII. p. 162.

Q. Horatii Flacci Sermones. Francophordiae 1508. 4.

Horatii Institutiones ad Pisones, seu ars poetica, una cum duobus carminibus eiusdem de fragilitate vite humane ad Torquatum et ad Posthumum. Lipsiae 1508. 4.

Reperitur haec editio in Catal. *Pray* I. p. 517. Cf. *Panz.* Ann. VII. p. 163.

1509.

1509.

Q. H. Fl. Opera cum quatuor commentariis, et figuris nuper additis: impress. Venetiis per Philippum pincium Mantuanum anno MDIX. *die* XVI. *Maii.* fol.

Expressa ex ed. a. 1492.

* *Q. Horatii Flacci poemata, in quibus multa correcta sunt, et institutiones suis locis positae, commentariorum quodammodo vice funguntur. — Vndeviginti metrorum genera, et quaenam sint, et e quibus constent pedibus, et ante volumen simul habentur, et intus in volumine suis locis. — Adnotationes nonnullae in toto opere, in quibus vel aliquid mutandum ostenditur, vel cur mutatum sit, ratio redditur.* In fine: *Venetiis apud Aldum Romanum mense Martio.* M· D· IX· 8.

Multo emendatiorem quidem hanc secundam editionem melioremque priore ante VII. annos curata in *epistola ad Iasredum Carolum Ict.* iactat Aldus; si tamen loca, ab ipso inter corrigendum notata et isti epistolae subiuncta consideres, parvi utique momenti habenda sunt, quae novae huic editioni accessere. Sic v. c. Epod. XVII. 52. *exĭlis* non *exīlis* pronuntiandum monetur.

1510.

Q. Horatii Flacci Epistolarum liber. Lipsiae per Baccalarium Wolfgangum Monacensem 1510. 4.

Leich. p. 89. Repetita ex ed. a. 1508.

1511.

Q. H. Fl. Opera cum Mancinelli et Iod. Badii Ascensii commentariis. Venundantur Parrhisiis in vico divi Iacobi ab Ioanne Parvo Dionysio Roce et ipso Ascensio. In fine Od. et Epod.: *Habes itaque lector Q. H. Fl. Odas, Epodon et seculare carmen cum duplici commentario diligenter accuratione Ascensiana rursus impressa*

ad nonas Septemb. MDXI. Ad calcem Artis poeticae: *haec rursus in aedibus Ascensianis ubi cum ceteris operibus horatianis venundantur in via divi Iacobi et in aedibus Ioannis Parvi ac Dionysii Roce: finita ad Kalen. Octob.* MDXI. Sub finem: *Impressa est rursum haec Horatiana poesis accuratione ipsius Ascensii in nobilissimo parrhisiorum gymnasio; ad Quintum Idus Octob. anni huius* MDXI. fol.

Ascensianae secundae nomine haec venit editio, ad priorem fere expressa. Extat in Bibl. Gymn. Bipont. Bibl. Bunav. I. 309.

Q. H. Fl. poemata, in quibus multa nuperrime (Ald. sec. a. 1509.) *correcta sunt, et institutiones suis locis positae commentariorum quodammodo vice funguntur. Vndeviginti metrorum genera, et quaenam sint, et e quibus constent pedibus, et ante volumen simul habentur, et intus in volumine suis locis. Annotationes nonnullae in toto opere, in quibus vel aliquid mutandum ostenditur, vel, cur mutatum sit, ratio redditur. Die* XXVI. *Februar. s. l.* (*Lugduni*) 1511. 8.

Bibl. Hulf. (III. 440.) et O. S. Bened. ad Emmer. Ratisb. (Catal. P. IV. p. 301.). Curata putatur haec rarissima editio per Simonem Carpentarium, Lugduni, propter literarum *currentium* cum Plauti et Quinctiliani Carpentarianis, Lugduni factis, editionibus, et quod insigne idem in capite praeferat, teste Fabric. Bibl. lat. I. p. 408. Textum quidem habet Aldinum, sed subinde e Codd. correctum. Sic I. 25. extr. editum est: *Dedicet Euro* pro: *Hebro.* Dolendum adeo, hanc nondum critico acumine excussam esse.

Circa hunc annum prodiere: *Matth. Bonfinis*, Asculani, in Horat. 1 5. Annotationes. Impress. R. (Romae) in regione Parionis per M. Stephanum Guillereti de Lothar.

Lothar. et Herculem de Nanis de Bononia ſocios. 4. Vid. Bibl. Firmiana T. V. p. 227.

1512.

Horatius cum quattuor Commentarius (ſic) *videlicet Porfirio, Acrono, Oratio, Landino, Mancinello.* In fine: *Impreſſum Mediolani per Magiſtrum Ludovicum de Bebulco Anno Domini* MDXII. *die* XXVI. *Auguſti* fol.

Expreſſa plane ex ed. a. 1508. *Maitt.* II. p. 238. *Goetz.* Memorab. bibl. Dresd. I. p. 518.

Q. H. Fl. Epiſtolarum libri II. *Lipſiae per Melchiorem Lotter* 1512. 4.

Leich. p. 92. Thott. Catal. VII. p. 201.

Q. H. Fl. Epiſtolae. Impreſſum Lipſiae per Iacobum Thanner 1512. 4.

Recuſa edit. a. 1499.

1513.

Q. H. Fl. Opera: apud Henr. Stephanum, Pariſiis 1513. 12.

Male Rob. Steph. praefert Hulſ. Bibl. p. 439. T. III.

Q. H. Fl. — Lipſ. 1513. 4.

Hirſching Addit. ad Deſcript. bibl. T. III. p. 316. in Princip. Furſtenberg. Bibl. Pragae extare ait; non tamen addit, quos Horatii libros complectatur. Audio nunc, eam Guelpherbyti aſſervari, et Epiſtolarum Libros II. continere.

1514.

Q. H. Fl. Opera: cum quatuor commentariis, per Auguſtinum de Zannis de Porteſio die XV menſis Octobris fol. 1514.

Maitt. II. 259.

Q. H. Fl. Liber Epistolarum. Eiusdem de Arte Poetica. Multa praeterea hic sunt correcta, vel mutata ad exemplar Aldi. Lector eme, lege, et iudicabis. Fol. 2. *Hieronymus Gebwiler Matthiae Schurerio S. D.* In fine: *Ex aedibus Schurerii, mense Februario Anno* M. D. XIIII. 4.

Argentorati excusam fuisse ipsum Schurerii nomen abunde adstruit. Vid. *Panz.* VI. 66. qui ipso exemplum eius possidet. Ductam censent ex ed. Lugdunensi 1511.

Q. H. Fl. Poemata nuper quam accuratissime castigata, et in quibus multa sunt addita ad eorum declarationem spectantia. Eiusdem *omnia metrorum genera, quae sint, quibusque constent pedibus, ante, et intus suis in locis adposita. Permutata quaedam in toto corpore, et ratio etiam reddita, cur singula permutentur.* In fine: *Impressum Florentiae impensa Philippi Iuntae. Anno Salutis* M. D. XIIII. *Mense Februario.* 8.

Est haec Iuntina secunda, ad Aldinum exemplar subinde reformata. Cf. *Bandini* libro I. P. II. p. 56. *Crevenna* III. p. 138 sq. et 205.

Horatii Epistolarum libri II. *cura Wesleri: per Melchior. Lotter Lyptzk* 1514. 4.

Bibl. Altenburg. v. Wilisch. p. 109.

1515.

Q. H. Fl. Epodon liber, eiusdem de Arte poetica, item Epistolarum libri duo. In fronte denique Horatii vita per Petrum Crinitum Florent. Argentorati ex aedibus Schurerii. Mense Ianuario MDXV. 4.

Bibl. Hulf. p. 522.

Q. H. Fl. Venusini Sermonum libri duo, non minori sapientia quam eloquentia instructissimi. In fine: *Hieronymus Victor Imprimebat. Viennae Anno partus uirgi-*

virginei Millesimo supra quingentesimum quindecimo Mense Iulio. 1515. 4.

Extat in Bibl. Vindob. Vid. *Denis* Wiens Buchdruckergeschichte p. 127.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo ad Archetypon Aldi Manutii quam accuratissime impressi. Iudicium in Epistolis de Horatio Rudolfi Agricolae Rheti ad lectorem. In fine: *Viennae Austriae per Hieronymum Vietorem Calcographum, anno partus virginei* 1515. *Mense Martio* 1515. 4.

Praeter alios vv. in fronte hi leguntur iambi argute contexti:

Flaccus, Vietor, Cospus. Ingenio, manu
Scientia. Ingens, dedaleus perspicax.
Haec author, impressor, professor. Naviter,
Graphice, diserte. Fecit, excudit, docet.
Satin haec ementi diximus lector tibi?

Cospum adeo Epp. Horatii praelegisse inde cognoscitur. Vide de hoc libro eundem Virum, multis nominibus venerabilem p. 137.

1516.

Q. H. Fl. Opera, cum commentariis. In fine: *Impressa est tertium haec Horatiana poesis accuratione ipsius Ascensii ad quartum Kalen. Iulias, Parrhisiis* fol. 1516.

Est haec tertia Ascensiana, quam eodem anno Venetiis recusam perhibent, parum explorata fide. Odarum quidem, Epodon et C. S. explanatio est Ant. Mancin. et Bad. Ascens. in caeteros libros solius Ascens. familiarissima extat expositio. *Maitt.* II. 289.

Horatii opera cum notis Petri Pagani Venetiis fol. 1516.

Huius ed. notitiam dat *Bibl. Horat.* p. 15. ut et sequentis:

Q. H. Fl. Ars poetica, sermones duo et Epistolae: per Iohannem Britannicum, Venetiis fol. 1516.

Horatius: impressum Florentiae per haeredes Philippi Iuntae 1516. 8.

Est haec tertia Iuntina, parum cognita. Memoratur in *Catal. Thott.* VII. p. 259.

Q. H. Fl. Odarum sive carminum Libri IV. *Argentorati apud Matthiam Schurerium mense Februario*

Maitt. Ind. p. 503. *Fabric.* Bibl. Lat. I. 408. Idem liber recusus anno sequenti, cuius exemplum affert *Weislinger* in Catal. Biblioth. O. S. Joh. Argentinae p. 112. Vterque autem expressus ex ed. Lugd. a. 1511.

Horatii morales epistolae. Coloniae 1516. 4.

Exemplum possidet Bibl. Guelpherb. Etiam alibi memoratum vidi.

1517.

Q. H. Fl. Sermonum libri duo. Annotationes nonnullae in calce adiectae, in quibus aliquid mutandum ostenditur, vel cur mutatum sit ratio redditur. Argentorati ex Aedibus Matthiae Schurerii. Mense Ianuario 1517. 4.

Repetita haud dubie ex Lugdunensi ed. anni 1511. cum ipso titulo.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo. Lipsiae per Iacobum Thanner 1517. 4.

Recusa ex ed. a. 1512.

1518.

Q. H. Fl. de Arte poetica liber. Coloniae in aedibus Quentelianis 1518. 4.

Q.

Q. H. Fl. morales epistolae. Daventriae ex officina litteratoria Alberti Pafraet 1518. 4.

Vtramque laudat *Bibl. Bunav.* T. I. Vol. I. p. 312. et inde *Bibl. Horat.* p. 16.

Q. H. Fl. poemata cum annotationibus Matthaei Bonfinis. Lugduni sumtibus Bartholomei trot mense Augusto 1518. 8.

Bibl. Schwarz. iun. teste *Panz.* VII. 321. Caeterum male hinc duae editt. factae in *Biblioth. Hor.* et *Fani* recensu.

1519.

* *Opera Q. Horatii Flacci poetae amoenissimi cum quatuor commentariis, Acronis, Porphyrionis, Anto. Mancinelli Iodoci Badii Ascensii accurate repositis. Cumque adnotationibus Matthaei Bonfinis: et Aldi Manutii Romani a Philologo* (Benedicto) *recognitis: suisque locis insertis et ad finem ex integro restitutis. Vaenundantur Parrhisiis in via Iacobaea ab ipso Ascensio.* In fine Epp.: *Impressa est quartum haec Horatiana poesis accuratione ipsius Ascensii in nobilissimo Parrhisiorum gymnasio ad Quartum Calen. Octob. Anni huius* M. D. XIX.

Quarta haec Ascens. ex eiusdem prioribus maxime Venet. a. 1495. fideliter expressa, et tantum *Bonfinis* et *Aldi* notulis locupletata est. Forte haec eadem est, quam Cat. Bibl. Harl. I. p. 179. cum Notis Variorum *Florentiae* editam dicit.

Q. H. Fl. Opera cum quatuor commentariis, Parisiis apud Io. Parvum fol. 1519.

Suspectae fidei haec editio, soli auctori Bibl. Horat. p. 16. memorata. Vid. ad a. 1528.

Q. H. Fl. Opera cum quinque commentariis, Lugduni fol. 1519.

Quintum nimirum locum occupat Ascensii expositio. Sed nec hanc ullibi memoratam reperi, nisi in Bibl. Horat. p. I.

* *Q. H. Fl. Poemata omnia. Centimetrum Marii Servii. Annotationes Aldi Manutii Romani in Horatium. Ratio mensuum, quibus Odae eiusdem poetae tenentur, eodem Aldo authore. Nicolai Perotti libellus eiusdem Argumenti. Venetiis in aedibus Aldi et Andreae soceri, mense novembri* M. D. XIX. 8.

Sequitur plerumque haec editio Aldinas anteriores, quamquam novam recensionem fecisse videri vult Franc. Asulanus, qui in epist. ad Io. Pinum ita de suo labore, ei impenso: poemata ad exactiorem castigationem revocavimus; praeter alios enim, quos plurimos adhibuimus, Andreae etiam Naugerii iudicio non parum multis in locis adiuti, ita mendis omnibus sublatis integra reddidimus, ut vere profiteri possimus, non minus nostro labore tanto authori pristinam dignitatem esse restitutam, quam studiosissimo cuique lectori satisfactum in iis, quae vel obscura vel ambigua ab omnibus in medio relinquebantur. Haec ille. Emendatior utique est caeteris Aldinis, et manifesta vitia (ut I. 11. 2. *Leuconoë* pro *Leucothee*) passim sublata videas.

Q. H. Fl. Poemata — — Florentiae per heredes Philippi Iuntae. Anno Domini M. D. XIX. *Leone X. Ponti. Maxi.* 1519. 8.

Maitt. Ind. I. p. 501. *Bandini* l. c. II. p. 149. *Pinelli* II. 326. Est haec Iuntina quarta. Praecedit *Benedicti Philologi Florent.* epistola ad Phil. Nerlium.

Eiusdem anni edit. *Parisiensem sol. a Nyon et Guillyn* curatam laudant Bipontini nescio qua auctoritate.

1520.

1520.

Horatius cum commentariis: per Guil. de Fontaneto de Monteferrato. Venetiis die VII. *April.* fol. 1520.

Maitt. II. 600. Expressa haud dubie e Veneta aliqua.

Horatius: Centimetrum Marii Servii. Adnotationes Aldi Manutii in Horatium. Metrorum genera in Horatio. Nic. Perotti de metris Odarum Horatii. Basileae in aedibus Andreae Cratandri Mense Decembri 1520. 8.

Extat in Bibl. Norimb. teste *Panz.* VI. 222. Presse sequitur Aldina exempla.

1521.

Q. H. Fl. Odarum liber Primus et Secundus cum annotationibus Pauli Franci. Francof. ad Oderam 1521. 8.

Q. H. Fl. Liber de arte poetica ad Pisones. Ex vetusto exemplari: Summa recognitus cura et diligentia per Valentinum Ecchium Philyripolitanum (Lipsiensem). *Ex officina litteratoria Domini Iohannis Haller, civis et consulis Cracoviensis. Anno a Christo nato* M. D. XXI. XIII. *Kal. Novemb.* 1521. 4.

Rarissimus hic libellus commemoratur in Bibl. Ianociana I. p. 68.

Q. H. Fl. Opera: per Paganinum de Pagan, Venetiis 1521. 12.

Laudant h. edit. *Bipotini*, nescio qua fide.

1522.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo. Ex antiquissimo exemplari: studiosissime recogniti per Valentinum Ecchium Philyropol. Arte vero et impensis Domini Ioh.

Haller, civis et Consulis Cracoviensis impressi. Anno salutis M. D. XXII. *Pridie Nonas Augusti* 1522. 4.

Bibl. Ianociana I. p. 69.

P. Franci Problemata Horatiana per Satiram. Typis Hartmanni. Francof. ad Viad. 1522. 4.

Bipontini p. XXXVI. et *Bibl. Hor.* p. 17.

Q. H. Fl. de divina poetarum arte, non minus elegans quam omni eruditione refertum opus ad Pisones cunctis adprime necessarium. Eiusdem carmen seculare perquam iucundum. Sequitur *Adriani Wolfhardi Transsylvani praefatio ad Lectorem.* In fine: *Viennae Austriae per Ioannem Singrenium. Anno domini* 1522. 4.

Bibl. Vindob. Vid. *Denis Wiens Buchdruckergesch.* p. 230.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo, curatissime impressi. Viennae in aedibus Io. Sin. Anno M. D. XXII. In fine: *Viennae Pannoniae per Ioannem Singrenium Anno Domini* 1522. 4.

Bibl. Vindob. *Denis* lib. laud. p. 234. *Phil. Gundelium* operi praefuisse opinatur.

1523.

Horatii Epistolae: editore Ioanne Caesario in gratiam illustrium discipulorum Antonii et Salentini Comitum Isenburgicorum. Coloniae typis Ioannis Soteris 1523. 8.

Laudat *Hartzhem. Bibl. Colon.* p. 165.

Q. H. Fl. Poemata omnia, studio ac diligentia Henrici Glareani recognita, eiusdem Annotationibus illustrata: quibus et permulta authoris loca hactenus depravata, et commentariorum infiniti errores, vel iniuria temporis, vel librariorum indiligentia, aut sciolorum impostura admissi aut etiam commentatorum oscitantia non animadversi

versi exacto restituuntur iudicio. Adiecta sunt praeterea ubique argumenta et Carminum rationes. Ad haec, alia nonnulla ipsi authori non parum lucis adferentia. Friburgi Brisgoiae 1523. 8.

Descriptum exhibui plenum libri titulum, quo certius tibi de arrogantia hominis constaret. Expressa fere est Aldina 1519. et, ubi eam deserit, temere hoc factum deprehendas. Sexies haec editio dein repetita est a. 1533. 1535. 1536. 1539. 1540. 1549.

1524.

Horatius, Iuvenalis, et Persius. Basileae in aedibus Valentini Curionis. X. Calend. Augustas 1524. 8.

Maitt. Ind. I. p. 502. Bibl. Altenburg. p. 109. De edd. Basill. vide supra p. XLVI. Recusa haec est a. 1527. et 1531.

1525.

Q. H. Fl. Sermonum libri II. cum annotatt. nonnullis in calce adiunctis. Antverp. 1525. 4.

Bibl. Hulf. p. 522.

1526.

Horatii Odae emendatae, cum breviusculis argumentis. Paris. 1526. 4.

Bibl. Hulf. p. 522.

1527.

* *Q. H. Fl. Poemata omnia. Centimetrum Marii Servii. Annotationes Aldi Manutii Romani in Horatium. Ratio mensuum, quibus Odae eiusdem Poetae tenentur eodem Aldo authore. Nicolai Peroti libellus eiusdem argumenti. — Venetiis in aedibus Aldi et Andreae soceri mense septembri* 1527. 8.

Aldina

Aldina quarta ad tertiam plane expressa, neque ulla nova dote instructa. Ipse Asulanus in praef. ait, se hoc egisse, ut non negligentius quam antea eundem authorem emitteret.

* *Q. H. Fl. Venusini poetae amoenissimi — opera cum commentariis Acronis grammatici haudquaquam vulgaris nuper quam accuratissime castigati aeditique* (sic) *ac amplissimo indice illustrati. Basileae apud Valentinum Curionem Calendis Aprilibus Anni* 1527. 8.

Secunda haec Basileensis, in qua studia editoris ad Acronem potissimum limatius exhibendum conversa esse videntur; nam textus conspirat cum priore.

Q. H. Fl. Epodon liber unus. Ad Aldini exemplaris fidem recognitus. Seculari carmine adiuncto. Cracoviae per Matthiam Scharffenberg, anno a virgineo partu Mil. Quingent. XXVII. *Decim. die Novembris* 1527. 4.

Bibl. Ianociana I. p. 48.

1528.

Q. H. Fl. duo Epistolarum Libri, cura Christophori Landini. Antwerpiae per Iohannem Grapheum mense Iulio 1528. 8.

Q. H. Fl. de arte poetica. Antwerpiae apud Iohannem Grapheum mense Iulio 1528. 8.

Vterque liber, rarus admodum, quamquam nullius usus critici, erat κειμήλιον *Schwarz.* iun. teste *Panz.* VI. p. 13.

* *Opera Q. Horatii Flacci poetae amoenissimi cum quatuor commentariis Acronis. Porphirionis. Anto. Mancinelli. Iodoci Badii Ascensii accurate repositis. cumque adnotationibus Matthaei Bonsinis: et Aldi Manutii Romani a Philologo recognitis: suisque locis insertis et ad finem ex integro restitutis. Praemisso amplissimo*

mo in universum opus indice. Venundantur Parrisiis apud Ioannem Parvum, Ambrosium Gyrault et Petrum Gaudoul. In fine Epp.: *Parrhisiis* PETRVS *Gromorsus excudebat Anno a Christo nato* fol. 1528.

Ducta plane ac descripta ad ed. Paris. Ascensianam a. 1519. Praefixa est epist. nuncupatoria *Ascensii* ad *Franc. de Rouhan* cum a. 1519 subscriptione; unde novam *Io. Parvi* eiusdem anni 1519 nonnulli editionem procuderunt; prave arbitror.

Horatii Opera, cum Annotatiunculis in margine adjectis et Nic. Perotti de metris Odarum Horatii libello. Apud Simonem Colinaeum in alma Parisiorum Academia, sub sole aureo, vici divi Ioannis Bellovacensis, mense Octobri 1528. 8.

Maitt. T. II. p. 708. Bibl. Hulf. III. 441. Prima haec Colinaeana, haud dubie ex Aldina aliqua expressa.

1529.

Horatii Opera cum quatuor commentariis: — — sub prelo Ascensiano, Parisiis ad V. *Calendas Sept.* fol. 1529.

Vltima Ascensiana.

Dubiae admodum fidei est Antwerpiana huius anni editio in rationes illata ab auctore Biblioth. Horat. p. 19. quamquam etiam habet Dougl.

1530.

Q. H. Fl. Opera, per Sebastianum Gryphium, Lugduni 1530. 8.

Prima haec Gryphiana, multoties dein repetita.

1531.

Q. H. Flacci, A. Persii, I. Iuvenalis, amoenissimorum exactissimorumque inter Satyricos poetarum opera: Basi-

Basileae, apud Valent. Curionem, Idibus Martias (in praef.) 1531. 8.

Vid. a. 1524. unde textus repetitus videtur, adiectis cuique carmini prolixioribus argumentis. Exemplum huius ed. penes me est. Cf. *Goetz.* Memorabb. I. p. 526.

Io. Murmelii Modi undeviginti Odarum Horatianarum ad iuventutem exercendam, per Fr. Rhodum. Marburgi 1531. 8.

Ex Aldino exemplo ducti.

Q. H. Fl. Opera: cum Nic. Perotti de metris Horatianis libello. Paris. apud Sim. Colinaeum 1531. 12.

Recus. ex ed. a. 1528. *Maitt.* II. 759.

Q. H. Fl. Ars Poetica, cum comment. A. Iani Parrhasii, Consent. studio Bernardini Martyrani, Neapoli 1531. 4.

Saepius inde recusa.

1532.

Melodiae in Odas Horatii Et quaedam alia carminum genera. Earundem argumenta, genus ac ratio. Una cum insignioribus et Odis et Sententiis. TENOR. *Emptori Bibliopola. Forsitan hos rides, Emptor, me vendere cantus* caet. *Francofordiae Chr. Ege.* In fine: *Apud Christianum Egenolphum, Mense Ianuario. An.* M. DXXXII. Sequitur *Discantus, Bassus, Altus.* 8.

Κειμήλιον *Panzeri.* Vid. Ann. VII. 52.

1533.

Q. H. Fl. Poemata omnia studio et diligentia Henr. Glareani, Friburgi Brisgoiae, Kalendis Martiis 1533. 8.

Vid. a. 1523. *Maitt.* II. 791. Castigatiorem priore recognitamque praedicat Glar. in ep. dedicat. p. 7.

Q.

Q. H. Fl. Opera, Lugduni, per Sebast. Gryphium 1533. 8.

Maitt. II. 790. Altera haec Gryphiana. Vid. a. 1530.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo, cum Scholiis Wolph. Anemoecii (Windheim). *Ex officina Henr. Steyner, August.-Vindelic.* 1533. 8.

Laudat *Bibl. Horat.* p. 20.

Q. H. Fl. Ars poetica, cum Trium doctissimorum Commentariis. A. Iani Parrhasii. Acronis, Porphyrionis. Adiecta sunt ad calcem doctissimae Henr. Glareani annotationes. Parisiis, ex officina Rob. Stephani 1533. 4.

Bibl. Harlei. I. p. 180. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 301.

Q. H. Fl. Ars poetica, cum comment. A. Iani Parrhasii Parisiis 1533. 8.

Vid. a. 1531.

Q. H. Fl. Odarum sive Carminum Libri quatuor, et Epodon liber, cum Annotatiunculis quam antea auctioribus in margine adiectis: accessit Nic. Perotti libellus de Metris Odarum Horatianarum. Parisiis, apud Simonem Colinaeum 1533. 8.

Maitt. II. 790. Bibl. du Roi, belles Lettres II. p. 301. Tertia Colinaeana. Vid. a. 1528.

Q. H. Fl. Ars poetica: apud Prigentium Calvarinum in clauso Brunello sub insigni geminarum cypparum. Parisiis fol. 1533.

Maitt. II. 790.

1534.

Q. H. Fl. Epistolae, Satyrae et Ars poetica. Antwerpiae 1534. 8.

Bibl.

Bibl. Horat. p. 21. Curata haud dubie per *Io. Grapheum*. Vid. a. 1528.

1535.

Q. H. Fl. Opera, cum Annotationibus Henrici Glareani, Friburgi, apud Ioannem Fabrum Emmeum Iuliacensem. 1535. 8.

Bibl. Hor. p. 21. quae et sequ. a. 1536. editionem ab eodem impressam laudat.

Q. H. Fl. Opera per Sebast. Gryphium, Lugduni 1535. 8.

Gryphiana tertia. Bibl. Hor. l. l.

Horatii Opera: cum adnotationibus Erasmi, Rhodigini, Politiani, Sabellici, Ioh. Baptist. Pii et Iacobi Bononiensis: collectis a Ge. Pictorio. *Antwerpiae* 1535. 8.

Constipatae sunt in hanc editionem istorum Virorum in Horatium Obss., quae ab iis per Miscellaneorum, Annotationum, antiquarum Lectionum libellos proditae fuerant. Cf. a. 1544. et passim. Habet Bibl. Guelpherbyt.

1536.

Q. H. Fl. Opera cum quinque Commentariis et Annotationibus Aldi Manutii et Matthaei Bonfinis, Venetiis fol. 1536.

Repetitio Ascensianae quintae, cum Landini comment.

Q. H. Fl. Opera: per Sebast. Gryphium Lugduni 1536. 8.

Maitt. II. p. 849. Quarta ista Gryphiana. Eodem anno quarta Glareani, Frib. eiusdem Fabri cura prodiit. Vid. a. 1535.

Q. H. Fl. Opera, per Philippum Romanum Lugduni 1536. 8.

Dougl. p. 4. forte eadem cum anteriori.

* Q.

* *Q. H. Fl. Ars poetica. cum A. Iani Parrhasii, Acronis, et Porphyrionis commentariis, Lugduni* apud Phil. Romanum. 1536. 8.

Dougl. p. 1. Bibl. Hulf. III. 443. Expressa haud dubie e Parisina Stephani anni 1533.

Iodoci Badii Ascensii Commentarii in Epistolas Q. H. Fl., cum Variorum notis. Parisiis 1536. 8.

Idem l. l. et *Bibl. Horat.* p. 21.

1537.

Q. H. Fl. Opera: cum Annotationibus Erasmi, Politiani, Sabellici etc. *Coloniae apud Iohannem Gymnicum* 1537. 8

Repetitio edit. a. 1535.

Q. H. Fl. Opera: apud Franciscum Gryphium, Parisiis 1537. 8.

Maitt. Ind. I. p. 502.

1538.

Q. H. Fl. Poemata omnia: ad castigatissimi cuiusque exemplaris fidem quam accuratissime restituta, Scholiisque doctissimis illustrata. Lugduni apud Sebast. Gryphium 1538. 8.

Gryphiana quinta. *Dougl.* p. 4. Bibl. Hulf. III. 440.

1539.

* *Q. H. Fl. Odarum sive carminum libri* IV. *Epodon liber unus* caet. *Nicol. Perotti libellus — Parisiis apud Sim. Colinaeum* 1539. 8.

Colinaeana quarta. *Maitt.* III. 307.

Q. H. Fl. Opera: ex officina Rob. Stephani, Parisiis 1539. 8.

Eodem anno prodiere:

H. Glareani Annotationes in Q. H. Fl. Friburgi Brisg. 8.

Iodoci Willichii Comment. in Art. Poet. Horatii, Argent. 8. et

Paul. Hofheimeri Harmoniae poeticae, sive Horatii aliorumque poetarum Odae, musicis metris expressae. Norimb. 8.

1540.

Q. H. Fl. Poemata omnia cum quinque Commentantibus, Anto. Mancinello, Acrone, Porphyrione, Ioh. Britannico, nec non Iod. Badio Ascensio, Viris eruditissimis. Centimetrum Marii Servii. Annotationes Aldi Manutii Romani. Ratio mensuum, quibus Odae eodem Aldo authore tenentur. Nic. Perotti libellus de Metris Odarum. Annotationes Matthaei Bonfinis, Asculani suis locis insertae et ad finem ex integro restitutae. Index copiosissimus omnium vocabulorum, quae in toto opere animadversione digna visa sunt. Venetiis, per Venturinum Rossinellum, mense Martio fol. 1540.

Ex Ascensianis haud dubie ducta. Per eundem *Ventur. Rossinell.* Horatius hoc anno octava forma excusus memoratur *Dougl.* p. 4.

* *Q. H. Fl. Poemata omnia, studio ac diligentia H. Glareani recognita — — Friburgi Brisgoiae* 1540. 8.

Sexta Glareani editio (Vid. a. 1523.) cum epist. dedicatoria a. 1533. unde adeo plane expressa est.

Q. H. Fl. Opera, cum annotatiunculis — — apud Sim. Colinaeum, Parisiis 1540. 12.

Maitt. III. 318. Colinaeana quinta. *Osmont.* p. 358.

Q. H. Fl. Opera, — — apud Sebast. Gryphium, Lugduni 1540. 8.

Vid. a. 1530. Sexta Gryph.

Q.

Q. H. Fl. Poemata omnia, doctissimis Scholiis illustrata. per Anton. Dumaeum Antwerp. 1540. 8.

Dougl. p. 4.

Q. H. Fl. liber de Arte poetica. Ex officina Mich. Vascosani Parisiis 1540. 4.

Q. H. Fl. Epistolae, Satyrae et Ars poetica, cum Annotationibus. Antwerp. 1540. 8.

1541.

Q. H. Fl. poemata omnia, cum Nic. Perotti libello de Horat. Od. metris. Venetiis ex officina Erasmiana 1541. 12.

Maitt. III. 330.

Q. H. Fl. Ars poetica, cum explicatione Pomponii Gaurici. Romae 1541. 4.

Bibl. Horat. p. 24.

Q. H. Fl. Ars poetica, per S. Chappelet. Parisiis 1541. 4.

Dougl. p. 4.

Q. H. Fl. Epistolae, ex offic. Roberti Stephani Parisiis 1541. 8.

Bibl. Horat. p. 24. et Hulf. III. 443.

Q. H. Fl. Poemata omnia, doctissimis Scholiis illustrata, Antwerp. apud Io. Hillenium 1541. 8.

Ducta haud dubie ex ed. Antw. a. 1540.

Commentarius in Primam et Secundam Horatii Satyram. Auctore Iulio Aurelio Haurechio, Lessingniensi: accessit eiusdem Paraphrasis in easdem per Anton. Goynum, Antwerp. 1541. 8.

Bibl. du Roi, belles Lettres II. 302.

1542.

Q. H. Fl. Opera, cum commentariis Acronis, Porphyrionis, Mancinelli et Badii. Parisiis apud Ioannem Roigny fol. 1542.

Repetitio Ascensianae a. 1529.

Q. H. Fl. Poemata omnia, cum Scholiis doctissimis, Lugduni apud Seb. Gryphium 1542. 8.

Gryphiana VIIma. Vid. a. 1530.

1543.

Q. H. Fl. opera cum quatuor commentariis Acronis, Porphyrionis, Anton. Mancinelli, Iodoci Badii repositis. Cumque annotationibus Matthaei Bonsinis, et Aldi Manutii, a Philologo (Benedicto) *recognitis suisque locis insertis, et ad finem ex integro restitutis. Praemissoque et aucto Indice. Adiectae in calce libri eundem in Authorem Henr. Glareani Annotationes* caet. *Parisiis in aedibus Qudini Petit* fol. 1543.

Fideliter expressa ex Ascensiana postrema a. 1529. *Maitt.* III. 355.

Q. H. Fl. Poemata, Scholiis brevibus, iisque brevissimis illustrata, apud Ioan. Roigny. Excudebat Io. Ludov. Tiletanus Parisiis 1543. 4.

Maitt. III. 354. Ex anteriori superioris anni forte expressa.

* *Horatius. Nic. Perotti libellus non infrugifer de metris Odar. Horat. Parisiis apud Sim. Colinaeum* 1543. 12.

Maitt. III. 354. Colinaeana sexta eaque ultima.

Q. H. Fl. Ars poetica, cum commentario Viti Amerbachii. Argentorati 1543. 8.

Saepius dein recusa. Vid. a. 1547.

1544.

1544.

Q. H. Fl. omnia poemata cum ratione carminum et argumentis ubique insertis. Interpretibus Acrone, Porphyrione, A. Iano Parrhasio, Anton. Mancinello, nec non Iod. Badio Ascensio. Scholiisque D. Erasmi Roter. Angeli Politiani, M. Antonii Sabellici, Ludovici Cael. Rhodigini, Bapt. Pii, Petr. Criniti, Aldi Manutii, Matth. Bonfinis et Iacobi Bononiensis nuper adiunctis. His nos praeterea Annotationes doctissimorum, Ant. Thylesii Consent. Fr. Robortelli Vtin. atque Henr. Glareani apprime utiles addidimus, Nic. Perotti libellus —. Auctoris vita ex P. Crinito: quae omnia longe politius ac diligentius, quam hactenus, excusa in lucem prodeunt. Venetiis apud Hieron. Scotum fol. 1544.

Quicquid fere intpp. Horat. extabat, e saeculi istius more in hanc edit. collatum est. In textu refingendo non amplius laborabatur; satis habuit editor, anteriorem aliquam, haud dubie Venetam, prelo iterum subiicere. Thylesii notae paullo ante prodierant, cum lemmate: *A. Thyl. in Odas Q. H. Fl. auspicia ad iuventutem Romanam* s. l. et a. 4.

* *Q. H. Fl. Poemata. Ratio mensuum, quibus Odae eiusdem poetae tenentur. Centimetrum Marii Servii. Variae lectiones ex Vetustiss. codicibus. Parisiis ex officina Roberti Stephani, VII. Id. Maii* 1544. 8.

Maitt. III. 372. *Pinelli* II. 326. Varias lectiones non ex anterioribus edd. sed vere e Codd. et quidem, ut videtur, Italicis haustas esse apparet.

Q. H. Flacci opera, per Petrum Crinitum, Antuerpiae 1544. 8.

Dougl. p. 5.

Q. H. Fl. Opera, doctissimorum virorum diligentia recognita Friburg. 1544. 8.

Horatii Epistola de Arte Poetica, cum Iasonis de Nores Cyprii ex quotidianis Tryphonis Cabrielii sermonibus interpretatione. Parisiis apud Matth. David 1544. 8.

Cf. a. 1553. Recusa a. 1554.

1545.

* *Q. H. Fl. Venusini opera — — omnium commentaria — iam denuo castigata addidimus, nempe Acronis et Porphyrionis, item annotationes — H. Glareani, Erasmi Rot., Matth. Bonfinis, Aldi Manutii, L. Coelii, A. Politiani, M. Ant. Coccii Sabellici, Io. Bapt. Pii, Iacobi a Cruce Bonon., Servii Grammatici, Petri Crinitii* In fine: *Basileae per Henrichum Petrum Mense Martio, Anno* M. D. XLV. fol. 1545.

Prima haec Henricopetrina. Textus refert plane anteriores edd. Basileenses Curionis. Eodem hoc anno Horatium cum iisdem commentariis ab eodem H. P. in 4 excusum affert Dougl. p. 5. et inde Bibl. Hor. p. 28. Sed haud dubie error est in forma libri.

* *Q. H. Fl. poemata omnia, ad castigatissimi cuiusque exemplaris fidem quam diligentissime restituta. Parisiis apud Audoenum Parvum, sub intersignio Lilii, via ad D. Iacobum* 1545. 12.

Nitida atque satis correcta editio, vix ulli memorata. Expressa est ex Colinaeana a. 1543. Bibl. Hulf. III. 439.

Q. H. Fl. poemata: ex officina Michaelis Vascosani Parisiis 1545. 4.

Maitt. III. 383. *Pinelli* II. 326. Biblioth. du Roi, belles Lettres. T. II. 298.

Q. H. Fl. Poemata: ex officina Franc. Gryphii, Parisiis 1545. 12.

Maitt. III. 383. *Dougl.* p. 5. Vid. a. 1537.

Q.

Q. H. Fl. Poemata: Lugduni apud Sebast. Gryphium 1545. 12.

Bibl. Hor. p. 28. Spectat forte ad annum sequ.

Q. H. Fl. Opera cum notis H. Glareani et Variorum, Basileae 1545. 4.

Dubiae fidei ed. Habet Bibl. Hor. p. 28. Neque magis constat de sequ.:

Q. H. Fl. Opera: cum commentariis Acronis et Porphyrionis, Basileae 1545. 8.

in eadem Bibl. laudata.

Q. H. Fl. Opera, apud Rob. Stephanum, Parisiis 1545. 12.

Denique hoc anno prodiere:

* *Iodoci Willichii* Resel. Commentaria in Q. H. Fl. Artem Poeticam Argent. 1545. 8.

Bibl. Hulf. III. 443.

1546.

Q. H. Fl. Opera, Lugduni, per Sebast. Gryphium 1546. 12.

Dougl. p. 5.

Q. H. Fl. Opera Lyrica, per Herm. Figulum, Francof. apud Chr. Egenolphum 1546. 8.

Idem l. l.

Q. H. Fl. Poemata scholiis brevibus — — illustrata apud Io. Roigny. Parisiis 1546. 4.

Maitt. Ind. p. 502. Cf. a. 1543.

Q. H. Fl. cum scholiis, Antwerp. 1546. 8.

Bibl. Hor. p. 28. Repetita forte ex ed. a. 1541.

Q. H. Fl. Ars poetica cum Ecphrasi Fr. Philippi Pedimontii. Venetiis apud Aldi filios 1546. 4.

1547.

* *Q. H. Fl. Poemata omnia: Lugduni apud Sebast. Gryphium* 1547. 8.

Gryphiana decima, a nemine adducta.

Q. H. Fl. Poemata — — Antwerpiae ex officina Io. Loei 1547. 8.

Bibl. Hulf. III. p. 440. et *Hor.* p. 29. quae aliam eiusdem a. Antwerpianam laudat forma 12. qua fide, non liquet.

* *Viti Ammerbachii* Comment. in Artem Poeticam Horatii. Argentorati 1547. 8.

Cf. a. 1543. Adiunctus est Willich. comment. in A. P.

1548.

Q. H. Fl. Carminum libri quatuor. per Thom. Richardum, Parisiis 1548. 4.

Dougl. p. 5.

Q. H. Fl. Opera: Venetiis apud Vincent. Valgris. 1548. 8.

Idem l. l. Bibl. Hulf. III. 440.

Franc. Robortelli comment. in aliquot locos Horatii Florent. 1548. fol.

1549.

Q. H. Fl. Opera: cum notis Variorum. Venetiis apud haeredes Petri Ravani fol. 1549.

Dougl. l. l.

Q. H. Fl. Opera: annotatt. Glareani illustr. Frib. Brisgoiae, Excud. Steph. Gravius 1549. 8.

Q. H. Fl. per Seb. Gryphium Lugd. 1549. 12.

Q.

Q. H. Fl. Poemata, cum Scholiis et argumentis ab Henr. Stephano illustrata. Lutetiae ex officina Rob. Stephan. 1549. 8.

Maitt. III. p. 581. Bibl. Hulf. III. 440.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo. Per M. Vascosanum Parisiis 1549. 4.

Maitt. l. l.

Q. H. Fl. Opera cum Annotatt. Erasmi, Sabellici, Pii, Aldi caet. caet. Coloniae 1549. 8.

Conf. a. 1535. 1544. et passim.

Q. H. Fl. Ars Poetica. Apud Guil. Morellium Tillianum Parisiis, id. Maii. 1549. 4.

1550.

Q. H. Fl. Ars poetica, per Vicent. Madium, Brixianum, Venetiis fol. 1550.

Fabric. Bibl. lat. I. 415. *A. M. Quirini* de Brixiana Literatura p. 88. seq.

Q. H. Fl. Ars poetica: Iac. Grifoli interpretatione illustrata: rhetoricos libros ad Herennium nihil omnino ad Ciceronem pertinere per eundem declaratur, Florentiae 1550. 4.

Fabric. l. l. *Dougl.* p. 5. Bibl. du Roi belles Lettres, T. II. p. 302.

Q. H. Fl. Epp. libri II. Paris. per Th. Richard. 1550. 4.

Catal. Bibl. Bodlei. p. 597.

1551.

Q. H. Fl. Opera, per Anton. Vincentium, Lugduni 1551. 1⁹

Dougl. p. 6. Bibl. Hulf. III. 439.

Q. H. Fl. Opera, Lugduni apud Sebastian. Gryphium 1551. 12.

Idem l. l. Bibl. Hulf. l. l.

Q. H. Fl. Opera, Lugduni apud Beringos 1551. 12.

Bibl. Hor. p. 30. Bibl. Hulf. III. 439.

Q. H. Fl. Sermonum seu Satyrarum Libri duo, et de Arte Poetica. Lutetiae ex officina Mich. Vascosani 1551. 4.

Dougl. l. l. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 301.

Q. H. Fl. Sermonum libri duo per Thom. Richardum Parisiis 1551. 4.

Idem p. l.

Q. H. Fl. Opera, cum scholiis M. Antonii Mureti, Venetiis apud Aldum iun. 1551. 3.

1552.

Q. H. Fl. Opera, per Ioh. Loeium, Antwerpiae 1552. 8.

Recusa ed. a. 1547.

Q. H. Fl. Opera, Antwerpiae per Ioh. Gymnicum Antwerp. 1552. 8.

Vid. a. 1537.

Q. H. Fl. Opera, cum M. Antonii Mureti commentariis, Venetiis apud Ald. iun. 1552. 8.

Muretina altera.

Q. H. Fl. Ars poetica: per Thom. Richard, Parisiis 1552. 4.

Dougl. p. l.

Q.

Q. H. Fl. Liber de Arte Poetica, Iac. Grifolii interpretatione explicatus. Nunc primum post Florentinam editionem Lutetiae impressus per Matth. David 1552. 8.

Vid. a. 1550. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 302.

1553.

Q. H. Fl. Opera cum commentariis — — per Hier. Scotum, Venetiis fol. 1553.

Dougl. p. 6. Vid. a. 1544. unde etiam fluxit sequens editio:

Q. H. Fl. omnia poemata, cum iisdem interpretibus *Venetiis apud Petrum de Nicolinis de Sabio* fol. 1553.

Q. H. Fl. Opera, cum interpretationibus Christ. Landini, Venetiis fol. 1553.

Laudat *Bibl. Hor.* p. 31.

Q. H. Fl. Carminum libri quatuor. Ex officina Mich. Vascosani Lutetiae 1553. 4.

Repetitio ed. a. 1545.

Q. H. Fl. Carminum libri quatuor, Epodon et Carmen seculare, per Thom. Richard. Parisiis 1553. 4.

Dougl. p. l. Cf. a. 1548. et 1552.

Q. H. Fl. Ars poetica, cum comment. A. Iani Parrhasii, Venetiis 1553. 8.

Vid. a. 1531. 1533.

Achillis Statii, Lusitani, in Q. H. Fl. Poetriam commentarii; cum textu. Antwerp. apud Martinum Nutium 1553. 4.

Dougl. p. 6. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 303.

* *In Epistolam Q. H. Fl. de Arte poetica Iasonis de Noris, Ciprii, ex quotidianis Tryphonis Cabrielii ser-*

sermonibus interpretatio; — — — Venetiis apud Aldi filios 1553. 8.

Fabric. B. L. I. 416. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 303. Vid. a. 1544.

* *Ioh. Amaritonis Nonet. Commentarius in Epistolas Q. H. Fl. Liber primus. Parisiis excud. Guil. Iulianus* 1553. 8.

Fabric. B. L. l. l. *Dougl.* p. 6. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 302. Male ad sequentem annum referunt.

Q. H. Fl. Ars poetica cum comment. Iasonis de Nores: Venetiis, per Arrivabenum 1553. 8.

Dougl. p. 6. Eadem est cum Aldina h. anni editione, praefixo tantum novo hoc titulo; nam utraque ad manus est.

1554.

Q. H. Fl. Opera. Lugduni apud Sebast. Gryphium 1554. 8.

Dougl. p. 7.

Franc. Luisini Vtin. in Librum Q. H. Fl. de Arte Poetica commentarius. Venet. apud Aldi filios 1554. 4.

Bibl. Ios. Renati Imperialis p. 248. *Dougl.* p. l. qui insuper *I. de Nores* recusam hoc anno Horatii A. P. laudat.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo, per Thom. Richardum Parisiis 1554. 4.

Absoluta his Epp. Horatianorum opp. editio a Th. Richardo curata. Vid. a. 1548. 1551. 1552. 1553.

Q. H. Fl. Opera: cura Ioh. Dousae, Venetiis 1554. 4.

* *Ios.*

* *Ioſ. de Nores* in H. A. Poeticam. Pariſ. Matth. David. 1554. 8.

Bibl. du Roi, belles Lettres II. 503. Cf. a. 1544. et 1553.

1555.

* *Q. H. Fl. Opera, Grammaticorum antiquiſſ. Helenii Acronis, et Porphirionis Commentariis illuſtrata, admixtis interdum C. Aemilii, Iulii Modeſti, et Terentii Scauri Annotatiunculis: edita auctius et emendatius quam unquam antea per Georgium Fabricium Chemnicenſem. Ex Diomedis etiam Obſervationibus indicata in Odis carminum genera ſunt, et menda in iisdem ſublata. Huc quoque accedunt Ioan. Hartungi in omnia Horatii Opera breves obſervationes, quibus docet potiſſimum ubi hic noſter Graecos imitatus ſit.* In fine prioris Voluminis: *Baſileae apud Henricum Petri, menſe ſeptembri, anno* M. D. LV. Alter Tomus comprehendit commentarios *Landini in omnia H. opp. Fr. Luiſini, I. Grifolii et I. de Nores in Artem poeticam; tum annotatt. Eraſmi, Aldi M. L. Coelii, A. Politiani, Sabellici, B. Pii, Iac. a Cruce, P. Criniti et Henr. Loriti Glareani*; cum eadem in fine ſubſcriptione fol. 1555.

Altera Henrico-Petrina (v. ann. 1544.), a Fabric. egregie curata. Hartungus hoc ſaltem laudis habet, quod primus Horatium cum Graecis comparare inſtituerit; quamquam in vulgaribus admodum opera eius continetur. In Bibl. Dresd. extat exemplum h. edit. ab Ge. Fabricio infinitis locis correctum et emendatum. Vid. *Goetz.* Memorabb. I. p. 527.

Eodem hoc anno Baſileae per eundem *Ge. Fabricium* editio Horatii cum comment. Acronis in 4. curata memoratur in *Bibl. Hor.* p. 34.

* *Horatius. M. Antonii Mureti in eundem Annotationes. Aldi Manutii de metris Horatianis. Eiusdem.*

an-

annotationes in Horatium. Venetiis, apud Paulum Manutium, Aldi f. 1555. 8.

Vsus est Muretus Codice vetusto, a Bernardino Lauredano e Flandria sibi misso. Tum Vitam Hor. ex antiquissimo volumine, quod Gandavi asservatur, ab eodem missam adiecit. Caeterum textus sequitur priorem a. 1551.

Q. H. Fl. Opera, cum Scholiis diversorum, Coloniae 1555. 8.

Bibl. Hor. p. 34.

Q. H. Fl. liber de Arte poetica: per Gualtherum Fabricium, Colon. Agr. 1555. 8.

Eadem l. l.

Franc. Robortelli paraphrasis in librum Horatii, qui vulgo de Arte Poetica ad Pisones inscribitur caet. *Basileae per Io. Hervag. Iun.* fol. 1555.

Dougl. p. 7. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 303.

1556.

Q. H. Fl. Poemata, scholiis brevibus iisque doctissimis illustrata, apud Thomam Richard. Parisiis 1556. 4.

Maitt. III. 685.

Q. H. Fl. Opera, cum metrica carminum ratione, et argumentis ubique illustrata, tum etiam Acronis caet. *Annotatt. Colon. Agr.* 1556. 8.

Q. H. Fl. Opera per Mart. Nutium, Antw. 1556. 12.

Dougl. p. 7.

Io. Pauli Caesarii Comment. in XXXII. Q. H. Fl. Odas, Romae 1556. 8.

Recusus a. 1566.

1557.

1557.

Q. H. Fl. Opera, cum Annotationibus Theodori Pulmanni, Craneb. Antwerp. excud. Martinus Nutius 1557. 8.

Sequitur Aldinum textum. Pulmannum pluribus Codd. iisque satis probis instructum hunc laborum profligasse, constat. Vid. supra p.V. et XLVI. Saepius recusa haec editio.

Q. H. Fl. Poemata, cum comment. M. Ant. Mureti — Venet. apud Ald. Iun. 1557. 8.

Q. H. Fl. Opera, cum scholiis, Antw. 1557. 8.

Bibl. Hulf. III. 440. et *Hor.* p. 35. quae eadem Horatium cum commentario *Adr. Turnebi* eiusd. a. Paris. editum affert. Scilicet ex Adversariis eius depromtum puta commentarium.

Q. H. Fl. Sermonum libri duo. Parisiis apud Thom. Richardum 1557. 4.

Dougl. 7. Vid. a. 1551.

Q. H. Fl. Boulierii. Lugd. apud Io. Frellon 1557. 12.

Bibl. Croftsiana p. 93.

1558.

Q. H. Fl., cum Scholiis brevibus: apud Th. Richardum, Parisiis 1558. 8.

Q. H. Fl. Poemata omnia, Parisiis 1558. 8.

Q. H. Fl., cum Scholiis, Lugd. 1558. 8.

Bibl. Hulf. III. 440.

Q. H. Fl. Opera, cura Ioh. Boulierii, Lugduni apud Anton. Vincent. 1558. 8.

Laudat has Bibl. Horat. p. 35. quas omnes ex anterioribus recusas fuisse, vix dubitandum.

Q.

Q. H. Fl. Opera, per Raphaleng. Antwerp. ex officina Plantin. 1558. 12.

Aldina exempla refert textus, saepius dein recusus.

1559.

Q. H. Fl. Poemata omnia — — Venetiis apud Ioa. Mariam Bonellum fol. 1559.

Repetita Veneta a. 1544. cum omnibus commentariis, qui in ista deprehenduntur.

Q. H. Fl. Poemata omnia doctissimis Scholiis illustrata. Antw. ex offic. Io. Loei 1559. 8.

Dougl. p. 8. Vid. a. 1547. 1552.

Q. H. Fl. Opera, Lugduni per Io. Frellonium 1559. 12.

Dougl. l. l.

Denique eodem hoc anno *Muretina* a diversis typographis, variisque locis repetita est, idque *Lugduni per Guil. Rovill.* et *Venetiis apud Aldum.* Quae Lugduni apud haered. Sebast. Gryphii hoc anno curata est editio, anteriores suas sequitur, non Muretinam, ut vulgo putatur. Extat in Bibl. Gotting.

1560.

Q. H. Fl. Epistolae, Sermones et Ars Poetica, Antwerpiae ex offic. Io. Loëii 1560. 8.

Dougl. p. 8.

Q. H. Fl. Poemata omnia, Basileae 1560. 8.

Bibl. Hor. p. 37.

1561.

Q. H. Fl., ex fide atque auctoritate decem librorum Mss. opera Dionysii Lambini, Monstroli emendatus: ab eodem-

eodemque Commentariis copiosissimis illustratus, nunc primum in lucem editus per Ioh. Tornaesium, Lugduni 1561. 4.

Nova Horatii recensio, ad libros Mss. a Lambino facta, certatimque postea repetita.

Q. H. Fl. libri Odarum et Epodon cum scholiis Mich. Bruti. Venetiis apud Ald. iun. 1561. 8.

Recusa a. 1570.

Q. H. Fl., cum scholiis M. Anton. Mureti et Ald. Manut. de metris Horatianis, Venetiis 1561. 8.

Vid. a. 1555.

Io. Bapt. Pignae poetica Horatiana. Venet. apud Vinc. Valgrisium 1561. f. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 303.

1562.

Q. H. Fl. Opera: cum notis Politiani, Sabellici, Manutii et aliorum. Venetiis apud Io. Mar. Bonellum fol. 1562.

Vid. supra a. 1544. 1559.

Q. H. Fl. Ars poetica: Parisiis ex offic. Gabr. Buon. 1562. 4.

Dougl. p. 8.

Q. H. Fl. Epodon liber, per Th. Richard. Parisiis 1562. 4.

Idem p. 9. Cf. a. 1553.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo per Thom. Richard, Parisiis 1562. 4.

Idem l. l. Vid. a. 1554.

Q. H. Fl. Ars poetica: cum Scholiis brevibus sed eruditis, Parisiis 1562. 4.

Bibl. Horat. p. 38. Forte ab eodem *Th. Richardo* curata.

Q. H. Fl. Liber de Arte Poetica, Iac, Grifolii interpretatione explicatus, Venetiis apud Io. Varisium et Socios 1562. 8.

Dougl. p. 8. Vid. a. 1552.

Q. H. Fl., cum notis Acronis et Aliorum, per Ge. Fabricium, Coloniae 1562. 8.

Philiberti Laudenoti, Hedui, Commentarius in L. I. Epistolarum Q. H. Fl. Paris. ex offic. Gabr. Buon. 1562. 4.

1563.

Q. H. Fl. Carminum Libri IV. Epod. et Carmen seculare per Thom. Richard, Parisiis 1563. 4.

Dougl. p. 9. Vid. supra a. 1553. Idem A. P. hoc anno recudit, teste eodem *Dougl.*

Q. H. Fl. Opera per Ioann. Gryphium, Venetiis 1563. 8.

Dougl. l. l.

Q. H. Fl. Opera: cum Annotationibus doctissimorum Virorum. Lipsiae ex officina Ernest. Voegelini, Const. 1563. 8.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo. Leidae 1563. 8.

Bibl. Hulf. III. 443.

Q. H. Fl. de Arte Poetica liber ad Pisones —. Ienae excud. Donat. Ritzenhayn. 1563. 4.

1564.

Q. H. Fl. Opera, cum Annotatt. Mureti, Venetiis apud Ald. iun. 1564. 8.

Vid. a. 1551.

* *Q. H. Fl. Ars poetica, et in eam Paraphrasis et Commentariolus Ioh. Sambuci. Antwerp. ex offic. Plantin.* 1564. 8.

Dougl.

Dougl. p. 9. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 302. Repetit. a. 1569.

Q. H. Fl., cum Scholiis Mureti et animadversionibus Bruti et Aldi Manutii de metris Horatianis, Venetiis 1564. 8.

Dubito an diversa sit ab altera h. a. modo memorata.

Q. H. Fl. Opera cum annotationibus XIV. Virorum doctorum. Coloniae excudebat Petrus Horst 1564. 8.

Vid. supra a. 1556. 1562.

Q. H. Fl. cum Commentario Theod. Pulmanni, Antwerp. 1564. 8.

Ducta ex ed. a. 1557.

1565.

Q. H. Fl. Opera, Lugduni apud haeredes Sebast. Gryphii 1565. 8.

Bibl. Hulf. III. 439

Q. H. Fl., ex fide decem Mss. opera Dion. Lambini Monstrol. Venetiis 1565. 4.

Prima Lambinianae ed. repetitio. Vid. a. 1561.

Q. H. Fl. Carminum liber quartus, ex antiquissimis Mss. Codicibus, cum Commentariis falso adhuc Porphyrioni et Acroni adscriptis: Opera Iac. Cruquii, Messenii, editus; Eiusdem in eundem Annotationes. Brugis Fland. apud Hubert. Goltzium 1565. 8.

Vid. ad a. 1578. quo demum plena Horat. Opp. editio a Cruquio curata est.

1566.

Q. H. Fl. Ars poetica cum explicationibus Ach. Statii Antwerp. 1566. 4.

Recusa ex ed. a. 1553. Eodem hoc anno Horatius Lambini recusus est Venetiis apud Paulum Manutium, Aldi fil. 4. (Catal. de la Bibl. du Roi, belles Lettres II. p. 299.) et Parisiis 8. si fides Bibl. Hor. p. 41. habenda.

Q. H. Fl. Opera ex castigatione Theod. Pulmanni ad Mureti, Lambini, aliorumque editionem atque veteres aliquot libros collatus, et Scholiis e scriptis doctissimorum Virorum collectis illustratus. Antw. ex offic. Plantini 1566. 12.

Prima haec Plantiniana ex rec. Pulmanni. Vid. a. 1557. et 1564.

Q. H. Fl. Opera: Antwerp. per Viduam Loei 1566. 8.

Dougl. p. 10. Vid. a. 1547. 1552. 1559.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo. Parisiis per Gabr. Buonium 1566. 8.

Dougl. p. 10.

1567.

Q. H. Fl., sex abhinc annis — opera Dionys. Lambini emendatus — nunc ab eodem recognitus et cum aliquot aliis exemplaribus antiquis comparatus, multis locis purgatus, iisdemque Commentariis, plus tertia parte amplificatis, illustratus. Parisiis apud Io. Macaeum fol. 1567.

Editio Lambini secunda aliquoties deinde repetita.

Q. H. Fl. Opera, cum Indice Th. Treteri, Antwerp. apud Plantin. 1567. 8.

Adornatus est hic index ad pagg. ed. Antw. apud Gryph. a. 1545.

Q.

Q. H. Fl., cum Annot. Mureti et Aldi Manutii de Metris Horat. Lugduni per (haeredes) *Seb. Gryph.* 1567. 8.

Ducta atque expressa haec Gryph. e Muretina.

Q. H. Fl. poemata, a mendis iterum summa diligentia repurgata, ac doctissimis Franc. Irenici in Artem Poeticam et libros Epistolarum Annotationibus in gratiam studiosae iuventutis illustrata. Adiecta sunt insuper ubique carminum argumenta et rationes prosodiacae. Francof. ad M. apud Georg. Cor. Sig. Feyerabendt 1567. 8.

Weislinger Catal. Bibl. Ord. S. Hierosolymit. (Argentor.) p. 113. Exemplum, quod ad manus est, habet solas Annotatt. Irenici absque textu poetae.

* *Q. H. Fl. liber Epodon cura Iac. Cruquii. Antwerpiae* 1567. 8.

Ant. Hermanni Gogavini Elenchus Omissorum in Horatium poetam. Sablon. 1567. 8.

Bibl. Hulf. III. 443.

Petri Pagani Argumenta in Horatium, Francof. 1567. 8.

1568.

Q. H. Fl. Opera cum metrica carminum ratione, Colon. Agr. 1568. 8.

Vid supra a. 1556. 1562. et 1564.

Q. H. Fl. Opera, cum metrica carm. ratione caet. *Lipf.* 1568. 8.

Recusa ed. a. 1563.

Q. H. Fl. Opera, Basileae per heredes Nic. Bryling 1568. 8.

Sequitur haud dubie anteriorem aliquam ed. Bas. forte a. 1560.

Eodem hoc anno Lambiniana Horatii editio ter recusa est, et quidem Lutetiae apud P. Manut. fol. (teste *Dougl.* p. 10.) Venet. apud eundem 4. et Francof. apud Wechel. 4.

Leodegarii a Quercu Praefatio in Lib. II. Satyrarum Horatii, habita Kal. Octobr. 1563. Paris. apud Dionys. a Prato. 1568. 8.

Bibl. du Roi, belles Lettres II. 302.

Matth. Collinii Harmoniae univocae in Odas Horat. Argent. 1568. 8. Cf. a. 1532. et 1539.

1569.

Q. H. Fl. de Arte Poetica liber, cum brevibus Scholiis, Paris. apud Gabr. Buon. 1569. 4.

Recusus a. 1562. *Bibl. du Roi, belles Lettres* II. 302.

Io. Sambucus in Artem Poeticam Q. H. Fl. Antw. 1569. 8.

Vid. supra a. 1564.

Q. H. Fl. Opera, cum commentariis Acronis, Erasmi, Sabellici et aliorum. Francof. apud Heredes Egenolf. 1569. 8.

Vid. a. 1534. 1544. 1549.

Denique Lambini ed. recusa h. a. Francof. 4.

1570.

Q. H. Fl. Opera, Grammaticorum XL — *commentariis in unum corpus collectis illustrata. Basileae apud Henricpetri* fol. 1570.

Henricopetrina III. Vid. a. 1544. 1555.

Q. H. Fl., cum scholiis A. Mureti et Animadversionibus Bruti. Venet. apud Ald. 1570. 8.

Ducta ex ed. a. 1564.

Q.

Q. H. Fl. Odae et Epodon liber, cum animadvv. I. M. Bruti. Venet. Ald. 1570. 8.

Vid. supra a. 1566.

Q. H. Fl. opera, cum argumentis et Castigationibus Georgii Fabricii. Lipsiae typis Voegelianis 1570. 8.

Eodem anno recusa Lambini editio Antwerp. ex offic. Guil. Silvii, 8.

1571.

Q. H. Fl. poemata, cum argumentis et castigationibus Ge. Fabricii, cum indice Adagiorum. Lipsiae per Io. Steinmannum typis Voegelianis 1571. 8.

Ex eiusd. a. superioris editione repetita. Bibl. du Roi, belles Lettres II. 299.

Q. H. Fl. Opera, ab Obscoenitate repurgata, Dilling. 1571. 8

Q. H. Fl. Poemata, secundum optimas quasque editiones accuratissime castigata: editio haec argumentis singulorum poematum certis, tum Annotationibus copiosis instructa est a Guil. Xylandro. Heidelbergae, apud Io. Maier 1571. 8.

Muretinum exemplum potissimum sequutus videtur Xyl. tum in Annotatt. antiquiores Iutpp. maxime Turnebi Adversaria sublegit.

Lambini ed. eodem a. recudit Antwerp. Guil. Silvius, idem, qui superiore anno dederat, 8.

1573.

* *Q. H. Fl. Satyrarum seu potius Eclogarum libri duo ex antiquiss. Mss. purgati et clarius explicati, opera Iacobi Cruquii, Messenii. Eiusdem in eos Commentarii. Antwerp. ex offic. Plantin.* 1573. 8.

Vid. a. 1578.

Q. H. Fl. Poemata, cum Acrone, Porph. Parrhasio caet. *Venetiis* (*apud I. M. Bonellum*) fol. 1573.

Vid. a. 1544.

Q. H. Fl. Poemata, notis, Scholiis et argumentis illustrata. Venetiis apud Dom. de Farris 1573. 8.

Laudant Bipontini. Iidem afferunt Lugdunensem h. a. in 12.

1574.

Q. H. Fl. poemata omnia doctissimis scholiis illustrata: emendit Guil. Norton. Londini 1574. 8.

Ames typogr. Antiqu. II. 878.

Q. H. Fl., cum Aldi Manutii et M. Ant. Mureti Annotatt. — — Lugduni apud Ant. Gryphium 1574. 12.

E proxima Lugd. a. 1567.

1575.

Q. H. Fl. Epistolae, et in eas praelectiones methodicae Claudii Minois, (Mignault) *quibus artis logicae analysis et moralis doctrinae ratio illustretur. Parisiis, apud Dion a Prato.* 1575. 4.

Dougl. p. 1.

Q. H. Fl. Odae quinque selectae ex Epodon libro. Parisiis 1575. 4.

Repetitae hoc anno edd., *Lambini* Florent. 8. (*Dougl.* l. l.) *Ge. Fabricii* Lipf. typis Voegel. 8. Antwerp. Plantiniana cum indice Treteri (cf. a. 1567.) 8. et Xylandrea Heidelb. 8. e qua Ars poet. sequ. anno ibidem recusa est.

1576.

Q. H. Fl. cum interpretat. et Scholiis Variorum, Venetiis apud I. M. Boncll. fol. 1576.

Vide ann. 1559. 1562. 1573. et 1576.

Q.

Q. H. Fl. Ars poetica, cum commentario I. Sturmii, Argent. 1576. 8.

Aldi Manutii, Pauli f. Aldi n. in Hor. Artem poet. commentarius. Venet. apud Ald. 1576. 4.

Antwerpienſem h. a. 8. e Bibl. Furſtenb. affert Hirſching l. l. p. 316.

1577.

* *Q. H. Fl. poemata, novis ſcholiis et Argumentis ab Henr. Stephano illuſtrata. Eiusdem Henr. Stephani Diatribae de hac ſua editione Horatii et variis in eum obſervationibus.* S. l. (Pariſiis) et a. (1577.) 8.

Eſt prima Stephaniana, bonarum rerum refertiſſima. Vide ſupra p. XLVI.

Q. H. Fl., emendatus, Antwerp. ex offic. Ch. Plantini 1577. 8.

Seorſim recuſae ſunt

* *Theod. Pulmanni Annotatt. in Q. H. Fl., Aldi Manutii Scholia et de metris Horatianis, M. Anton. Mureti ſcholia, Io. Hartungi Annotationes.* ibid. eod.

Nitida et elegans editio, ducta ex ed. a. 1566. In bibl. Leidenſi exemplum extat, H. Caſauboni notulis inſtructum. Vid. Catal. Bibl. Lugd. p. 266.

* *Hadr. Turnebi Comment. in L. I. Carm. Horatii. Eiusdem Turnebi comm. in locos obſcuriores Horatii, ex eius Adverſariorum libris excerptus. M. Ant. Mureti et Aldi Man. in eundem annotationes. Pariſiis, excud. Martinus iuvenis* 1577. 8.

Bibl. du Roi, belles Lettres II. 302.

Eodem anno Lambiniana ed. recuſa Francof. ad M. ex offic. Andr. Wecheli fol.

1578.

Q. H. Fl. ex antiquissimis undecim Lib. M. S. et schedis aliquot emendatus, et plurimis locis cum commentariis antiquis expurgatus et editus, opera Iacobi Cruquii, Messenii. Eiusdem in eundem enarrationes, observationes et variae lectiones cum aliis quibusdam et indice locupletissimo. Antwerpiae, ex offic. Chr. Plantini 1578. 4.

Prima Cruquiana, saepius deinceps recusa, cui libro IV. Odarum et Epodon, tum Satyris evulgatis proluserat. XI Codd. Cruquius se comparasse memorat, de quibus v. sup. et de eius Commentatore antiquo p. XLVII.

Q. H. Fl. Poemata omnia doctissimis Scholiis et novis aliquot annotatiunculis illustrata. Londini apud Guil. Norton et Io. Harison. 1578. 8.

Ames typogr. Antiqu. II. p. 879. Cf. a. 1574.

Q. H. Fl. Poemata, illustrata argumentis et castigationibus. Lipsiae 1578. 8.

Repetit. ed. a. 1575.

1579.

* *Q. H. Fl., — — opera Iac. Cruquii, Antwerp. ex offic. Ch. Plantini* 1579. 4.

Vid. a. praeced.

Q. H. Fl., cum Scholiis et Argumentis Venetiis 1579. 8.

Bibl. Hulf. III. 440.

Q. H. Fl., Lambini, cum Adr. Turnebi comment. Lutetiae, apud Io. Macaeum fol. 1579.

Vid. a. 1564.

Hugol. Martelli Comm. in Odam II. Libri IV. Carm. Horatii. Florent. apud Iuntas 1579. 4.

Bibl.

Bibl. du Roi, belles Lettres II. 302. Bibl. Firmiana V. 227.

1580.

Repetitae hoc anno edd.

* *Henricopetrina* quarta vice Basileae per Sebast. Henric. Petri, fol. cum epist. nuncupat. Nicolai Höniger.

Lambiniana, Lutetiae, fol.

Pulmanni Antwerp. 12. et in hanc *Iani Dousae* Commentariolus, seorsim excusus. Antwerp. ex offic. Plantin. 1580. 12.

Cum notis Variorum, Paris. fol.

Phil. Engentinus in lyrica Horatii. Basil. 1580. 8.

Io. Tho. Freigii Comment. in lyrica Horatii. Basil. 1580. 8.

Vterque liber etiam in Henricopetr. evulgatus est.

Iul. Aurel. Haurechii Comment. in I. et II. Satyram Basileae 1580. 8.

Recus. ex ed. a. 1541. Insertus quoque ed. Henricopetr. h. a.

Franc. Luisini Paraphrasis in Horatium. Basileae 1580. 8.

1581.

Q. H. Fl. Pulmanni: adiecta sunt praeterea carminum genera, Ge. Fabricii argg. in singula carmina — — Basileae ex offic. Brylingeriana 1581. 8.

Bibl. du Roi, belles Lettres II. 299.

Lamb. Lud. Pithopoei Paraphrasis in Q. H. Fl. Sat. I. et III. libri prioris. Heidelb. 1581. 8.

1582.

1582.

* *Q. H. Fl. Opera omnia: ex emendatione et cum commentariis Petri Gualth. Chabotii, Parisiis, per Aegidium Beys.* 1582. 8.

Smith. p. CCXXXI. form. quadruplicatae h. librum laudat. E vasto Chabotii commentario parum praesidii ad meliorem poetae intelligentiam petas. Dialecticum, grammaticum, rhetoricum artificium vocat, ad quod poetam exigit. Eadem editio recusa hoc ipso anno Basil. 8. et eiusdem Expositio analytica, Parisiis apud Martin. Iuvenem 8. quam habet Bibl. nostra Acad.

Q. H. Fl. cum Scholiis Ant. Mureti et animadvv. Bruti et Aldi Manutii de metris Hor. Venetiis apud Ald. iun. 1582. 8.

Vid. supra 1570.

Q. H. Fl., cum Aldi Manutii et Ant. Mureti Annotationibus. Lugduni 1582. 8.

Expressa ex ed. a. 1574.

Iani Dousae ad superiorem (a. 1580.) commentariolum Succidanea. Antwerp. ex offic. Plantin. 1582. 8.

Q. H. Fl. Opera cum notis Theod. Pulmanni et Iani Dousae patris, Antwerp. Plantin. 1582. 8.

Vid. a. 1580.

1583.

Q. H. Fl. Carmina, cum scholiis et argumentis. Parisiis 1583. 4.

Q. H. Fl. Ars poetica, ad P. Rami Dialecticam et Rhetoricam resoluta, studio Andr. Kragii. Basileae per Sebast. Henricpetri 1583. 4.

Bibl. Bunav. I. p. 312. Quam alieni sint tales conatus a poetices indole, vix est ut moneamus.

1584.

1584.

Q. H. Fl. omnia poemata. Venetiis apud Ioh. Gryphium fol. 1584.

Dougl. p. 12.

Q. H. Fl. Epistolarum libri duo, et in eas praelectiones methodicae — — per Claud. Minoem, Divionensem, Parisiis apud Duvall. 1584. 4.

Libellus iam a. 1575. impressus. In Epist. nuncup. subscriptus est a. 1578. ut adeo ter evulgatus sit. In Bibl. du Roi, belles Lettres memoratur typogr. *Aegid. Beys.*

Q. H. Fl. Sermones et Epistolae, cum Iod. Badii Ascensii explanatione, ab eodem diligentius recognita, et in Epist. praesertim et aucta et reposita. Parisiis, per Io. Granion 1584. 4.

Q. H. Fl. Epistolarum liber I. cum scholiis, comment. et argumentis. Parisiis 1584. 4.

Q. H. Fl. Epodon liber cum carmine saeculari, ad optimorum exemplarium fidem emendatus. Lutetiae apud Fed. Morellum 1584. 4.

Io. Hofmanni Proteus Horatianus. Bas. 1584. 8.

Bernardini Parthenii, Spilimb. in Q. H. Fl. Carmina atque Epodos commentarii, quibus poetae artificium, et via ad imitationem atque ad poetice scribendum aperitur. Venetiis apud Nicolin. 1584. 4.

Adiectus est textus Horatii a Parthenio, qui sequenti volumine omnia H. opera absolvit.

Q. H. Fl. Sermonum Lib. IV. seu Satyrarum libri duo, Epistolarum libri duo. Cum argumentis ad Lectoris maiorem facilitatem, Venet. apud Nicolin. 1584. 4.

Catal. Bibl. Harlei. I. 181. *Goetz.* memorabb. III. p. 294. Est Pars II. ed. Parthenii. Cf. Bibl. Smith. p. CCXXXI.

1585.

1585.

Q. H. Fl. Poemata, c. argumentis et castigationibus Ge. Fabricii. Lipsiae per Io. Steinmann 1585. 8.

Vide sup. a. 1571. et 1578.

Q. H. Fl. Opera: cum comment. Franc. Irenici. Dilling. 1585. 8.

Repetita ed. a. 1567. Ibidem hoc anno recusus est Horatius ab obscoenitate purgatus. Vid. a. 1571.

Q. H. Fl. Opera. Lond. apud Newton 1585. 8.

Dougl. p. 18. *Ames* II. p. 1156. Cf. a. 1574. 1578.

Q. H. Fl. Epistolarum libri II. cum praef. Guil. Xylandri Parisiis 1585. 4.

* *Frid. Ceruti* in Q. H. Fl. Carmina, Epodos, Satyras, atque Epistolas paraphrasis. Veronae apud Hieronymum Discipulum et fratres. 1585. 4.

Exemplum, quod ad manus est, finitur carmine saeculari, et textum adiectum habet. Eiusdem Paraphr. in Epp. et A. P. ibid. excusa est a. 1588.

1586.

Q. H. Fl. Opera, cum comment. Iac. Cruquii. Antv. ex offic. Plantin. 1586. 12.

Bibl. Hor. p. 55. Videtur solus textus Cruqu. recusus esse; nam commentarium ipsa libri forma excludit.

Q. H. Fl. Opera: cum Animadvv. Hadr. Turnebi, Mureti et Manutii. Parisiis 1586. 8.

* *Q. H. Fl. Epistolarum liber I. ex antiquissimis lib. M. S. et schedis aliquot emendatus et plurimis locis cum commentariis antiquis expurgatus et editus. Argumentis quoque et scholiis doctissimorum hominum illustratus. Parisiis ex typogr. Dionys. a Prato.* 1586. 4.

Titu-

Titulus transcriptus ex ed. Cruqu. cuius etiam lectiones exhibet. Caeterum argg. et brevia scholia in margg. exscripta habet, neque hilum amplius. Perperam Venetiis excusum librum statuunt.

Q. H. Fl. Opera, cum comm. Parrhasii, Acronis et Porph. notisque Glareani, Lugduni 1586. 8.

Laudant Bipontini p. LI.

Ge. Aemilius in Horatium Bas. 1586. 8.

Nic. Frischlini paraphrasis in H. Epp. l. I. II. Francof. apud Io. Spies. 1586. 8. recusa anno sequ. ibid. apud eumdem.

Ode de laudibus vitae rusticae (Epod. II.) explicata ab *A. Manuccio.* Bonon. 1586. 4. Ob raritatem Miscellan. Ital. Erud. T. III. inseruit hunc libellum Rob. Gaudentius.

1587.

Repetitae hoc anno edd.

* cum comment. *G. Chabotii.* Basil. ex offic. Leonh. Ostenii fol.

cum comment. *Lambini.* Lutetiae, apud B. Macaeum, fol.

cum comment. *I. Cruquii*, Antwerp. Plantin. 4.

cum annotatt. *Pulmanni.* Antw. Plantin. 8.

cum *Aldi Manut.* scholiis et *Io. Hartungi* Annotationibus. Antwerp. 12.

cum *Aldi* Manut. scholl. et *Mureti* Annotatt. Bergomi typis Comini Venturi. 12.

Q. H. Fl. Methodus de Arte poetica, per Nic. Colonium exposita Bergomi, typis Comini Venturi 1587. 4.

Conf. a. 1591. Bibl. Hulf. III. 439. laudat ed. Hor. h. a. Bergomi in 24.

Fr.

Fr. Irenicus in Artem poeticam et Epistolas. Francof. 1587. 8. Vid. a. 1567.

Th. Corraeae Explanatio in A. P. Venetiis apud Franc. de Franciscis, 1587. 8.

Bibl. du Roi, belles Lettres II. 303.

Q. H. Fl. latine cum versione Etrusca auct. *Io. Fabrini* et Obss. *Phil. Venuti* Italice scriptis. Venet. 1587. 4.

* *Q. H. Fl. Sermonum sive Satyrarum liber primus, Satyra prima. Parisiis apud Dion. a Prato* 1587. 4.

Substitit conatus in Sat. I.

1588.

* *Q. H. Fl. Poemata novis scholiis et Argumentis ab Henr. Stephano illustrata. Eiusdem Diatribe de hac sua editione Horatii, et variis in eum Observationibus.* s. l. (Parisiis) 1588. 8.

Editio haec secunda praeter Scholiorum locupletationem aliquot insuper diatribas et quasdam in veri Porphyrionis commentarios emendationes nec non quasdam ad eos accessiones habet.

Q. H. Fl. Opera, cum comment. Lambini. Lutetiae fol. 1588.

Q. H. Fl. Opera, cum castigationibus Ge. Fabricii Lipsiae 1588. 8.

Recus. ed. a. 1585.

Q. H. Fl. Opera expurgata, Colon. Agripp. 1588. 8.

Q. H. Fl. de Arte poetica liber, cum Paraphrasi Ceruti in hunc librum. Veronae apud Hier. Discipulum 1588. 4.

Laudatur in Bibl. du Roi, belles Lettres II. 302.

1589.

1589.

Q. H. Fl. Opera: Lugduni per Anton. Tardiff. 1589. 12,

Dougl. p. 13. Colonienſem h. a. e bibl. Furſtenbergia affert *Hirſching* p. 316.

P. G. Chabot. in H. Poemata expoſitio analytica. Baſileae per Leonh. Oſenium 1589. 8.

1590.

Q. H. Fl. Opera, cum notis Politiani, Sabellici, Manutii et aliorum. Venetiis apud Laur. Bertellum fol. 1590.

Vid. ſupr. a. 1576.

Q. H. Fl. Poemata, accuratiſſime caſtigata — — a Guil. Xylandro. Neoſtad. per Matth. Harniſch. 1590. 8.

Repetit. ed. a. 1575.

1591.

Praelectiones Petri Gualt, Chabotii in Horatium — — Baſileae ex offic. Leon. Oſien. fol. 1591.

Eſt ed. a. 1587. mutato tantum titulo.

Q. H. Fl. Epiſtolarum libri duo, Andegavi per Petrum Elis 1591. 4.

Dougl. p. 13.

Q. H. Fl. Ars poetica cum Annotatt. Franciſci Sanchez Salm. 1591. 8.

Ant. Riccoboni defenſor, ſeu pro eius opinione de Horatii Epiſtola ad Piſones in *Nic. Colonium*, Ferrar. per Bened. Mammarellum 1591. 4.

Conciliatio *A. Riccoboni* cum *Nic. Colonio.* Patav. apud Laur. Paſquatum 1591. 4.

Epistola *Nic. Colonii* ad A. Riccobonum. Patav. 1591. 4.

Conf. a. 1587. et 1611.

* *Angeli Pagnonii* in Q. H. Fl. Satyras atque Epistolas praefatio; et in primam Satyram commentarius. Bononiae apud Io. Rossium 1591. 4.

Q. H. Fl. Opera: argumentis ubique ac doctissimorum Virorum Annotationibus adiectis. Coloniae 1591. 8.

Vid. Catal. Bibl. O. Bened. ad S. Emmer. Ratisp. P. IV. p. 301.

1592.

Q. H. Fl. cum Aldi Manutii et M. Anton. Mureti Annotationibus, apud Ant. Gryphium. Lugd. excud. Iac. Stoer 1592. 8.

1593.

Q. H. Fl. Opera cum commentario Iac. Cruquii. Lugd. Bat. ex offic. Plant. 1593. 4.

Cruquiana quarta ex anteriori ducta.

Q. H. Fl. Poemata, illustr. argg. et castigatt. Ge. Fabricii Lips. 1593. 8.

Vid. a. 1588.

Q. H. Fl. expurgatus, Lugd. 1593. 12.

Forte ad Cruqu. expressus.

Q. H. Fl. opera omnia cum Ceruti paraphrasi — additus libellus incerti Auctoris de re poetica, Veronae per Hier. Discipulum 1593. 4.

Repetit. a. 1585.

1594.

Q. H. Fl. Poemata omnia, Lugd. B. apud Fr. Raphelengium 1594. 8.

* P.

* P. G. *Chabotii* Comment. triplex in Q. H. Fl. Opera. Basil. per Leonh. Osten. fol. 1594.

Vid. a. 1589. et 1591.

Ant. Thylesii in Horatii odas auspicia recusa hoc anno 4. s. l.

Coloniensem h. a. Tomis II. fol. laudat *Hirsching* p. 316. sed haud dubie volebat Basil. Chabotii.

1595.

Analysis logica omnium Epistolarum Horatii, Artis poeticae et selectarum aliquot Odarum; authore *Ioh. Piscatore.* Spirae, Nemetum per Bernard. Albinum 1595. 8.

Dougl. p. 14. Bibl. Hulf. III. 443. Recusa a. 1598.

Lamb. Lud. Pithopoei Paraphrasis in Artem Poeticam Horatii. Heidelb. 1595. 8. Cf. a. 1581.

1596.

Recusa h. a. Horatii editio Lambiniana apud Hered. A. Wechel. Francof. 4.

Repetita quoque Nic. *Frischlini* paraphrasis in H. Epistolarum L. I. II. Francof. 8. Cf. a. 1586.

1597.

Q. H. Fl. Opera, cum uberioribus commentariis P. G. Chabotii, Basileae fol. 1597.

Q. H. Fl. Opera cum comment. vet. et Iac. Cruquii. Accesserunt Iani Dousae in eundem Commentariolus, una cum succidanea appendice ad superiorem Comment. Item Auctarium Commentatoris veteris a Cruquio editi. Lugd. B. ex offic. Plantin. 1597. 4.

Repetitus quoque h. a. est Horatius *Lambini* Lugd. 4. et cum paraphrasi *Ceruti*: editio postrema et auctior. Veronae apud P. Diserolum 4.

1598.

Q. H. Fl., ex fide veterum Codicum. Vitenb. typis M. Ioh. Cratonis 1598. 8.

Vaniſſima haud dubie tituli profeſſio, quem forte editor a Lambini editione mutuatus eſt.

Q. H. Fl., cura Ge. Fabricii, Lipſiae 1598. 8.

1599.

Eilhard. Lubini in Q. H. Fl. poemata Paraphraſis ſcholiaſtica nova, qua retentis poetae verbis et pedeſtri ſermoni inſertis auctor graviſſimus et difficillimus pleni commentarii vice breviter et dilucide explicatur. Roſtochii 1599. 4.

Q. H. Fl. Opera omnia. Francof. ad Od. 1599. 8.

Annabergenſem h. a. 8. laudat *Hirſching* p. 316. Eſt haud dubie editio Bersmanni, Annaebergenſis.

Phil. Venutii Obſervationes in Horatium Venet. 1599. 8.

Vid. ſup. a. 1587.

1600.

Q. H. Fl. Opera, cum caſtigationibus Ge. Fabricii, Francof. apud hered. Wechel. 1600. 4.

* *Q. H. Fl. Poemata, ſcholiis et argumentis Henr. Stephani illuſtrata. — — Editio tertia. ſ. l.* (Pariſiis) *excud. Paul. Steph.* 1600. 8.

Editio haec III. ne hilum quidem differt a ſecunda. Eodem hoc anno Stephaniana altera Genevae 8. recuſa eſt, absque diatribis ut videtur.

* *Q. H. Fl. Poemata omnia: additi ſunt Indices duo; unus docti cuiusdam viri per Henr. Stephanum recognitus, alter Th. Treteri,* Francof. apud Andr. Wechel, per Cl. Marnium et I. Aubrium 1600. 8.

Q.

Q. H. Fl. Ars poetica cura Sigism. Iulii Mynsingi de Frondeck. Laving. 1600. 4.

Q. H. Fl. Ars poetica, per Nic. Colonium, Ambergae 1601. 12.

Vid. supra a. 1587. et 1591.

Q. H. Fl. poemata omnia, argumentis et Scholiis Viror. doctiss. illustrata cum indicatione diversarum lectionum partim e sex Codicibus veteribus Manuscriptis partim ex opt. notae libris aliquot impressis studio et opera Greg. Bersmanni, Annaeb. Impress. sumtibus Grosii et Voegelini Lipsiae 1602. 8.

Prima Bersmanniana, saepius dein recusa.

Q. H. Fl. Epistolae, cum comment. Frischlini, II. Voll. Francof. 1602. 8.

Cf. a. 1567.

Paraphrasis in Lib. I. Satyrarum Q. H. Fl. per Sigism. Iul. Mynsing. a Frondeck. August. Vindel. 1602. 4.

Cf. a. 1600.

Q. H. Fl. Opera cum commentario Iac. Cruquii. Lugd. Batav. 1603. 4.

Cruquiana sexta.

Q. H. Fl. obscoenitate Romae expurgatus Colon. Agr. 1603. 8.

Cf. a. 1585.

Excusus etiam Horatius h. a. in Corpore Poet. Lat. Aurel. Allobr. apud Sam. Crispinum, Vol. I.

Q. H. Fl. Opera, cum novis Argumentis. Ex offic. Plantin. 1604. 12.

Q. H. Fl. Poemata, illustrata argumentis et castigationibus Ge. Fabricii, Lipsis typis Voegel. 1604. 8.

Recusa ed. a. 1575.

Q. H. Fl. Opera per Dion. Lambinum. — Accesserunt postremae huic editioni Adriani Turnebi in eundem Commentarii — et in fine Theod. Marcilii ad Q. H. Fl. quotidianae et emendatae lectiones. Paris. apud Barthol. Macaeum fol. 1604.

A. 1605 hanc editionem laudat Bibl. du Roi, belles Lettres II. 299. Th. Marcilii lectiones separatim quoque h. a. excusae ab eodem Macaeo memorantur. Eodem hoc anno Lambiniana Horatii editio additis Henr. Stephani Diatribis recusa est Aurel. Allobr. a Petr. de la Roviere, 8.

Q. H. Fl. Poemata, cum Iuvenali: Londin. 1604. 12.

In Q. H. Fl. de Arte Poetica librum Hercules Manzonius, qui aperte demonstrat, expressum ab Aristotelis poetica Horatii poetices ordinem. Bergomi, typis Comini Venturae 1604. 4.

Bibl. du Roi, belles Lettres II. 302.

Q. H. Fl. Odae in locos communes digestae, studio Io. Langii. Hannov. typis Wechelianis 1604. 8.

Repetit. statim Lugd. eodem hoc anno.

Q. H. Fl. Lambini, additis H. Stephani diatribis. Genev. apud Petr. de la Roviere 1605. 4.

Forte innovatus tantum titulus ed. anterioris anni.

Q. H. Fl. Opera cum comment. Dan. Heinsii. Ex offic. Plantin. apud Rapheleng. 1605. 8.

Q. H. Fl. Opera cum castigationibus Ge. Fabricii. Lips. typis Voegelianis 1605. 8.

Recus. ed. a. 1604.

Q.

Q. H. Fl. ab obſcoenitate purgatus. Pariſ. apud Sonnium 1605. 12.

Q. H. Fl. Odae in locos communes digeſtae: ſtudio Ioh. Langii Lugd. 1605. 12.

Vid. a. praecedentem.

1606.

Q. H. Fl. Opera expurgata. Pariſiis 1606. 8.

Q. H. Fl. Opera, cum notis Ioh. Bond. Londini 1606. 8.

Saepius repetita. Singulas commemorare, vix operae pretium eſt. — Editionem h. a. Francof. ad O. curatam laudat *Hirſching* p. 316.

1607.

Q. H. Fl. Opera ab obſcoenitate expurgata. Antverp. 1607. 8.

Q. H. Fl. Emblemata, imaginibus aere inciſis notisque illuſtrata: ſtudio Othonis Vaenii. Antverp. per Hyeron. Verdyſſon. 1607. 4.

Recuſa a. 1612.

Q. H. carmen ſeculare et hymnus in Apollinem et Dianam latine, et a Fed: Morello graece eodem carminis genere expreſſa. Pariſiis excud. Fed. Morell. 1607. 4.

Bibl. du Roi, belles Lettres II. p. 302.

1608.

* *Q. H. Fl., cum erudito Laevini Torrentii commentario nunc primum in lucem edito. Item Petri Nannii Alcmariani in Artem poeticam. Antverpiae ex officina Plantin. apud Io. Moretum* 1608. 4.

De Torrentio praeclare de Horatio merito vide ſupra p. XLVIII. et de eius Codd. p. VI.

Q. H. Fl. ex fide veterum Codicum. Witeb. apud Laurent. Seuberlich. 1608. 8.

Recusa ed. a. 1598.

Q. H. Fl. Opera. Antverp. ex offic. Plantin. 1608. 12.

1609.

Q. H. Fl. Opera cum Notis D. Heinsii. Ex offic. Plantin. Rapheleng. 1609. 8.

Repetita ed. a. 1604.

Nic. Prischlini Paraphrasis in Hor. Epistt. libros duos. Francof. apud Nic. Hofmann. 1609. 8.

Cf. a. 1586.

1610.

Q. H. Fl. Opera cum notis D. Heinsii. Accedit Horatii ad Pisones epistola et Aristotelis de Poetica libellus ordine suo nunc demum ab eodem Heinsio restitutus. Ex offic. Rapheleng. 1610. 8.

Q. H. Fl., cum Mureti et Manutii Annotationibus Lugd. apud haered. Rouillii. 1610. 8.

Typographum adscripsi e *Pinelli* II. 328.

Q. H. Fl. ex edit. Theod. Pulmanni. Antverp. 1610. 16.

Editionem h. a. Cameraci vulgatam 8. habet bibl. Furstenbergia. Vid. *Hirsching* p. 316.

1611.

* *Q. H. Fl.: cum commentariis et enarrationibus Commentatoris veteris et Iacobi Cruquii. Accedunt Iani Dousae in eundem commentariolus, una cum succidanea appendice ad superiorem commentariolum. Item Auctarium*

rium Commentatoris veteris a Cruquio editi. Ex offic. Plantin. Rapheleng. 1611. 4.

Cruquiana ſeptima, eaque praeſtantiſſima.

Q. H. Fl. cum notis Ge. Bersmanni. Baſileae 1611. 8.

Expreſſa ed. Lipſ. a. 1602.

Habetur quoque h. a. editio in *Corp. Poet. Lat.* ed. II. Aurel. Allobr. apud Sam. Criſpin. 4. Vol. I. inde a p. 748.

Nic. Colonii Reſponſio adverſus abſurdam ſententiam Ant. Riccoboni de Horatii libello ad Piſones de Poetica. Bergomi 1611. 4.

Vide ſupra a. 1591.

1612.

Q. H. Fl. Opera, cum comment. Dion. Lambini. Francof. apud hered. Wechel. 1612. 4.

Q. H. Fl., accuratiſſime emendatus et explicatus, cum Paraphraſi Eilh. Lubini. Francof. 1612. 4.

Q. H. Fl. Opera, cum Notis D. Heinſii. Ex offic. Raphel. 1612. 8.

Eadem hoc anno prodiere cum Animadverſionibus et Notis Dan. Heinſii longe auctioribus, addito libro de Satyra, Lugd. Bat. apud Ludov. Elzevir. 12.

Pauli Franci Commentarii in I. et III. Od. L. I. Horatii ſ. l. 4.

1613.

Q. H. Fl., cum notis Iani Rutgerſii. Lutetiae, ex typogr. Rob. Stephani 1613. 12.

Textus eſt ex Heinſii ed. expreſſus, cum eiusdem emendationibus.

De laudibus vitae rusticae commentarius in secundam Horatii oden e libro epodon: autore *Blasio Bernardo.* Florentiae per Io. Donatum 1613. 4.

Bibl. du Roi, belles Lettres I. 302.

1615.

Q. H. Fl. Opera omnia, a Pet. Gualt. Chabotio triplici artificio explicata, et demum a I. Iac. Grassero illustrata. Basileae apud Ludov. Regis fol. 1615.

Bibl. du Roi, belles Lettres I. p. 300.

1616.

Q. H. Fl. Opera, per Valent. Cremcovium s. l. 1616. 8.

Dougl. p. 17.

Q. H. Fl. Poemata, argumentis et scholiis virorum doctissimorum illustrata, cum indicatione diversarum lectionum: studio et opera Georg. Bersmanni. Secunda editio locupletior, ab eodem recognita. Lipsiae typis Grossianis 1616. 8.

Vide supra a. 1602. 1611.

Q. H. Fl., Amstelod. apud Henr. Laurentium 1616. 8.

Haud dubie ex Heinsiana ed. ductus.

1617.

Q. H. Fl., ab omni obscoenitate purgatus, ad usum Gymnasiorum Societatis Iesu: Aldi Manutii de Metris Horatianis et Odae aliquot (scil. I. 21. et 24. II. 6. et Carmen saeculare) *a Fed. Morellio eodem genere vers. lyric. graece redditae. Paris. apud Io. Libert.* 1617. 12.

1619.

1619.

Q. H. Fl. Opera omnia, denuo emendata. Amstelod. apud Guil. Iansson. 1619. 24.

Ex Heinsiana religiose expressa.

Q. H. Fl. Opera s. l. ex typogr. Iac. Stoer 1619. 12.

Dougl. p. 17.

Q. H. Fl., — Genevae 1619. 16.

Bibl. Hulf. III. 443.

Q. H. Fl. de Arte poetica ad Pisones Epistola, ex rec. Dan. Heinsii seorsim edita. Addita et Dissertatiuncula eiusdem super Plauto et Terentio, Comicis. Witeb. typis Gormann. 1619. 4.

1620.

Q. H. Fl. Opera, a Iac. Cruquio ex Mss. Codicibus emendata cum Comment. Veterum et suis. Ex offic. Plantin. Rapheleng. 1620. 4.

Cruquiana VIII. Eodem anno repetita Laev. Torrentii editio Antv. 4.

1621.

Q. H. Fl. Ars poetica per Ian. Parrhasium. Lugd. 1621. 8.

Pauli Franci Comment. Horatiani Praemetium in I. et II. Lib. I. Odas, Annotamenta exhibens. Francof. 1621. 4. Cf. a. 1612.

1623.

Q. H. Fl. Opera, denuo emendata. Amstelod. excud. Guil. Caesius 1623. 12.

Expressa ed. a. 1619.

1624.

1624.

Q. H. Fl. Opera: ex typographia regia Parisiis f. 1624.

Q. H. Fl., cum Annotatiunculis Basileae 1624. 8. Bibl. Hulf. III. 444.

1625.

Q. H. Fl. Opera. Antverp. ex offic. Plantin. 1625. 12.

Q. H. Fl. Opera. Amstelod. per Iod. Hond. 1625. 12.

* *Io. Weitz* Comment. de laudibus vitae rusticae in secundam Horatii odam e Libro Epodon. Francof. 1625. 8.

1626.

Q. H. Fl. Odae selectae. Lugd. Bat. per Bonavent. et Abrah. Elzev. 1626. 8.

1627.

Q. H. Fl., cum Scholiis Acronis, Basileae 1627. 8.

* *Q. H. Fl. Opera omnia, cum novis Argumentis. Sedani ex typogr. I. Iannoni* 1627. 32.

Editio formis litterarum minutissimis expressa.

1628.

Q. H. Fl. Opera omnia, cura Dan. Heinsii. Amst. apud Elzevir. 1628. 16.

Ducta ex ed. a. 1612. Vide et sequ. a.

1629.

Q. H. Fl. Opera, cum Observationibus Aldi. Vlysch. 1629. 8.

Q. H. Fl. Opera omnia. Accedunt nunc D. Heinsii de Satyra Horatiana libri II. cum eiusdem in omnia poetae

tae opera animadversionibus longe auctioribus. II. Voll. Lugd. Bat. ex offic. Elzev. 1629. 12.

Q. H. Fl. Lyriça sive Odae, cum Argumentis Odarum et Ideis Horatianis Io. Bapt. Masculi. Duaci 1635. 12.

Q. H. Fl. Opera — expurgata cum comment. Iod. Maresii, Duaci 1636. 8.

Recusa statim 1638. tum 1647. 1648. 1653. 1664. 1686.

Q. H. Fl. Ars poetica: Paris. per Seb. Chappelet, 1641. 4.

Q. H. Fl. Opera, Paris. per Io. Libert. 1641. 12.

Q. H. Fl. Opera omnia. Parisiis, e typogr. regia, fol. 1642.

Vid. supra a. 1624.

F. Ph. Pedemontii Ecphrasis in H. Artem poeticam. Venetiis 1646. 4.

Q. H. Fl., cum commentariis selectissimis Kariorum et Scholiis integris Io. Bond: accurante Corn. Schrevelio. Lugd. Bat. apud Fr. Hack. 1653. 8.

Repetita haec ed. saepius, veluti 1658. 1663. 1668. 1670. 1688.

Q. H. Fl. Opera, per Dan. Heinsium. Lugd. B. apud Elzevir. 1653. 8.

Vid. a. 1612. 1629.

Q. H. Fl. Opera, Amsterd. per I. Ianson 1653. 12.

Vid. a. 1619.

Q. H. Fl. Opera, cum not. Ias. Meursii, Antw. 1656. 12.

Q.

Q. H. Fl. Opera, cum notis Phil. Munckeri. Lugd. B. 1658. 8.

Laudat Bibl. Hor. p. 80. nescio qua fide.

Chr. Funccii Aurora aestiva nova facie surgens et consecrata illustramento Carminis secularis Horatiani. Freib. 1659. 8. Spectat haud dubie ad Carm. Saec. v. 10. 11.

Bibl. Altenb. p. 110.

Q. H. Fl. Ars poetica in methodum reducta per Franc. de Cascales. Valent. 1659. 8.

Q. H. Fl. Opera, per Gid. Lithgow. Edinb. 1662. 12.

Q. H. Fl. Opera, cum Notis Th. Muncker. Lugd. B. 1663. 8.

Q. H. Fl. Odae, Epistolae et Ars poetica. Amst. 1663. 8.

Ge. Chr. Cadesreuter Diss. super Epist. Hor. XVI. l. I. Cizae 1664. 4.

Q. H. Fl. Poemata, cum comment. Io. Minellii; praemisso Aldi Manutii de metris Horatianis tractatu. Roterod. 1668. 12.

Saepius dein recusa a. 1673. 1676. 1677.

Q. H. Fl. — — Schrevelii. Lugd. B. et Roterod. ex offic. Hack. 1670. 8.

Memoratu digna haec editio hactenus, quod primum Venusinas Rutgersii lectiones additas habet, quamquam truncatas atque interpolatas; de quo graviter conqueritur Burm. praef. ad ed. Hor. a. 1699.

Q. H. Fl. Opera, recensuit Tan. Faber, et Notulas et Monita ad Odas addidit, cum specimine novae interpretationis Salmur. 1671. 12.

Q. H. Fl. Opera, ex offic. Plantin. Raphel. 1673. 8.

Q.

Q. H. Fl., cum notis marginalibus Io. Minellii, et comment. Fr. Rappolti, nec non supplem. Ioa. Felleri, 2 Voll. Lipſ. 1675. 8.

Repetita ed. a. 1678. Eodem anno Rappolti commentarius ſeparatim prodiit Lipſ. 8.

Q. H. Fl. Opera, e rec. Dan. Heinſii. Amſt. Elzev. 1676. 8.

Vid. a. 1653.

Q. H. Fl. cum comment. Th. Pulmanni, Antv. 1677. 16.

Vid. a. 1610.

Q. H. Fl. Epiſtolarum liber II. Pariſiis 1678. 4.

Cf. a. 1680, 1685. 1688. 1690.

Q. H. Fl. Epiſtolarum liber I. Pariſ. 1680. 4.

Cf. a. 1678.

Les Oeuvres d'Horace, traduits en François, avec de notes et des remarques critiques, par Andr. Dacier. X Volumes. Paris 1681. 12.

Contextum repetiit ex ed. Tan. Fabri 1671. Saepius poſtea recuſa.

Q. H. Fl. Opera omnia. Venetiis 1682. 12.

Q. H. Fl., cum interpretatione et notis Petri Rodellii, e S. I. ad Ser. Galliarum Delphinum. Toloſae, per Colomerium 1683. 8.

Repetita haec ed. a. 1686. 1690. 1695. 1696. et 1711.

Q. H. Fl. ſelectorum Carminum lib. IV. Pariſ. 1685. 4.

V. a. 1678. 1680.

Q. H. Fl. Opera omnia. Pariſ. 1687. 12.

Q.

Q. H. Fl. Carminum Lib. III. Paris. 1688. 4.

Vid. a. 1678. 1680. Eodem a. 1688. prodiere Satirarum L. I. et Ars poetica.

Q. H. Fl. Opera, Venetiis 1688. 12.

Ducta ex 1682.

Daceriana II. Paris. X Voll. 1689. 12.

Q. H. Fl. Satyrarum Lib. II. Paris. 1690. 4.

Vid. a. 1688. Repetita quoque hoc anno P. Rodellii editio. Lond. 8. et e rec. Dan. Heinsii, Amst. 16.

Q. H. Fl. Opera, cum novis argumentis. Lugd. Bat. 1690. 12.

Typis exscripta ed. Sedan. a. 1632.

Q. H. Fl. Opera, interpretatione et notis illustrata a Ludov. Desprez: in Usum Delphini. Paris. per Fr. Leonhard. 1691. 4.

Parum novae lucis affulsit Horatio Desprezii commentario, ex superioribus consarcinato. Crisin autem omnino neglexit. Repetit. 1694. 1695 et saepius.

Daceriana III. Paris. X Voll. 1691. 12.

Q. H. Fl. Opera, Venetiis 1692. 12.

Vid. a. 1682. et 1688.

Q. H. Fl., cum notis Io. Rutgersii. Vltrai. 1694. 12.

Repetit. ed. 1613. Recusae quoque hoc et sequ. a. *Rodellii* (Leodii 1695. 8. Paris. 1696. 8.) et *Desprezii* (Lond. 1695. 8. et Amstelod. 1695. 8.) edd.

Q. H. Fl., ex rec. Heinsii, Antwerp. 1696. 16.

Q. H. Fl. Opera, cum Notis Eduard. a Zurck. Harlem ex typ. Nic. Braau. 1696. 8.

Repetit. Lond. 1702.

Q.

Q. H. Fl. carmina expurgata, perpetua interpretatione illustravit Ios. de Iouveney. II. Voll. Paris. 1696. 12.

Repetit. 1702. et 1709.

Q. H. Fl. Opera, Venetiis 1698. 12.

Vid. a. 1682. 1688.

Q. H. Fl. Opera, Lugduni 1698. 24.

Q. H. Fl. Opera ad optimorum exemplarium fidem recensita; Accesserunt variae Lectiones, quae in Libris Mss. et Eruditorum commentariis notatu digniores occurrunt. Opera et studio Iac. Talbot. Cantabrigiae, typis academicis 1699. 4.

Accurata poetae recensio, ad Codd. et edd. vett. facta. Recusa est editio a. 1701. 8.

Q. H. Fl., accedunt I. Rutgersii Lectiones Venusinae. cur. Petro Burmanno. Traj. Bat. 1699. 12.

Praeter *Rutgersii* Lectt. Venusinas Burmannus excerpta quaedam ex eiusdem Notis, Lutet. 1613. evulgatis, subiecit. Textus est Heinsianus ed. 1629. Repetita quoque hoc anno ed. *Lud. Desprez.*

Q. H. Fl. Opera, Venetiis 1700. 12.

Q. H. Fl. Poemata. Florent. typ. reg. Celsit. 1700. 12.

Q. H. Fl. Eclogae, una cum scholiis perpetuis, tam veteribus quam novis; praecipue vero antiquorum Grammaticorum, Helenii Acronis, Pomponiique Porphyrionis; quorum quae extant reliquiae foedis interpolationibus purgatae, nunc primum fere integrae reponuntur. Adiecit etiam, ubi visum est, et sua, Textumque ipsum plurimis locis, vel corruptum, vel turbatum, restituit Willielmus Baxter. Londini 1701. 8.

Aversis plane Charisin Baxterum Horatio explicando adsilnisse vel eos animadvertisse arbitror, qui vel leviter

eius Notas deguſtarint, dilogiis ſ. allegoriis ac putida quadam doctrina, in rimandis maxime etymologiis ſpectata, refertas. Neque accuratior eius opera fuit in Scholl. purgandis, eorumque delectu faciendo. In criſi quoque parum ὑγιὲς deprehendas, quam utique ſine librorum adiumento inſtitutam fuiſſe apparet.

Q. H. Fl. Opera — curante I. Talbot. Cantabr. 1701. 12.

Vid. a. 1699. Repet. 1707.

Q. H. Fl. Opera, ex Libris Mss. iuxta edit. Rutgerſ. (1699.) *et Cantabrig.* (Talboti) Lond. 1702. 12.

Q. H. Fl., cum comment. Laev. Torrentii Antverp. 1708. 4.

Vide ſupra a. 1608. 1620.

Q. H. Fl., cum notis D. Heinſii Lugd. B. 1709. 8.

Eodem anno Baxteriana repetita.

Q. H. Fl. Opera: latine cum verſ. gall. Tarteroni notisque criticis Petri Coſte. II Voll. Amſterd. 1710. 12.

Q. H. Fl. ex recenſione et cum Notis Rich. Bentleii. Cantabrig. 1711. 4.

Acceſſit ad adornandam hanc Horatii editionem Bentleius tam Codd. praeſtantioribus, quam ingenio, quo pollebat κριτικωτάτῳ, reconditiorisque eruditionis copia inſtructiſſimus, atque hanc ſpartam ita ornavit, ut vere Horatii ſoſpitator dici haberique mereatur. Quamquam eum ſubinde ultra terminum, quem exquiſitior ſenſus poeticus praefigeret, vagatum deprehendas.

Q. H. Fl. fide Mss. emendatus, Vltraj. 1711. 8.

Repetitae quoque h. a. edd. *Rodellii* (Lond. 8.), *Iuventii* (Rothom. 8.) et *Deſprez* (Lond. 8.).

Q.

Q. H. Fl. — — *Bentleii.* Amſtelod. apud Wetſtenios 1713. 4.

Adiectus eſt Index *Treteri*, ſtudio *Iſ. Verburgii.*

Q. H. Fl., ad Rich. Bentl. ed. expreſſus, cum notis Thom. Bentleii. Cantabr. 1713. 12.

Q. H. Fl. Opera, cura Iac. Watſon. Edinb. 1713. 12.

Q. H. Fl. Opera, ad fidem Codd. Mss. emendata per P. Burmannum Traiecti 1713. 8.

Q. H. Fl. cum verſ. Tarteroni, novo ſtudio emendata. Pariſ. 1713. 12.

Vid. a. 1710.

Excuſus quoque h. a. eſt in Corp. Poet. Lat. cur. *Mich. Maittaire.*

Iuventiana Rothomagi 1714. 8.

Q. H. Fl., cum verſ. Anglica, etiam notarum Bentleii. Londini II Voll. 1714. 12.

Q. H. Fl. Opera, cura Mich. Maitthire, cum variantibus lectionibus Codd. Londini, apud Tonſon et Watts 1715. 12.

Q. H. Fl. Opera, lat. et gall. cum notis Pellegrini, Pariſ. apud Pet. Witte 1715. 8.

I. Sturmii Comment. in A. P. ed. ab I. H. *Ackero.* Rudolſtadii 1715. 8.

Bentleiana III. Amſtelod. 1717. 4.

Heinſiana. Amſtelod. apud Ianſ. et Waesb. 1718. 12.

Q. H. Fl., cum verſ. Angl. per Th. Creech. Londini 1718. 12.

Q. H. Fl., ex rec. Heinsii et Fabri ac variis Lectt. Rich. Bentleii. Amsterd. apud Wetsten. 1719. 16.

Q. H. Fl. Opera expurgata: interpretatione ad verbum, variis lectionibus ac notis illustravit Io. du Hamel. Parisiis apud fratres Barbou. II. Voll. 1720. 8.

Recusa ed. a. 1730. et 1764. Arrogantiam audaciamque magis mireris in hoc homine, quam doctrinam.

Q. H. Fl. Poemata, ex antiquis Codd. et certis Observationibus emendavit, variasque scriptorum et impressorum Lectiones adiecit Alex. Cuningamius. Hagae Com. apud Th. Ionson 1721. 8.

Alex. Cuningamii Animadversiones in Rich. Bentleii notas et emendationes ad Q. H. Fl. ib. eod.

Eodem a. uterque hic liber recusus est Londini apud Vaillant et Prevost, ubi obss. crit. subiectae textui leguntur.

Q. H. Fl. Opera. Index variantium Lectionum insignioris notae, quae passim in Mss. occurrunt. Dublini per Grieson 1721. 12.

Baxteriana. Londini, per I. Batley 1725. 8.

Novae notae, quae huic ed. accessere, stricturae sunt in Bentleium, de quibus tamen dici potest: πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμαίνουσαι.

Daceriana IV. Amstelod. Wetsten. X Voll. 1727. 12.

Q. H. Fl., ex recensione et cum notis atque Emendationibus Rich. Bentleii. Ed. III. cum Indice locupletissimo. Amstelod. Wetsten. 1728. 4.

Les Poesies d'Horace disposées suivant l'ordre chronolog. et traduites en François avec des remarques critiques par le P. Sanadon. II Voll. Paris 1728. 4.

Prin-

Princeps fere Sanadonus, qui artificium poetae et virtutes poeticas cum sensu elegantiae exposuit. Quamquam est, ubi ultra lineas processit.

Q. H. Fl. carmina expurgata: cum notis M. Brochard Paris. 1728. 8.

Duhameliana II. Paris. II Voll. 1730. 8.

Q. H. Fl. cum emendd. et interpret. nova. Glasguae, apud R. et A. Foulis 1730. 8.

Q. H. Fl. Carminum Libri V. recensuit et ex vetustis exemplaribus, editionibus et commentariis emendavit Ge. Wade. Lond. per Guil. Bowyer 1731. 8.

Nulli interpretum visa haec editio, omninoque inter rariores habenda. Neque mihi eam inspicere facultas erat.

Q. H. Fl. Opera, Edinb. apud R. Freebarn. 1731. 12.

Q. H. Fl. Opera omnia, aeneis tabulis incidit Io. Pine II. Voll. Londini 1733. 8.

Expressa ed. Talboti a. 1701. Felicior Pinii opera versata est in Horatio aere exprimendo, quam figuris ornando atque illustrando, in quibus delectum et artis peritiam desideres. Vid. Sax. Onom. Anal. P. I. p. 564.

Q. H. Fl., ex castigat. et cum obss. Bentleii, Cuningamii et Sanadoni. Hamburgi apud A. van den Hoeck 1733. 12.

Q. H. Fl. Opera, e typogr. regia. Paris. 1733. 16.

Literis minutissimis eleganter impressa editio.

Daceriana, aucta notis et variis lectt. Bentleii, Cuningamii et Sanadoni. Amstelod. apud A. van den Hoeck. 4 Voll. 1733. 4.

Eadem ibidem hoc anno X Voll. excusa 12.

Q. H. Fl. Dacerii et Sanad. notis congestis. Amst. Wetsten. (VIII. Voll.) 1735. 8.

Q. H. Fl., (*per Io. Iones*) Lond. apud I. Brotherton et I. Nourse 1736. 8.

De hac editione superius actum. Notas sequuntur Doctorum coniecturae et variae lectiones.

Iuventiana, editio nova, iuxta exempl. Romae. Rothom. 1736. 8.

Q. H. Fl. poemata, ex castigat. et obss. Bentl. Cuning. et Sanadonis emendata. Londini, Nourse. 1740. 12.

Recusa ed. a. 1733.

Q. H. Fl. Opera, lat. et anglice, cum notis Dacerii, Sanadoni aliorumque. Lond. apud Ios. Davidson. III Voll. 1741. 8.

Q. H. Fl. cum notis Variorum. Anglice vertit Phil. Francis. Londini 1743. 8.

Q. H. Fl. Opera, ex rec. D. Heinsii et T. Fabri ac varr. lectt. Bentleii et Sanadoni. Amst. Wetsten. 1743. 8.

Q. H. Fl. Opera, typis I. Brindley Lond. 1744. 8.

Q. H. Fl. Opera, Glasguae 1744. 8.

Editio immaculata in fronte audit, h. nullis mendis typographicis deturpata.

Q. H. Fl. carmina, nitori suo restituta, accurante Steph. Andr. Philippe. Lutet. Coustelier 1746. 12.

Nitida et correcta editio.

Q. H. Fl. Opera. Lond. apud Guil. Sandby. II Voll. 1749. 8.

Splendida editio, XXXV. monumm. antiquis aere incisis exornata.

Q. H. Fl. poemata, latine cum vers. gall. et notulis Car. Batteux. II Voll. Paris. 1750. 12.

Q.

Q. H. Fl. cum verſ. Angl. poetica notisque criticis ſelectis et optimis quibusque Latinis et Gallicis commentariis, per Phil. Francis. ed. IV. Lond. IV Voll. 1750. 12.

Q. H. Fl. Operà, Glasguae per R. et A. Foulis (ed. III.) 1750. 8.

Q. H. Fl. Eclogae — — Baxteri; ad cuius ſecundam editionem recudi curavit, et varietate lectionis, ſuisque obſervationibus auxit Io. Matth. Geſner. Lipſiae, Fritſch. 1752. 8.

Pars ſexta Operum Horatii, ipſi et Sidonio Apollinari Laudes Phoebi et Dianae dicta, ex antiquiſſima recenſione Sidonii nunc primum edita, argumentis et nova paraphraſi colluſtrata, auctore I. P. Ancherſen. Hafniae 1752. 8.

De hoc Ancherſenii commento ſuperius actum eſt.

Q. H. Fl., latine et gallice. V. Voll. Pariſ. 1752. 12.

Batteuſiana. II. Voll. Pariſ. 1753. 8.

Q. H. Fl., *ex ed. S. A. Philippe* Pariſ. 1754. 8.

Iuventiana, Pariſ. II Voll. 1754. 12.

Sanadoniana II. ed. nova correctior, ordine revocato et quibusdam additis. Pariſ. VIII Voll. 1756. 8.

Q. H. Fl. Epiſtolae ad Piſones et Auguſtum, with an engliſh commentary and Notes. To which are added two diſſertations. Ed. III. *By R. Hurd.* Cambr. II Voll. 1757. 8.

Hurdianum commentarium germanice vertit Eſchenburg. Lipſ. 1772. 8.

Q. H. Fl. ad lectiones probatiores diligenter emendatus, et interpunctione nova ſaepius illuſtratus. Ed. IV. Glasguae excud. R. et A. Foulis. 1760. 8.

Q. H. Fl., latine et Anglice, interpr. Ph. Francis. Lond. 1760. 8.

Vid. a. 1743.

Q. H. Fl. Opera omnia, prius ad exemplar Bentleii excussa, nunc insertis duobus Codd. novissime repertis aucta, addita quoque de harum odarum inventione epistola principis Palavicini. T. I. II. s. l. (Pragae) et a. (1760) 8.

Curata haec editio a Celliss. Princ. de Furstenberg.

Q. H. Fl. Opera, curante I. P. Millero. Berolini 1761. 8.

Q. H. Fl. Poemata, latine et gall. ex vers. Batteusii recusa. H. Voll. Ienae et Lips. 1762. 12.

Q. H. Fl. Opera, typis Io. Baskerville. Birmingh. 1762. 12.

Nitida et satis correcta editio, recus. a. 1770.

Q. H. Fl. Carmina et Ars poetica cum Notis Henr. Braun. Aug. Vind. 1763. 8.

Q. H. Fl. Carmina, nitori suo restituta. Paris. apud Barbou. 1763.

Idem Barbou a. sequ. *Duhamelianam* recudi curavit H. Voll.

Chr. Ad. Klotzii Vindiciae Q. H. Fl.; accedit commentarius in carmina poetae. Bremae 1764. 8.

Q. H. Fl. cum vers. Anglica et notis C. Smart. Londini (IV. Voll.) 1767. 8.

Q. H. Fl. Opera, ad fidem LXXVI. Codd. Accedunt I. Synopsis chronologica rerum Romanarum, vivente Horatio. II. Tractatulus de metris Horatianis. III. Variae LXXVI Codd. Lectiones. IV. Phrasium subdifficilium enucleatio. V. Lexicon mythologicum, historicum et geographicum. VI. Dictionarium Latino-Gallicum vocum Horatianarum, quae lectorem morari possunt. Curante Ios. Valart. Parisiis, M. Lambert. 1770. 8.

Q.

Q. H. Fl., Birmingh. typ. Baskerville 1770. 4.

Q. H. Fl. carmina, collatione scriptorum graecorum illustrata ab Henric. Wagnero. Halae 1770. 8. *Eiusd. Additamenta*, ib. 1771. 8.

Chr. Ad. Klotzii Lectiones Venusinae. Lipſ. 1770. 8.

Baxtero-Gesnerinna II. Lipſ. 1772. 8.

Q. H. Fl. a Franc. Dorighello, Patavino, illustratus T. I — III. Patavii typis seminarii 1774. 8.

Q. H. Fl. Carmina et Epodon liber latine cum vers. germ. et notis Iac. Frid. Schmidt. T. I — III. Gothae, Ettinger 1776. 8.

Q. H. Fl. Carmina cum Annotat. gallicis Lud. Poinsinet de Sivry. T. I. II. Pariſ. e typogr. Didot. 1777. 8.

Q. H. Fl. Opera, recensuit, varietate lectionis et perpetua adnotatione illustravit Chr. Dav. Iani. T. I. Lipſ. 1778. T. II. ibid. 1782.

Horazens Briefe: übersezt mit historischen Einleitungen und andern nöthigen Erläuterungen von C. M. Wieland. Deſſau 1782. 8.

Repetit. Lipſ. 1787. et 1790.

Q. H. Fl. Opera, ad optimas edd. collata. Praemittitur notitia literaria. Studiis societatis Bipontinae. Biponti 1783. 8.

Recuſa 1792.

Q. H. Fl. Opera. Avenione 1785. 24.

Editio nitida.

Horazens Satyren: übersezt und mit Einleitungen und erläuternden Anmerkungen versehen von C. M. Wieland. Lipſ. 1786. 8.

Recuſa ed. a. 1794.

Q. H. Fl. Carmina: curavit Ier. Iac. Oberlin. Argentor. typis et sumtu Rollandi et Iacobi 1788. 4.

Splendidissima editio. In fine adiectae sunt varr. Lectt. e codd. IV. Argentoratensibus excerptae.

Baxtero-Gesnerianam eodem anno obss. suis locupletatam curavit *I. C. Zeunius*, Lipsiae apud Fritsch. 8.

Q. H. Fl. Opera. Parmae, in aedibus Palatinis typis Bodonianis 1791. fol. mai.

Editioni cui Bodoni omnes typographiae suae affudit Veneres, praefuit *Ioh. Nic. de Azara*, vocatis in partem laboris *Ennio Quirino Visconti* Romano, *Carolo Fea* Nicensi et *Stephano Arteaga* Matritensi, VV. eruditissimis ac de politioris antiquitatis monumentis meritissimis. Textus subinde refictus est ad probatissimas quasque Codd. lectiones, et accuratissima interpunctione sublevatus, ut adeo novam poetae recensionem praestet haec editio.

Ausgewählte Oden und Lieder vom Horaz, herausgegeben von Ioh. Heinr. Iust Koeppen Braunschw. 1791.

Erklärende Anmerkungen dazu Th. I. *von Ebendenselben.* Th. II. *von Carl Aug. Boettiger* Braunschw. 1793.

Q. H. Fl. Carminum Libri V. übersetzt, und mit einigen Anmerkungen begleitet von Io. Fr. Roos. Leipzig 1791. 8.

P. F. A. Nitsch Vorlesungen über die klassischen Dichter der Römer T. I. II. (Horatii Carmina et liber Epodon). Leipz. 1792.

Q. H. Fl. quae supersunt, recensuit et notulis instruxit Gilb. Wakefield. Voll. II. Londini 1794.

Editio nitidissima, curatissimeque facta.

Q. H. Fl. Opera, ad exemplar Bentleii recudenda curavit, adiectis argumentis, notis criticis et Indicibus, Io. Chr. Fr. Wetzel Lipsitii 1799. 8.

Q. HO-

Q. HORATII FLACCI
VITA
AVCTORE
C. SVETONIO TRANQVILLO.

Q. Horatius Flaccus, Venusinus, patre, ut ipse 1
quidem tradit, libertino et exauctionum coactore,
[ut vero creditum est, salsamentario, cum illi
qui-

Suetonium Tranquillum conflat libellum scripsisse de poëtis, quo eorum vitas complecteretur. v. Isid. Orig. VIII. 7. Ex eo servarunt viri docti vitas Lucani, Terentii cet. Iam in codicibus antiquis reperta est vita Horatii, quae diserte tribueretur Suetonio. Eam primus P. Nannius e cod. Buslidiano Miscellaneorum suorum libri III. c. 1. inseruerat. Deinde e cod. Bland. antiquiss. a Bernardino Lauredano acceptam Muretus editioni suae a. 1555. praefixerat, sibique primus edere perperam visus erat. Post et Cruqu. ex eodem cod. edidit. Mendosissima initio erat, sed viri doeti post e vetustis MSS. et coniectura pleraque emendarunt, inprimis Rutgersius, Gronovius, Casaubonus, Vossius. Sed essetne ea vita omnino Suetonii, nec ne, dubitatum est. Qui illud defendunt, urgent fere similitudinem dictionis cum stilo Suetonii. Quae licet negari nequeat; tamen admodum infirmum e tali similitudine argumentum est. Illud autem gravius, quod Porphyrion ad Epist. II. 1 pr. scribit: *Apparet, hunc librum hortatu Caesaris scriptum esse. Cuius rei etiam Suetonius auctor est. Nam apud eum epistola invenitur Augusti, increpantis Horatium, quod non ad se quoque plurima scribat.* Hoc inquam plus momenti habet; quamquam et, si durior sis, dicere possis, non ideo necesse esse, ut haec, quam hodie habemus, Horatii vita a Suetonio

1 quidam exprobrasset in altercatione: *quotiens ego*
2 *vidi patrem tuum brachio se emungentem?*] bello Philippensi, excitus a M. Bruto imperatore, tribunus militum meruit; victisque partibus, venia impetrata,

tonio sit, nam posse nihilo setius Grammaticum seriorem eius auctorem esse, et modo illud de Augusto e Suetonio sumsisse. Sed vel sic facile inducimur ad rectissimum de hac vita iudicium: esse eam omnino a Suetonio, sed grammaticos et librarios monachos, qui illam transscriberent, vel omisisse, in suo quemque exemplo, quaedam, vel alia de suis interpolasse; quod ultimum de infami illo loco de speculato cubiculo certissimum est. Ceterum Porphyrionem etiam vitam Horatii scripsisse, ipse testatur ad Serm. I. 6. 41.

1. *libertino*, vid. Serm. I. 6. 45. *quidem* deest in quibusdam editis; elegantius adest in MSS. Pro *exactionum*, quod vulgo legitur, praeclare emend. Gesn. *exauctionum* h. finitarum s. peractarum auctionum i. venditionum publicarum; in quibus et *praecones* essent, h. qui starent ad hastam, oblataque pretia enuntiarent, et *coactores*, h. qui ab his, quibus attributae fuissent in auctione singulae res, pretium exigendum s. colligendam pecuniam in se reciperent, pacta centesima parte; ut apparet e Cic. Rabir. Post. 11. Tale munus obierat Horatii pater, et inde secundum sibi compararat. Cf. Serm. I. 6. 91. — Pro *ut vero* quidam libri ap. Rutg. *ut vere*, unde Casaub. legebat *fere*. *Salsamentarius*, qui salsamenta facit, vel vendit, ἀλλαντοπώλης. Dacer. vertit *un charcutier*. — *immungentem* pro *emungentem* in libris Rutgersii et sic Baxt. *mungentem* Casaub. Laudatur Auct. ad Heren. IV. 54. *Vt si salsamentarii filio dicas: quiesce tu, cuius pater cubito se emungere solebat.* Vereor autem, ne haec: *ut vero creditum — emungentem*, a librario sint. [Recte; id quod vel hiulca oratio arguit. Forte duo panni assuti sunt, primus de salsamentario, cui alius notum illud scomma ex Auct. ad Heren. adtexuit. Itaque uncis inclusi.]

2. *excercitus* liber Puteani ap. Rutgers. mendose. *Scriptum quaestorium* intelligo munus scribae, a quaestore in decuriam lecti; qui *scriptum facere* dicitur. Cf. Liv. IX. 46. XL. 29. [Adde Masson. in vita Nostri p. 74 sq. qui commode laudat Gell. VI. 9. Ad rem Noster Serm. II. 6. 36.]

3.

trata, ſcriptum quaeſtorium comparavit; ac primo 5
Maecenati, mox Auguſto in gratiam inſinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, ſatis demonſtratur iſto epigrammate:

Ni te viſceribus meis, Horati,
Plus iam diligo, tu tuum ſodalem
Ninnio videas ſtrigoſiorem.

Sed multo magis, extremis iudiciis, tali ad Au- 4
guſtum elogio: *Horatii Flacci, ut mei, eſto memor.*

Au-

3. *teſtatur* pro *demonſtratur*, liber Puteani, et ſic Baxt. *monſtratur* Valart. Sivr. In altero et tertio epigrammatis Maecenatiani verſu magna varietas eſt. V. 2. alii ap. Rutg. habent *Titum*, cod. Put. *tutum*. V. 3. apud Cruquium et Rutg. eſt *Hinno me videas*. Muretus edidit *Nimio v.* Nannius *Mimo me v.* Baxterus emend. *Minno* h. ove glabra. Gronovius coni. *Titii ſodalis Ginno*, ut ludatur in Titium quemdam, ſtrigoſo ginno h. mulo vehi ſolitum. Dacer. *Ninno me*. Voſſius, Lindenbrog. et Pithoeus *Ninnio videas;* dicitque Voſſius, fuiſſe eo tempore Romae poetam Ninnium Craſſum, qui ita eſſet macilentus et ſiccus, ut in quotidianos iocos abiſſet. Metrum non obeſt; nam etiam apud Catullum hendecaſyllabi multi a trochaeo incipiunt; et decet Maecenatem talis negligentia. Modo illud de Ninnio Craſſo certius eſſet. *Ninnio* haud dubie recte legitur, quod comparanti varietates allatas facile patebit; tum et gratior exſiſtit ſtructura eiecto *me*. *Ninnium* poſſis explicare parvum mulum, alias hinnum ſ. ginnum, item ninnum dictum. Sed mihi elegantior videtur iocus, ſi ſuſpiceris, eſſe nomen hominis vulgaris, nobis nunc ignoti, tunc a macritudine notiſſimi. Nam et Ninniam Campanam gentem fuiſſe apparet e Liv. XXIII. 8. et ingenioſus tunc luſus eſt in epitheto *ſtrigoſus*, quod proprie de iumentis dicitur. Volo, ut, qui nunc, inſtar tui, bene curatus et pinguis ſum (is enim fuiſſe videtur), ſtrigoſior fiam Ninnio.

4. *extremis Esquiliis* ap. Cruquium legitur, et ſic vulgo. nulla

5 Augustus epistolarum quoque ei officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: *Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum; nunc occupatissimus et infirmus, Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in epistolis scribendis adiuvabit.*

6 Ac ne recusanti quidem aut succensuit quid-
7 quam, aut amicitiam suam ingerere desiit. Exstant epistolae, e quibus argumenti gratia pauca subieci. *Sume tibi aliquid iuris apud me, tamquam si convictor mihi fueris: quoniam id usus mihi tecum esse volui, si*
8 *per valetudinem tuam fieri potuisset.* Et rursus: *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro*

nullo sensu; sed apparet, irrepsisse ex fine huius vitae. Rectius cod. reg. ap. Rutg. *extremis iudiciis*, h. testamento; quod vel *iudicium* dicere, vel *supremum*, *extremum* i. sollemne ICtis antiquis. — *ad Augustam* liber Putean. ut de Livia dicatur. Male. — *eclogio* vult Gesn. Sed bene habet *elogium*, testamentis proprium vocabulum (v. Gesn. thes. v. *Elogium* n. 8.); h. l. brevem commendationem significat.

5. *a te cupio abducere* Bentl. nescio unde. — *parasitica mensa*, h. qua ut parasitus fruitur, np. apud te, cui nulla officia praestat. — *regiam mensam* ferre non potest Rutgers. quia ap. Romanos regis nomen invidiam habuerit. Sed nihil vetabat ad amicum sic scribere, inprimis per iocum.

6. *suggerere* ap. Cruqu. et vulgo; sed *ingerere* cod. reg. Rutg. et Muret. *desistit* Gesn. Sivr.

7. *fieri possit* vel *posset*, vulgo legitur, sed sensus requirit *potuisset*, uti mox pro *habeo* legi iubet latinitas *habeam*.

8. Illa transeundi formula *Et rursus* aperte a monacho est, ex noto καὶ πάλιν in sacris litteris. Equidem omnia illa: *Exstant epistolae* — ἀνθυπεφρενοῦμεν, emblema e margine esse puto, at ex antiquo tamen alio scriptore sumtis ipsis epistolarum fragmentis; quae profecto non ab inepto grammatico, sed

nostro audire; nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio. Neque enim, si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν.

Praeterea saepe eum, inter alios iocos, *putissimum penem* et *homuncionem lepidissimum* appellavit, 9
unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta 10
quidem eius usque adeo probavit, mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo saeculare carmen componendum iniunxerit, sed et Vindelicam victoriam Tiberii Drusique privignorum suorum; eum- 11
que coëgerit, propter hoc, tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere: post Sermo- 12
nes vero lectos quosdam nullam sui mentionem habitam ita sit questus: *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque eiusmodi scriptis mecum potissimum loquaris.*

An

sed genuina esse, facile est sentire.

3. *Septimius* est ille, ad quem est carm. II. 6. et de quo loquitur Epist. I. 3 et 9. — ἀνθυπερφρονοῦμεν, vicissim superbi sumus: sic Cruqu. Muret. Rutg. Minus bene alii post Nannium ἀνθυπερηφανοῦμεν.

9. *putissimum*, antique pro *purissimum*, quod ipsum alii exhibent. *Penem* vulgo, et per iocum familiarem, simpliciter pro homine, vel, quod statim sequitur, homuncione, Romae dictum fuisse puto, ut *cunnus* simpl. pro femina dicebatur; ut *putissimus p.* sit homo integerrimus et carissimus, nil amplius. *appellavit*, sic legendum; vulgo *appellat*. — *una atque altera* male Dacer. explicat *duabus*, et in eo se torquet.

10. Post *perpetuo* in Blandin. cod. lacuna erat, quam explent fere *credidit*; sed Rutg. e cod. reg. *opinatus est*. — *Vindelicam v.* Est carm. IV. 4 et 14.

12. *Iratum* quidem editi, item mox pro *Eclogam* male *elogium*. Est epistola libri II prima. Eclogas enim antiqui omnis generis poëmata breviora dicebant, non solum, ut vulgo, idyllia.

14.

An vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod vi-
13 *dearis familiaris nobis esse?* Expressitque eclogam, cuius initium est,

Cum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.

14 Habitu corporis brevis fuit atque obesus, qualis et a semet ipso in satiris describitur, et ab Augusto
15 hac epistola: *Pertulit ad me Dionysius libellum tuum, quem ego, ne accusem brevitatem, quantuluscumque est,*
16 *boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne maiores libelli tui sint, quam ipse es. Sed si tibi statura deest, cor-*

14. *in satiris*, np. Serm. II. 3. 308. Huc etiam pertinet Epist. I. 4 extr. E margine suspicor esse hoc *in satiris*, nam recentiorem satiratum appellationem esse videbimus.

15. *Dionysius* haud dubie servus vel libertus Augusti. Pro *ne accusem brevitatem* liber Put. habebat *accusarem;* regius, *ut accusantem*, unde Bentl. *ut te accusem.* Male omnia. Regius codex videtur cum lacuna habuisse *ne accus . . . . atem.*

16. Codex regius cum lacuna exhibebat: *Sed si tibi statura deest, ... unde est.* Et sic Bentl. Vnde Caufaub. coni. *venter abunde est.* Facile apparet, perisse *corpusculum* et litteram primam ex *non.* — *in sextariolo* (quae est mensura antiqua et aridorum et liquidorum, sexta congii pars) *scribere* vel prudenter negligunt Intpp. vel putant, iuberi Horatium in sextariolum, tamquam in museum irrepere; quo ioco nihil posset frigidius excogitari. Rectissime unus Gesnerus rem expediit. Constat, veteres volumina sua super bacillo, vel longiori vel breviori, convolvisse. Iam sextariolus admodum brevis seu humilis fuerit oportet, vel axim superante diametro. Itaque humanissimo ioco Augustus brevitatem libri Horatii, cuius lectione non satiatus esset, accusat. Si vis, libros tuos te ipso non maiores esse, cogites, tibi licet non longum, at crassum

corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo scribas, cum circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατος, sicut est ventriculi tui.

Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut 17
Tiburtini, domusque eius ostenditur circa Tiburni
luculum. Venerunt in manus meas et elegi sub 18
eius titulo, et epistola prosa oratione, quasi com-
mendantis se Maecenati. Sed utraque falsa puto. 19
Nam elegi vulgares, epistola obscura; quo vitio
mi-

sum corpus esse; et sic licet, bacillo brevissimo, per me vel sextariolo, involvas scripta tua, *cum*, h. dummodo, quod longitudini deest, ut in te, circuitu compensetur, — ὀγκωδέστατος, quam crassissimus. Mire corrupta est haec vox, in editis quoque; e. g. οἰκολήστατος, ὀγκωκάνταστος cet. Sed non dissimulandum, h. l. in vita Horatii ap. Nannium, Cruquium, Muretum, et vulgo, sequi locum inhonestissimum, qui turpem maculam tanto viro adsperserit: *Ad res venereas intemperantior traditur; nam speculato cubiculo scorta dicitur habuisse* (sic) *disposita, ut, quocumque respexisset, ibi ei imago coitus referretur.* In quibus etiamsi forte a latinitate ferri possint *speculatum cubiculum* et *disponere scorta*; at narratio ipsa ita absurda et ἀσύστατος, ita aperte e Senecae (natur. quaestt. I. 16.) de Hostio quodam, dissolutae nequitiae homine, narratione, permutato nomine ducta, ut nullum esse dubium possit, quin ab inepto grammatico ille pannus interpolatus sit. Doctissime impr. Ill. Lessing. Opp. T. III. p. 11—30. cum resecuit. Tacite Dacer. et Baxterus omiserunt.

17. Ex illis: *Sabini aut Tiburtini* male quidam (Valart. etiam) duo praedia Horatii effinxerunt; quod vel ex carm. II. 18. 14. refellitur. Recte vidit Rutgers. praedium Horatii ita in confiniis agri Sabini et Tiburtini situm putandum, ut dubium esset, utro pertineret. Talis erat et Catulli fundus, c. XLII. quem hinc male quidam eumdem fuisse cum Horatiano putarunt. Sed ille haud dubie propior Tiburi fuit. — De *Tiburni luculo* vid. carm. I. 7. 13.

19. [Falsas quoque et misselli versificatoris fetum haben-

20 minime tenebatur. Natus est VI Idus Decembris, L. Cotta et L. Torquato Coss. Decessit V Kal. Decemb. C. Marcio Censorino et C. Asinio Gallo Coss. post nonum et quinquagesimum annum, haerede Augusto palam nuncupato, cum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum.

das esse duas Odas, nuper in Cod. Ms. Horatii bibl. Palatinae in Vaticana repertas et in calce l. I. Carminum adsutas, dudum ostenderunt VV. DD. Primus earum mentionem iniecit Villoiſ. Animadvv. ad Long. p. 310.

20. Pro *VI Id. Dec.* liber Put. habebat *III.* — In *post nonum* erravit vel Suetonius vel librarius, nam consules dicti definiunt numerum annorum LVII. — *palam*, viva voce. Cf. Iustin. Instit. L. II. T. X. §. 13.

VITA HORATII IN EODEM COD. ALITER DESCRIPTA *a*).

Q. Horatius Flaccus, libertino patre natus in Apulia, cum parente in Sabinos commigravit *b*). Quem cum pater puerum Romam misisset in ludum litterarium, parcissimis eruditus impensis, angustias patris vicit ingenio; coluitque adolescens Brutum, sub quo tribunus militum, civili bello, militavit, captusque a Caesare, post multum tempus, beneficio Maecenatis non solum servatus, sed etiam in amicitiam receptus est. Quapropter Maecenati et Augusto in omnibus scriptis suis venerabiliter assurgit. Scripsit autem Carminum libros IV, Epodon I, Carmen saeculare, Sermonum libros II, Epistolarum II, de Arte poëtica I *c*). Commentati sunt in illum Porphyrion, Modestus, Helenius Acron; omnium autem optime Acron *d*).

VITA HORATII IN TRIBVS CODD. BLANDD. ALITER DESCRIPTA.

Q. Horatius Flaccus, praecone patre natus, libertinae conditionis, Venusinus fuit, quae civitas Apuliae est. Non tamen aut opibus vilis, aut studio; nam litteris liberaliter eruditus pro ingenii dexteritate in tantum iam a puero eminebat, ut ultra meritum natalium talibus disciplinis faceret se aptum videri. Hic, post studia Romana, philosophiae caussa Athenas profectus, inter Epicureos pri-

a) Eadem, paucis mutatis, e cod. antiquo I. Sichardi, legitur, in edit. Basil. 1527.

b) *migravit* Basil.

c) *de A. p.* deest in Basil.

d) *omnium optime C. Aemilius.* Basil.

primum locum tenuit. Familiaritatem etiam M. Bruti adeptus est, eius, qui cum Augusto dimicavit; nam et tribunus militum eius fuit; post victoriam vero civilis belli, interventu Maecenatis, Horatio Caesar indulsit. Fuit autem idem Horatius statura brevis, lippus, obeso corpore, iracundus, obscenis moribus, ita ut cubiculo speculato uteretur, quo se congrediuntem videret. Natus VI Id. Decemb. Cotta et Torquato Coss. Septuagesimo *) septimo aetatis anno periit, haerede Augusto, sepultus in Esquiliis, iuxta tumulum Maecenatis. In opere suo Alcaeum imitatus est et Sapphonem, in satira Lucilium.

Q. HORATII FLACCI VITA PER ANNOS DIGESTA.

v. c. Varr. 689.
L. Aurelius Cotta. L. Manlius Torquatus Coss.
a. C. 65. Horatii 1.

His Coss. natum esse Horatium, non solum Suetonius auctor est, sed ipse etiam Flaccus, carm. III. 21. 1. V. 13. 7. Decembrem mensem ipse etiam natalibus suis assignat Epist. I. 20. extr. illiusque diem VI Id. memorat Suetonius.

Generis sui obscuritatem numquam dissimulat, semper ultro fassus, se nec ingenuo, nec claro natum patre, sed libertino, vita tamen et pectore puro: Serm. I. 6. 45. *Libertinus* autem eo tempore idem erat ac *libertus;* cum superioribus saeculis libertini dicerentur filii libertorum s. manumissorum. Vide vel Sueton. Claud. 24. Hinc Horatius ex suae aetatis more *ingenuus* erat, parens eius non item. v. Serm. I. 6. 8 et 20. Cf. Massoni vit. Hor. p. 4 sqq. et Wieland. ad Serm. I. 6. 8. Oportet tamen

*) Leg. *quinquagesimo.*

tamen Flaccum, patre iam libertate donato, natum esse; alias enim non fuisset ingenuus.

Patrem, cuius nomen ignoratur, postquam, ut dicemus, Romam concesserat, *coactorem* fuisse, constat et ex eius vita, et e Sermon. I. 6. 85. Id ad vectigalia fere referunt, quae coëgerit pro publicanis. Sed vid. not. ad vit. Horat. §. 1. Salsamentarium fuisse, ut in vita Hor. dicitur, Torrentius non vult credere, quia ipse id non commemorarit. Sed hoc certe infirmum. Ioannis du Hamel commentum de Horatii patre Flavio Flacco, nobili gente Pontica orto, ita, ut meretur, castigat Sanadonus.

Patria erat *Venusia*, vel, ut alii, *Venusium*, Dauniorum colonia (Plin. III. 11. Strab. VI. p. 195.), anno V. c. CCCCLXII deducta (Vellei. I, 14.), oppidum non ignobile, εὐτείχιστον dictum Polybio, III. 90. In confinio Appulorum et Lucanorum ita situm, ut anceps esset, utro potius pertineret. v. Serm. I. 2. 34. Cf. Heins. Advv. p. 490. Proximus erat Vultur mons, at in Peucetia, altera Apuliae parte; v. Carm. III. 4. 9 sqq. In ea regione agellum parvum habuisse patrem Horatii, constat ex Serm. I. 6. 71. Cum Apuliam attingeret Calabria, Martiali noster Calaber etiam dictus, VIII. 18.

v. c. 696.
L. Calpurnius Piso. A. Gabinius.
a. C. 58. *Horatii* $\frac{1}{8}$.

Pater Horatii, ingenui et generosi vir animi, cum in filio elegans ingenium animadverteret, omnem curam in illius educatione posuit, et quidquid ex facultatibus exiguis posset, benigne in eam impendit. Agello enim suo, quem Venusii habebat, relicto (nam vendidisse eum, temere poni arbitror, multoque probabilius videtur, Horatium demum, Bruti partes secutum proscriptione post proelium Philippense amisisse. Ipse hoc innuit

Epp. II. 2. 49. *Vnde* (ex aestu civilis belli) *simul primum me dimisere Philippi* decisis humilem pennis, inopemque paterni et laris et fundi. Recte ibi Schol. *Significat se proscriptum fuisse*) puerum Romam deduxit, ibique exactoris munere emto, filium non solum liberalibus honestisque artibus iis, quibus nobilium liberi instituebantur, imbuendum curavit, spretis iis, quae ad solum quaestum spectarent; habitumque et comitatum ei dedit, qui nec nobilem puerum dedeceret: sed etiam morum filii ipse assiduus custos et rector, virtutumque ei omnium et magister et exemplum fuit; eumque non divitem et magnum, sed bonum et honestum aliquando virum esse voluit. Vid. Serm. I. 6. 66—92. grati in talem patrem filii immortale monumentum.

Fuit primus Horatii praeceptor Orbilius Pupillus, eo tempore Romae grammaticam professus, qui, ex instituto eius aetatis scholarum, enarrabat pueris carmina Livii Andronici et Homeri: Epist. I. 2. 70. II. 2. 41. Cf. Quinctil. I. 8. Graecarum inprimis litterarum amantissimus, earum exquisitam cognitionem noster sibi a puero comparabat; Serm. I. 10. 31. A. P. 269.

v. c. 705.
C. Claudius Marcellus. L. Cornelius Lentulus.
a. C. 49. *Horatii* $\frac{16}{17}$.

Togam virilem sumsisse h. a. Horatium probabile est. v. Masson. p. 25.

v. c. 709.
C. Iulius Caesar IV. sine collega.
a. C. 45. *Horatii* $\frac{20}{21}$.

Ciceronis filius, Horatio aequalis, aliique iuvenes nobiles, Bibulus, Acidimus, Varus, Messala, vere ineunte Athenas, studiorum caussa, proficiscuntur. Cic. Epist.

Epist. ad Att. XII. 23. 26. XIII. 24. XV. 13. 15. Probabile fit, Horatium eodem tempore Athenas petisse, ut philosophiae operam daret. Nam ante bellum civile, post Caesaris caedem ortum, eo se venisse ait Epist. II. 2. 43.

v. c. 710.
C. Iulius Caesar V. M. Antonius.
a. C. 44. Horatii $\frac{21}{22}$.

Idibus Martiis Caesar in curia Romana occiditur. Sequuntur eius mortem varia prodigia, et historicis et poëtis celebrata. Itaque carmen I. 2. ad hunc a. refert interpretum multitudo. Sed quis sibi persuadeat, Horatium, eo tempore partes Bruti amplexum, in Octavianum fecisse carmen tam splendidum? quod praeterea tantum tamque exercitatum poëtam prodat, qualis profecto tunc nondum Flaccus fuit? Tum omnino, ut alia taceam, obstat appellatio *Principis* v. 50.

Brutus et Cassius, Italia cedentes, Athenas veniunt. Ibi Brutus clam bellum parat, iuvenesque Romanos, Athenis studiorum caussa versantes, sibi coniungit, in his Ciceronis filium (Plut. Brut. 37. Dio XLVII. 21. Vellei. II. 62.), et Horatium, ipso teste Epist. II. 2. 47. Carm. II. 7. pr.

v. c. 711.
C. Vibius Pansa. A. Hirtius.
C. Iul. Caesar Octavianus. Q. Pedius suffecti.
a. C. 43. Horatii $\frac{22}{23}$.

Ineunte anno M. Brutus cum copiis in Macedoniam abit, et in eius cohorte est Horatius. Ad hoc tempus referenda videtur rixa inter Rupilium Regem, qui et ipse in Bruti comitatu erat, et Persium coram Bruto agitata, quam Horatius describit Serm. I. 7. quamquam non ideo ecloga ista ad h. a. referenda videtur. M. Lepidus, M.

Antonius, C. Caesar Octavianus Triumviros reip. constituendae in V annos se renuntiant, et provincias inter se distribuunt.

Horatius in exercitu Bruti *tribunus militum* fit; Serm. I. 6. 45.

Ovidius nascitur. Non multo ante Propertius. Tibullus iam a. 705. Alii tamen aliter.

v. c. 712.

M. Aemilius Lepidus II. L. Munatius Plancus.

a. C. 42. *Horatii* $\frac{23}{24}$.

Cf. Carm. III. 14. fin. Triumviri Caesari divinos honores decernunt, et ab eo tempore Octavianus *Divi* filius appellatur. Dio XLVII. 18. 19. L. Aelius Lamia praetor creatur.

Anno fere exeunte bis pugnatur apud Philippos, in ea Macedoniae parte, quae olim ad Thraciam pertinuerat. Brutus et Cassius victi ad mortem compelluntur. Horatius post alterum proelium fuga salutem petit. v. Carm. II. 7. Non aliud bellum cruentius caede clarissimorum hominum fuit. Vellei. II. 71. Sed eodem tempore classis Octaviani, duce Domitio Calvino, in mari Ionio, a Statio Murco et Cn. Domitio Ahenobarbo profligatur.

Claudius Tiberius Nero nascitur, III Kal. Decemb.

v. c. 713.

L. Antonius. P. Servilius Isauricus.

a. C. 41. *Horatii* $\frac{24}{25}$.

Redeundi impunitate victis oblata, dum multi, in his Pompeius Grosphus, Horatii amicus (v. Carm. II. 7.), in Brutianis partibus manent, atque a Statio Murco vel Cn. Ahenobarbo recepti, ad Sex. Pompeium in Siciliam profugiunt (Dio XLVII extr. Vellei. II. 72. et 76.); Ho-

Horatius huius anni initio in Italiam redit. Magnam in hoc reditu tempestatem passus creditur ad Palinurum promontorium, et huc iam Scholiastes traxit Carm. III. 4. 28. Quod tamen non opus est, eum in isto reditu potius, quam alio tempore, ibi periclitatum esse. Ad navim, qua redisset, Tanaquillus Faber et Dacerius carm. I. 14. traxere; parum acute. Vid. Argum. illius carminis et a. 722.

Offendebat Horatius redux patrem se absente mortuum, neque relictum sibi habebat Larem, nec fundum paternum, quo triumvirali proscriptione exciderat; quae illi eo tristior fors fuerit oportet, cum commoda et splendida adeo fuisset vita superior. Itaque paupertas ac obscuritas, in generoso animo ingenii artiumque nutrices, eum primum impulerunt, ut versus faceret (Epist. II. 11. 49 sqq.); non, quo inde panem quaereret, sed quo elucesceret ac sibi compararet patronos. Neque video, quomodo hoc illi opprobrio sit, cum constet, omni memoria in aliis etiam generibus seorsu paupertatis magnos viros evasisse; magnaque ingenia, dum adversis rebus obnitantur, hoc ipso nisu in altum extolli. Fuerat in Horatio magnum ingenium poëticum, subactum Graecorum familiaritate; hoc suscitari primum tali impulsu oportebat. Quamquam eum, dum Athenis commoraretur, vel antea adeo, versuum scribendorum periculum iam fecisse e Serm. I. 10. 31. haud absurde colligas. Post autem, cum in otio honeste beateque viveret, solius vel animi et gloriae, vel publici usus gratia carmina fecit. Vitae sustentandae caussa scriptum illum (s. quasi scribatum) quaestorium, quem Suetonius dicit, sibi comparasse videtur; ut esset in decuria scribarum, qui quaestori apparerent. (Vid. Wieland. ad Serm. II. 6. 36.) Sed sequenti tempore illud munus neglexisse eum, facile intelligitur. Cf. autem Serm. II. 6. 36. Illud vero hinc apparet, nulli superiorum annorum assignandum esse ullum carmen Horatii. Huic autem anno Massonus eleganti

suspicione tribuit Serm. I. 7. quae omnino ecloga iuvenile prodit ingenium, neque inepte pro primo foetu Horatiani ingenii haberi possit, quem quidem dignum lectu ipse habuerit.

Neque in Virgilii et Varii amicitiam ante hunc a. venire potuit; neque forte hoc ipso venit. Item male huc refert carmen I. 2. Rodellius; cum arbitrari vix possimus, Horatium tunc iam tantum poëtam fuisse, quantum hoc carmen arguit.

v. c. 714.

Cn. Domitius Calvinus. C. Asinius Pollio.

Suffecti sub anni finem

L. Cornelius Balbus. P. Canidius.

a. C. 40. *Horatii* $\frac{25}{26}$.

Bellum Perusinum. In eo Asinius Pollio Cos. a partibus Antonianis est. Octavianus L. Antonium Perusiamque urbem deditione accipit. Pax Brundisina inter Octavianum et Antonium, opera L. Cocceii, communis amici, adhibitis etiam Maecenate a Caesaris, Pollione ab Antonii parte. Dio XLVII. 28. Referri solet ab Intpp. ad hanc pacem Brundisinam Serm. I. 5. Sed recte id reiicit Massonus p. 82. sqq. inprimis quod v. 27. dicuntur Maecenas et Cocceius saepius iam conciliasse Octavianum et Antonium, idque a. 714 haud dubie primum factum est; tum et Fonteii Capitonis in hac pace nulla est apud historicos mentio.

v. c. 715.

L. Marcius Censorinus. C. Calvisius Sabinus.

a. C. 39. *Horatii* $\frac{26}{27}$.

Antonius Pollionem cum exercitus parte adversus Parthinos, populum Illyricum, circa Epidamnum incolentem, et Bruti caussae eximie faventem, mittit; qui

rem

rem egregie gessit, et sq. anno triumphum de Parthinis egit. V. Dio XLVIII. 41. Appian. V. p. 1135.

Pace cum Sex. Pompeio ad Misenum composita omnibus proscriptis impunitas redeundi data est. Dio XLVIII. 36. Vellei. II. 67. In iis est Pompeius Grosphus, Horatii amicus, quem venientem excipit carmine II. 7. cuius v. Argum.

Ad d. VIII. Kal. Nov. Pollio ex Parthinis triumphat. Gruter. thes. inscr. p. 297. Hic est *Dalmaticus triumphus*, Carm. II. 1. 16. ubi v. not. Sed oportet tamen hoc carmen aliquanto post hunc a. scriptum esse, ob Pollionis doctum otium in eo commemoratum.

Hoc anno Horatium Maecenati a Virgilio et Vario commendatum esse, Sanadonus ex Serm. I. 6. 55. ponit. Et recte. v. ad a. DCCXVI. et cf. Ill. Heyn. Vit. Virg. ad hunc a.

v. c. 716.
App. Claudius Pulcher. C. Norbanus Flaccus.
a. C. 38. Horatii $\frac{27}{28}$.

Pax cum Sex. Pompeio facta dirimitur, et recrudescit cum eo bellum, *Siculum* s. *piraticum* dictum. v. Plin. XVI. 4. Vellei. II. 73. Igitur huic anno assignandum Epod. carm. IV. nec differendum ad sequentem; nam eo cum Caesar ipse quoque XX servorum millia manumiserit et ad remum dederit (Sueton. Aug. 16.), non poterat tunc poëta sine invidia *servilem manum* tangere.

Hoc demum anno Horatium in Maecenatis amicitiam et familiaritatem adscriptum esse, nono mense post, quam ei commendatus esset (v. Serm. I. 6. 52 sqq.), apparebit ex iis, quae ad a. V. DCCXXIII dicentur. A Maecenate obtinet praedium in Sabinis, et per eundem in Octaviani amicitiam insinuatur.

v. c.

v. c. 717.

M. Vipsanius Agrippa. L. Caninius Gallus.

a. C. 37. *Horatii* $\frac{28}{29}$.

Ab Agrippa, ut recens aedificatis classibus tutus recessus esset, lacu Averno et Lucrino cum mari commisso, portus Iulius factus est. v. Dio XLVIII. 50 et 51. Huius operis mentio in A. P. 63.

Antonius Athenis Tarentum classe venit. Octavia adducit Octavianum, ut eum conveniat. Nova inter eos amicitiae pactio. Dio XLVIII extr. Eodem Maecenas properat cum Horatio, Virgilio, Vario, Plotio. Id est iter Brundisinum, descriptum Serm. I. 5.

v. c. 718.

L. Gellius Poplicola. M. Cocceius Nerva.

a. C. 36. *Horatii* $\frac{29}{30}$.

Victo Sex. Pompeio, Octavianus Romam reversus magnis honoribus afficitur. Oppidatim inter Deos tutelares consecratur. Appian. V. p. 1178. Phraates, Parthorum rex, in suos cives saevire occipit.

v. c. 719.

L. Cornificius. Sex. Pompeius fil.

a. C. 35. *Horatii* $\frac{30}{31}$.

Sextus Pompeius Mileti trucidatur. Phraatem regno pellunt cives sui, et Teridati illud conferunt.

v. c. 722.

Cn. Domitius Ahenobarbus. C. Sosius.

a. C. 32. *Horatii* $\frac{33}{34}$.

Ad bellum atrocissimum spectant inimicitiae Caesaris et Antonii. Magni utrimque apparatus. Huc spectare videtur Carm. I. 14. Epod. VII. et XVI. Plancus ad Caesarem ab Antonio transfugit, ad quem est c. I. 7.

v. c.

v. c. 723.

C. Caesar Octavianus III. M. Valer. Messala.

a. C. 31. *Horatii* $\frac{34}{35}$.

Maecenati ad Actiacum bellum cum Augusto ituro comes esse vult Horatius. Hinc carmen V. 1. enatum, sub initium anni. Sed non adnuit Maecenas. Praecessit etiam pugnam Actiacam Carm. V. 9. Facta est ea pugna ad d. IV Non. Sept. M. Antonius in Aegyptum fugit. Post illam exarata Serm. II. ecl. 6. nam dimiserat Octavianus veteranos in Italiam, nec dum illis quidquam dederat (v. 55.); v. Dio. LI. p. 444. At statim sequenti anno illis rebellantibus pecunias et agros dedit; Dio LI. p. 445. Igitur ex eiusdem satirae v. 40 sqq. principium amicitiae inter Maecenatem et Horatium in a. 416 figitur.

v. c. 724.

Caesar Octavianus IV. M. Licinius Crassus.

a. C. 30. *Horatii* $\frac{35}{36}$.

Caesar, post breve in Italiam iter, Aegyptum in provinciam redigit. M. Antonius et Cleopatra se ipsi interficiunt. Horatius scribit carm. I. 37.

Phraates in regnum Parthorum restituitur, et pellitur Teridates, qui in Syriam fugit. Dio LI. 18.

v. c. 725.

Caesar Octavianus V. Sex. Apuleius.

a. C. 29. *Horatii* $\frac{36}{37}$.

Ianus clauditur; Dio LI. 20. Caesar d. VIII. VII. VI Id. Sext. triumphos agit; Dio LI. 21. Post de imperio deponendo consultat cum Agrippa et Maecenate; Dio LII. pr.

T. Faber et Dacer. ad h. a. referunt Carm. I. 2. quo prodigia Caesaris mortem secuta, et bella civilia, tamquam vaticinio includantur, a. 710 edito. Sed puerilis fuisset

fuiſſet in h. c. talis progreſſus, ut bene vidit Sanadonus. Et obeſt inundatio Tiberis, quae poſt Caeſaris necem nulla memoratur. Virgilius talem diluviem non tacuiſſet.

v. c. 726.
Caeſar Octavianus VI. M. Aprippa II.
a. C. 28. *Horatii* $\frac{37}{38}$.

Cum hoc a. Caeſar Apollinis in Palatio templum et bibliothecam dedicaret, ſcripſit Horatius c. I. 31. Caeſar ad templa reficienda et urbem ornandam animum appellit; Dio LIII init. Vellei. II. 89. Hoc tempore componit Horat. C. III. 6. Ad idem tempus referendus Sermo 10. L. 1. iudice Sanad.

v. c. 727.
Caeſar Octavianus VII. M. Agrippa III.
a. C. 27. *Horatii* $\frac{38}{39}$.

Caeſar *princeps* dicitur; Dio LIII. 11. et *Auguſtus* appellatur; Dio LIII. 16. poſtquam iterum de imperio deponendo conſultavit. Nocte ſeq. Tiberis exundatio loca plana Romae ſic replet, ut navigari poſſit. Hinc Sanadon. huic a. aſſignat Carm. I. 2. Sed cum cetera hic memorata prodigia nulla illo a. exſtiterunt, tum haec exundatio Tiberis non pro irae Deorum omine accepta eſt ab hariolis, ſed ſic, ut Auguſtum ad magnam potentiam evaſurum dicerent. Dio LIII. 17.

Auguſtus cum exercitu in Britanniam ire parat, alium exercitum ad Orientem contra Arabas mittere. Facit Horatius C. I. 35. cuius v. Argum. item I. 29. ad Iccium.

Cantabri ſeditionem movent. Dacer. itaque huc refert C. II. 6. At vid. illius Argum.

v. c.

v. c. 728.

Caesar Augustus VIII. T. Statilius Taurus II.

a. C. 26. *Horatii* $\frac{30}{48}$.

Sex. Apuleius ex Hispania triumphat. Sed Cantabri et Astures mox renovant bellum.

v. c. 729.

Caesar Augustus IX. M. Iunius Silanus.

a. C. 25. *Horatii* $\frac{29}{47}$.

Expeditio Augusti in Cantabros. Initium belli contra Arabiam et Aethiopiam faciunt Aelius Gallus et Petronius. Marcellus Iuliam ducit. Horatius scribit C. IV. 4.

v. c. 730.

Caesar Augustus X. C. Norbanus Flaccus.

a. C. 24. *Horatii* $\frac{28}{46}$.

Phraates iterum pellit Teridaten, qui in Hispaniam ad Caesarem Augustum fugit. v. Argum. C. I. 26. Augustus Cantabris victis Romam post triennium redit, cum ob morbum diutius abfuisset; et Ianum iterum claudit; Dio LIII. p. 515. Canit Horatius C. III. 14. item I. 36.

Quinctilius, communis Horatii et Virgilii amicus, moritur. Hieron. Chron. Euseb. ad Ol. 189. 1. Consolatur Horatius Virgilium carmine I. 24.

v. c. 731.

Caesar Augustus XI. A. Terentius Varro Muraena.

suff. Cn. Calpurnius Piso.

a. C. 23. *Horatii* $\frac{27}{45}$.

Phraates legatos mittit Romam, repetitum Teridatem et filium suum. Quae res dum in senatu agitatur, facit Horatius C. I. 26. cuius v. Argum. Augustus Phraati filium reddit, hac lege, ut captivos et signa Romana restituat. Teridati permittit, Romae manere. Dio LIII. 33.

Au

Augustus gravi morbo decumbit; sed convalescit. Brevi post Marcellus iuvenis moritur. Inter haec duo facta scriptum est C. I. 12.

v. c. 732.
M. Cl. Marcellus Aeserninus. L. Aruntius.
a. C. 22. *Horatii* $\frac{23}{44}$.

Non solum in fine anni superioris, sed hoc ineunte etiam, magnae Tiberis inundationes memorantur. Fulmine ictae in Pantheo statuae. Dio LIII extr. LIV pr. Haec prodigia occasionem dedisse videntur Carmini I. 2. licet manifestum sit, commemorari non illa sola, sed plura simul alia, quae praecessissent. Augustum rerum potitum cum commendare vellet poëta, tamquam eum, qui rempublicam, bellis civilibus iactatam, restituturus esset; bella autem civilia declarari solerent per ἄγος, quod expiatione indigeret, denique prodigia a longo inde tempore civitatem ἐναγῆ et expiatione egentem indicassent: Augustum eum esse auguratur, qui καθαρμοῖς, expiationibus publicis, rempublicam piaculo eximeret. In quibus redeundum est ad notiones veterum de calamitatum publicarum caussa ab ira Deorum repetita, ex concepto piaculo, et de necessitate expiationum. Plura, quae carmen ad h. a. referre suadeant, in Obss. monuimus.

Coniurant in Augustum Licinius Varro Muraena et Fannius Caepio. Augustus in Siciliam abit (Dio LIV. 6.); unde in Parthos profecturus putatur. Paullo ante hanc profectionem scripta videtur Epist. I. 9.

v. c. 733.
M. Lollius. Q. Aemilius Lepidus.
a. C. 21. *Horatii* $\frac{44}{45}$.

Scripta hoc anno Epist. I. 20. Augustus in Graeciam, hinc in Samum navigat, ibique hiemat. Medio anno scriptum C. III. 29. ad Maecenatem, absente Augusto

Vrbi

Vrbi praefectum. Item referas huc c. II. 13. quod anno ante III. 8. ſcriptum eſſe, conſtat ex huius v. 9.

v. c. 734.
M. Apuleius. P. Silius Nerva.
a. C. 20. Horatii $\frac{45}{46}$.

Aſiam, Bithyniam, Syriam Auguſtus inviſit. Phraates ſigna Auguſto et captivos remittit; Dio LIV. 8. Ea res magnificis verbis a poëtis ornari ſolet. Loquuntur de Parthis proſligatis, ſubactis, domitis, de everſo eorum imperio, de Oriente debellato, de Phraate Auguſti ad pedes procumbente, ab eoque ius regnandi accipiente cet. Tum et Daci ac Sarmatae, aliique Iſtri accolae, continuo excurrentes in fines Romanos per Lentulum coërcentur; Flor. IV. 12. Denique hoc etiam anno, occiſo Artaxia, datur ab Auguſto Armeniis Tigranes, et a Tiberio Nerone in regnum deducitur; Dio LIV. 9. Id ipſum etiam a poëtis ſic augetur, tamquam ſubacta ſit Armenia. Referuntur ad haec tempora C. II. 11. III. 8. Epiſt. I. 3. et 8. item 12. Neque diu poſt hunc a. ſcriptum eſſe poteſt c. II. 17. cuius v. Argum.

v. c. 735.
C. Sentius Saturninus. Q. Lucretius Veſpillo.
a. C. 19. Horatii $\frac{46}{47}$.

Virgilius in Graeciam proficiſcitur; v. vit. Virg. Eſt ad eum C. I. 3. Moritur Brundiſii.

Auguſtus ab Oriente redit Romam a. d. IV Id. Oct. Videntur huc aſſignanda c. I. 19. III. 5.

v. c. 737.
C. Furnius. C. Iunius Silanus.
a. C. 17. Horatii $\frac{48}{49}$.

Auguſtus ludos ſaeculares inſtituit; Dio XIV. p. 533. Plin. VII. 48. Cenſorin. c. 17. Horatius eius iuſſu con-

conscribit carmen saeculare. Ad idem tempus spectat C. IV. 6.

v. c. 738.

L. Domitius Ahenobarbus. P. Cornel. Scipio.

a. C. 16. Horatii $\frac{42}{58}$.

Pertinent ad h. a. C. IV. 1. et sic circa idem tempus scriptum oportet C. IV, 10.

v. c. 739.

M. Drusus Libo. L. Calpurnius Piso.

a. C. 15. Horatii $\frac{58}{57}$.

Rhaeti et Vindelici per Tiberium et Drusum subiguntur. Primum solus Drusus missus erat, et Rhaetos apud Alpes Tridentinas proelio vicerat; Dio LIV. p. 536. Eo spectat C. IV. 4. Deinde cum Rhaeti nihilo minus Galliam urgerent, Tiberius quoque adversus eos missus; Dio ibid. Proinde Drusus et Tiberius simul multis locis in Rhaetiam irruperunt, et aliquot proeliis copias hostium deleverunt. Haec gesta celebrantur carmine IV. 14. serius scripto, ut videbimus. — Augustus per totum annum in Gallia absens est.

v. c. 740.

a. C. 14. Horatii $\frac{57}{52}$.

Augustus adhuc dum Roma abest, in Hispania, Gallia, Germania, rebus constituendis intentus. Scriptum tunc videtur C. IV. 5. np. post legem de adulteriis et de maritandis ordinibus a. 736 latam, item post subactos Parthos, Cantabros et Germanos. Ad idem tempus spectat C. II. 4.

v. c. 741.

Tib. Claudius Nero. P. Quinctilius Varus.

a. C. 13. Horatii $\frac{52}{53}$.

Augustus Romam revertitur. Si Suetonio credimus, Augustum Tiberii Drusique, privignorum suorum, victoriam

riam Vindelicam canere iussisse Horatium, eiusque rei caussa quartum librum carminum addere: huic sane anno is iussus Augusti erit assignandus, quo post triennii in Gallia absentiam, Vrbem repetiit. Certe C. IV. 14. non prius, quam post eum reditum, scriptum esse probabile est.

v. c. 742.

M. Valerius Messala, P. Sulpitius Quirinus.

a. C. 12. Horatii $\frac{53}{54}$.

Agrippa moritur, ad quem unum est c. I. 6. incertae aetatis.

v. c. 744.

Iulus Antonius. Q. Fabius Maximus Afric.

a. C. 10. Horatii $\frac{55}{56}$.

Dacis, Getis et Germanis a Druso ac Tiberio victis, Ianus tertium clauditur. Carmen IV. 15. et Epist. II. 1. Horatii opera novissima, hoc anno scripta videntur.

v. c. 746.

C. Marcius Censorinus. C. Asinius Gallus.

a. Cr. 9. Horatii 57.

Horatium hoc anno V Kal. Dec. mortuum esse, et quidem subito, ut ne signare quidem testamentum posset, docet Sueton. in eius vita; errore tamen in annorum Horatii numero admisso, dum LIX pro LVII ponit. Hieronym. Chron. Euseb. ad Olymp. 192. 5. *Horatius quinquagesimo septimo aetatis suae anno Romae moritur.*

Eodem anno inclinante moritur Maecenas, teste Dione LV. p. 552. et quidem ante Horatium; quod cur ex eius vita, a Suetonio conscripta, intelligere pertinaciter noluerint Turnebus, Torrentius, Dousa, A. Schottus (Obss. II. 60.) et Sanadonus, equidem non capio.

VILLA HORATII ab ipso elegantissime pingitur Epist. I. 6. 5 sqq. Sita erat in Sabinis; non procul Tibure versus Aquilonem. Vicina erat Varia (Epist. I. 14. 3.), item Mandela (Ep. I. 18. 105.); proximum fanum Vacunae (Ep. I. 10 extr.). Ager dicebatur Bandusia, fonte Bandusio (C. III. 13.) insignis, unde ortus rivus Digentia (Epist. I. 18. 104.), fundum Horatii suaviter irrigabat. Silvis et nemoribus amoenissima erat regio, inprimis versus antiquum templum Vacunae (v. Plin. III. 12.), et amplius versus Anienem fl. et Tibur sequebatur lucus Tiburni. Nec deerant saxa, rupes, dumeta (Ep. I. 14. 19.); ut maxime poëtica regio dici posset. In convalle inter Lucretilem montem et Vsticam, saxosum collem, a quo ipsa etiam vallis Vstica dicta, non procul fonte Bandusio (v. Serm. II. 6. 2.), villam ipsam positam fuisse probabile est. Eleganter erat aedificata de albo lapide Tiburtino. Habebat in ea Horatius villicum cum octo servis, et vivebant in agello quinque familiae (Ep. I. 14. 3.) unde satis lautum fundum fuisse intelligatur. Scripserunt plura de villa Horatii Cluver. ant. Ital. II. 9 sqq. et magno, forte nimio studio, *M. L. Capmartin de Chaupy* in *Découverte de la maison de campagne d'Horace*, *Tomes III. Rome* 1767. 8. Elegantior multo est *Dominici de Sanctis Dissertazione sopra la villa di Orazio Flacco. In Roma* 1761. 4. Denique *Hackertus*, nobilissimus delineandi artifex, dexterrime nonnulla agri istius Bandusii loca repraesentavit, et ingeniose Horatii descriptiones iis accommodavit.

TESTIMONIA

TESTIMONIA ANTIQVA
DE
HORATIO.

OVIDIVS Trist. IV. 10. 49.

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

PETRONIVS C. 118.

Caeterum neque generosior spiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens potest, nisi ingenti flumine litterarum inundata. Effugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate, et sumendae voces a plebe submotae, ut fiat

Odi profanum volgus et arceo.

Praeterea curandum est, ne sententiae emineant extra corpus orationis expressae; sed intecto vestibus colore niteant. Homerus testis, et Lyrici, Romanusque Virgilius, et Horatii curiosa felicitas.

IUVENAL. Sat. VII. 53 sqq.

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus silvarum, aptusque bibendis
Fontibus Aonidum: neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere moesta
Paupertas atque aeris inops, quo nocte dieque
Corpus eget: satur est, cum dicit Horatius *Evoe!*

PERSIVS I. 116.

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit et admissus circum praecordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.

SALEI. BASSVS ad Pis. 227.
(Wernsd. Poet. min. IV. 276.)

Maecenas alta Thoantis
Eruit, et populis ostendit nomina Graiis.
Carmina Romanis etiam resonantia chordis
Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.

QVINCTILIANVS Inst. Or. I. 8.

Vtiles Tragoedi: alunt et Lyrici; si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris. Nam et Graeci licenter multa, et Horatium in quibusdam nolim interpretari.

IDEM L. X. C. 1.

Multo est tersior (Lucilio) ac purus magis Horatius, et ad notandos hominum mores praecipuus. *Et paullo post:* Iambus non sane a Romanis celebratus est, ut proprium opus; a quibusdam interpositus: cuius acerbitas in Catullo, Bibaculo, Horatio; quamquam illi epodos intervenire non reperiatur. At Lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando et plenus est iucunditatis et gratiae et variis figuris et verbis felicissime audax.

AVCTOR de Caussis corr. Eloqu. c. 20.

Exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Attii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus. Horum igitur au-

auribus et iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas, pulchrior et ornatior extitit.

AVSONIVS Eid. IV. 56.

Te praeeunte, nepos, modulata poemata Flacci
Altisonumque iterum fas est didicisse Maronem.

SIDONIVS APOLLIN. Epp. VIII. 11.

stilus aut Maronianus
Aut quo tu Latium beas, Horati,
Alcaeo potior Lyristes ipso.

IDEM ibidem (p. 226. Sirmond.)

In Lyricis Flaccum sequutus nunc ferebatur in Iambico citus, nunc in Choriambico gravis, nunc in Alcaico flexuosus, nunc in Sapphico inflatus.

IDEM in Praef. Panegyr. Iul. Val. Maiorano dicti.

Et tibi, Flacce, acies Bruti Cassique sequuto
Carminis est auctor, qui fuit et veniae.

IDEM L. IX. Epp. 13. ad Tonantium.

Sed tu per Calabri tramitis aggerem
Vis ut nostra dehinc cursitet orbita
Qua Flaccus lyricos Pindaricum ad melos
Frenis flexit equos plectri potentibus,
Dum metro quatitur chorda Glyconio,
Nec non Alcaico vel Pherecratio
Iuncto Lesbiaco, sive Anapaestico.

IDEM

IDEM Carm. IX. v. 223 ſqq.

Non quod per Satiras, Epiſtolarum
Sermonumque ſales, novumque Epodon
Libros carminis ac Poeticam Artem
Phoebi laudibus et vagae Dianae
Conſcriptis voluit ſonare Flaccus.

IDEM Carm. XXIII. 450 ſqq.

At ſi dicat Epos metrumque rhythmis
Flectat commaticis tonante plectro,
Mordacem faciat ſilere Flaccum.
Quamvis poſt Satiras Lyramque tendat
Ille ad Pindaricum volare cygnum.

Q. HO-

Q. HORATII FLACCI

CARMINVM

LIBER PRIMVS.



Q. HORATII FLACCI
CARMINVM
LIBER PRIMVS.

CARMEN I.

ARGVMENTVM.

Carmina ſua, ſorte duos vel tres priores libros Maecenati traditurus poeta, hoc praefationis loco praemiſſo, ſuum poeſeos ſtudium praedicat, ſeque in eo ſibi maxime placere ait, ſi Maecenatis iudicio probetur. Primariam hanc carminis ſententiam, per ſe ſimpliciſſimam, quomodo tractaverit, quibusque virtutibus exornaverit, iam expende. Habet quisque, ait, quod ſequatur, in quo beatum ſe exiſtimet, ſtudium. Alium

gloria, et honorum amplitudo; divitiae alium tenent. Hic sorte sua contentus vitam degit; ille habendi cupiditate flagrat maxima; dum alius, rerum omnium securus, genio suo indulget. Militia hos, illos venatio delectat. Ego vero poesin sector, solique huic vaco: quae si tibi probabitur, summam inde poetae lyrici gloriam, tantum enim iudicio tuo tribuo, me adsecutum arbitrabor. Atque sic satis ornatui dedisse videri poterat; sed imaginibus istis colores adspersit eos, quibus toti carmini, tanquam picturae, vitam ac spiritum daret. Delineaturus enim diversa hominum studia poeta, iis fere exemplis defungitur, quae et rem optime illustrent, et in quibus vis, studiique pertinacia maxime eluceat. Sic pro his, qui gloriae omnia tribuunt, ponit, et e Graecis quidem, victores in ludis Olympicis; e Romanis vero, homines amplissimis honoribus in comitiis ornatos; illos non divitiis simpliciter, sed totius Africae proventu in horreis ipsorum congesto beatos designat. Et sic porro. Hinc intelligitur, qualem veri speciem Baxteri commentum habeat, quo poetam leve sunm carminis genus excusare, seque cum caeteris mortalibus insanire hoc carmine fateri contendit. Cum enim carminibus suis Horatius in Maecenatis et Augusti adeo se insinuaverit gratiam, sane non opus habebat, ut rationes circumspiceret, quibus carmina sua excusaret, easque adeo ab insania aliorum, quibuscum et ipse insaniret, repeteret. Age iam cum Baxtero argumentum carminis constituamus hoc: omnes fere homines insaniunt, ille hoc, alio modo alius; ego insanio poesi, quae si tibi placuerit, ecce me mortalium, quotquot sunt, felicissimum. Hoc nimirum

mirum modo Maecenati probari poterat poetae elegantia atque urbanitas. Et quae tandem est insania in rusticano? quae in milite? quae in venatore? Ne illud dicam, totam carminis oeconomiam, orationisque dignitatem in eius initio atque exitu isti commento omnino refragari. Paullo prolixiores fuimus in refellenda Baxteri opinione, quod eiusdem patrocinium Auctorem Silv. Crit. II. 220. suscepisse, eique speciosis argumentis vim aliquam addidisse videmus. Is et orationis colorem, sententiarumque, qua cuiusque studii vanitatem atque insaniam tangeret, elocutionem hoc suadere; contra vero, si mores atque studia hominum persequi voluisset poeta, eum satis leviter ac perfunctorie rem aggressum esse, omninoque vim atque spiritum carminis sic enervari contendit. Ac orationis quidem indoles vix eo ducit, si eam ex usu poetarum loquendi recte explices (v. inpr. v. 29 sqq.) alia vero ornatus tantum caussa adiecta existimes. Ad alterum quod attinet, laudi potius Horatio ducendum puto hoc, quod nonnullas tantum, at vivide delineatas, picturas de studiis hominum dederit, ne enumerandis pluribus fastidium crearet lectoribus, a quo vel sic miro imaginum dilectu, orationisque varietate ac copia sibi cavere studuit.

E Graecis, quos hic sequeretur, ante oculos habuisse videtur Pindarum [1]*). Similes sententiae occurrunt in Solonis el. VI. 42 sqq.* [2]*). Conferri quoque velim Eurip. Fr. e Rhadamanthi fabula deperdita apud Stob. Flor. LXIV. E Latinis eundem hunc de diversis hominum studiis locum egregie tractavit Virgil. Ge. II. 502 sqq. et diverso paulum modo Propert. III. 7.*

 1)

1) *In Fragmm. a Schneidero V. C. collectis p.* 81.

Ἀελλοπόδων μὲν τινας εὐφραί-
νουσιν ἵππων τιμαὶ καὶ στέφανοι·
Τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοτά.
Τέρπεται δὲ καί τις ἐπ' οἶδμ' ἄλιον
Ναῦ θοᾷ σῶς διαστείχων.

Brevius idem extulerat Pyth. I. 93.

καὶ γὰρ ἑτέροις ἑτέρων ἔρως
Ἔκνιξέ γε φρένας.

et Archilochus (in Anal. Br. T. I. p. 45.)

Ἀλλ' ἄλλος ἄλλῳ καρδίην ἰαίνεται.

2) *in Anal. Br. T. I. p.* 67.

Σπεύδει δ' ἄλλοθεν ἄλλος. ὁ μὲν κατὰ πόντον ἀλᾶται
Ἐν νηυσίν, χρήζων οἴκαδε κέρδος ἄγειν
Ἰχθυόεντ', ἀνέμοισι φορεύμενος ἀργαλέοισι,
Φειδωλὴν ψυχῆς οὐδεμίην θέμενος.
Ἄλλος, γῆν τέμνων πολυδένδρεον, εἰς ἐνιαυτὸν
Λατρεύει· τοῖσιν καμπύλ' ἄροτρα μέλει.
Ἄλλος Ἀθηναίης τε καὶ Ἡφαίστου πολυτέχνεω
Ἐργατίνης χειροῖν ξυλλέγεται βίοτον.
Ἄλλος Ὀλυμπιάδων Μουσῶν πάρα δῶρα διδάχθη
Ἱμερτῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος.

AD

AD MAECENATEM.

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum,

Sunt

v. 1. atavis regibus edite, docta brevitate, pro, oriunde, descendens a maioribus, qui olim reges fuere. Maecenatis a gente Cilnia Arretinorum, quae Lucumones seu duces Etruriae, Romanis reges appellatos, ex se haberet, genus deductum passim celebrant poetae. Infra III. 29. 1. eundem vocat *Tyrrhenam regum progeniem*. Propert. III. 7. 1. *Maecenas, eques, Etrusco de sanguine regum*. Sil. Ital. X. 41. *sceptris olim celebratum nomen Etruscis*. et Martialis, hunc ipsum locum respiciens XII. 4. 2. *Maecenas atavis regibus ortus eques. Equestri sed splendido genere natum* vocat Vellei. II. 87. adde Albinov. II. 13. in Burm. Anthol. lat. T. I. p. 254. Gentem Cilniam in Etruscis laudat Liv. X. 5. 3. cf. Demster. Etrur. reg. II. 55. et quos adducit Burm. ad Propert. l. l. et IV. 1. 29. *atavos reges* dixit poeta, vt *populum regem* Virgil. Aen. I. 21.

v. 2. praesidium et *decus* praeclare de Maecenate, tanquam *potente amico*, uti eundem indigitat II. 18. 12. et II. 17. 4. *o mearum grande decus columenque rerum*. Talis enim viri amicitia Horatio erat praesidio, siquidem uni huic omnia vitae commoda, opes, dignitatem, famam, caet. accepta referebat. Latius igitur patet, quam ut plurimi Intpp. volunt, qui vel gratiam Augusti per Maecenatem ei comparatam, vel quod Augustus ei, Bruti partes secuto, Maecenatis opera condonasset. Eodem sensu adhibuit Iuvenal. VII. 22. *si qua aliunde* (alio carminis argumento) *putas rerum spectanda tuarum praesidia*, h. unde tuis rebus prospicias, vitam sustentes. Dictum est adeo ut II. 1. 13. *insigne maestis* praesidium *reis*, pro eo, qui praesidet, studet alicuius rebus. Sic *rerum tutela mearum* Epist. I. 1. 103. ἔρμα πόλεος Od. ψ. 221. et passim. *Decus*, quatenus Horatio laudi atque honori erat, a tanto viro amari; unde *dulce*, cui suavissimum esse debebat, videri et dici eum, quem talis vir magni faciat. Pariter de Maecenate Virgil. Ge. II. 40. *O decus, o famae merito pars maxima nostrae*. Propensum Maecenatis

Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Conlegisse iuvat, metaque fervidis

Evi-

erga se animum passim praedicat poeta. v. II. 18. 10. III. 16. 38. V. 1. 31. et Ep. I. 7. 15. Caeterum in animo h. l. habuisse videtur Saleius Bassus (in Wernsdorf. V. C. Poett. min. T. IV. P. I. p. 278.) ad Pisonem v. 231. de Maecenate: *O* Decus, *et toto merito venerabilis aevo, Pierii tutela chori, quo* praeside *tuti non unquam vates inopi timuere senectae.* cf. Martial. VIII. 56.

v. 3 — 6. In pedestri scriptore exspectares generalem hanc praemissam sententiam: suo quemque duci studio, summamque inde voluptatem capere. Sed haec, ut poetam decebat, statim per exempla declaratur; et ex his ea sere adponuntur, quae maxime colorem poeticum admitterent, neque solum, quae apud omnes gentes in singulis hominibus observare licet, sed et ea, quae unius alteriusque populi quasi domestica studia habentur. Quo ipso satis cavit, ne exemplorum ubertate facile fastidium crearet; cui et elocutionis varietate ac copia obviam ire studuit. Vide enim, quot modis sententiam, in studio aliquo, quo tenearis, sibi placere, beatum se existimare, variaverit. *v.* 3. *sunt, quos iuvat.* *v.* 6. *evehit ad Deos.* *v.* 11. *gaudentem.* *v.* 17. *laudat.* *v.* 21. *est qui non spernit.* *v.* 23. *multos iuvant.* *v.* 25. *venator manet.* *v.* 30. *me diis miscent.* *v.* 36. *feriam sidera vertice.* *Sunt, quos,* quosdam *iuvat,* noto graecismo. Propert. III. 7. 17. *Est, quibus Eleae concurrit palma quadrigae,* quod est ἀττικώτερον. *curriculo . . conlegisse* docte et graphice de citato quadrigarum decursu. *Curriculum* est vel ipse decursus, vel, quod malim, locus, ubi quadrigae decurrunt, seu, ut Charisius p. 59. (ed. Putsch.) explicat, *spatium ad currendum aptum,* stadium. Quo minus de curru accipiatur, vetat omnino lyrica ratio. Alii de cursu intelligi volunt, ne bis idem poeta dicat. Atqui, hoc si voluisset, rem haud dubie paullo disertius exposuisset; et, quae ornatui dedit, ταυτολόγως dicta accipi nequeunt. Alii denique duo membra constituunt, hoc modo: felices se putant ii, qui in stadio decurrerint; at felicissimos ii, qui victoriam adepti fuerint. Omnino sententiae summa erat haec: Hi victoria in ludis Olympicis, et quidem quadrigis, parta, beatissimi sibi videntur, illi caet. Iam, ut huic vitam quasi ac spiritum daret, rem ipsam per momenta ante oculos posuit. Memorat adeo quadrigarum decur-

Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Hunc,

cursum, excitatum pulverem, motam evitatam, palmam denique partam. Proprie igitur *conlegisse* (non, ut quidam volunt, ἀορίστως, pro *colligere*) h. excitasse, coegisse, movisse *pulverem Olympicum*, quod doctius est, quam si dixisset, *curriculo Olympico*. Sic I. 6. 14. *pulvere Troio*. Val. Fl. I. 13. *Solymo pulvere*. *Colligere p.* proprie accipi possit, pro, corpore suo excipere pulverem, eo conspergi; ut Il. ψ. 502. αἰὲν δ' ἡνιόχον κονίης ῥαδάμιγγες ἔβαλλον. Eadem idea est I. 6. 15. II. 1. 22. Sed magis lyricum videtur, si omnino de mota, excitata pulveris nube explicemus, ut aperte est Serm. I. 4. 31. *uti pulvis collectus turbine*. *v.* 4 — 6. *metaque . . . ad Deos*, et quos meta *evitata*, i. eo, quod metam evitaverint, curru proxime circa eam acto, neque tamen allisо. Hoc enim certissimam spondebat victoriam, et aurigae summam artem simul ostendebat. Theocr. XXIV. 117. Ἵππους δ' ἐξελάσασθαι ὑφ' ἅρματι καὶ περὶ νύσσαν ἀσφαλέως κάμπτουτα τροχῷ σύριγγα φυλάξαι. cf. Il. ψ. 344. 5. *fervidis rotis*, celerrimis, epith. e natura rei petito. Ovid. A. A. III. 396. *metaque ferventi circueunda rota*. adde Sil. It. I. 224. *axis ferventior*. Stat. Theb. VI. 525. *axis igneus*. Iam Virgil. Ge. III. 107. *volat vi fervidus axis*. — *Palma nobilis*, quae ea ornatum *nobilem*, gloriosum reddit; sed doctius ipsa palma *nobilis* dicitur. Ita *insignis Camena* I. 12. 39. Cum palma Romanis magis frequentaretur, pro oleagina corona, quae Olympionicis erat propria, posuit hanc, tanquam poeta. *Palmam Olympiacam* habes etiam in Virgilio Ge. III. 49. cuius, et Nostri auctoritatem secutus est Propert. III. 7. 17. *palmam Eleae quadrigae* dicens. adde IV. 2. 17. Male igitur faciunt, qui ideo palmares aut omnino Romanorum ludos intelligi debere statuunt, quos nunquam in tanto apud eos honore fuisse, satis notum est. — *v.* 6. Victoria eos *evehit ad Deos*, facit, ut sibi videantur ad Deos evecti esse, Diis aequati esse, h. summum felicitatis fastigium attigisse. Pindar. Isthm. II. 42. de victoria in his ipsis ludis parta: ἵν' ἀθανάτοις Αἰνησιδάμου παῖδες ἐν τιμαῖς ἐμίχθεν. Simplicior idem in fragm. superius adlato: ἀελλοπόδων μέν τινας εὐφραίνουσιν ἵππων τιμαὶ καὶ στέφανοι. Apposite infra IV. 2. 17. *Elea domum reducit palma caelestes*. Notione de Deorum vita (v. ad III. 3. 11. et IV. 8. 30.) ex aetate heroica ad-

Hunc, ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum,

ſumta; proclive ſane erat, ut eos, qui inſigni aliqua felicitate fruerentur, Deorum vitam adeptos eſſe dicerent. Stat. Silv. I. 2. 212. *ire polo, nitidosque errare per axes viſus. Terrarum dominos*, epitheto Diis, inprimis Iovi (qui ſaepius Homero ἄναξ ἀνδρῶν τε θεῶν τε audit. Infra I. 12. 15. de eodem: *qui mare ac terras variisque mundum temperat horis*; adde Ovid. ex P. I. 9. 36.) proprio. Qui de ludis Romanorum Circenſibus hic cogitant, *terrarum dominos* de Romanis accipiunt, quos et Virgilius Aen. I. 282. *rerum dominos* dixiſſet. Quo ſenſu ſane Martialis VIII. 2. 6. Domitianum *terrarum dominum deumque rerum*, et Romam *terrarum, gentiumque deam* XII. 8. 1. et Auctor Epitaph. in Anthol. Burm. T. I. p. 237. Titum et Veſpaſianum *terrarum dominos* appellavit. Quae tamen ratio nullius momenti videtur, cum hic, uti iam monui, de ludis Olympicis agatur. Caeterum de victorum praemiis locus claſſicus eſt apud Vitruv. praef. l. IX.

v. 7. 8. *Hunc*, et mox *illum* ſc. *iuuat* ex antec. Structuram hanc verborum ob interiecta *metaque . . . ad Deos* paullo duriorem eſſe etſi non negem, neque tamen ideo in carmine, eoque lyrico reprehendam. Si vero *ad deos evehit* ex antec. ſuppleas, non erit in altero membro v. 9. 10. quod ad deos evehat. *Turba Quiritium* ſimpliciter populus Romanus, in ſuffragia miſſus, in comitiis. *Mobilium*, qui in ſuffragiis adeoque honoribus dandis non certa aliqua ratione ducuntur, levium, inconſtantium. Hinc *arbitrium popularis aurae* III. 2. 20. et Ep. I. 19. 34. *ventoſae plebis ſuffragia.* Seneca de Vita Beata c. 1. *Itaque id evenit, quod in comitiis, in quibus eos factos praetores iidem mirantur, cum ſe* mobilis favor *circumegit.* Seneca Herc. fur. 169 ſqq. appoſito loco: *illum populi favor attonitum, fluctuque magis mobile vulgus aura tumidum tollit inani.* et Thyeſt. 351. *nunquam ſtabilis favor vulgi. Certat tollere* certatim, magno cum partium ſtudio *tollit* extollit, evehit *honoribus* tertio caſu, graecorum exemplo, pro, ad honores ſ. magiſtratus *tergeminos*, h. ſummos, ampliſſimos. Nihil amplius. Apte laudat Turneb. Adverſ. XXII. 13. Martialis III. 46. 8. *ſophos tergeminum* h. grande, quod ipſe vocat I. 4. 10. Plerique fere cogitant de tribus ſummis Romanorum magiſtratibus, conſulatu, praetura,

Illum, si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis.

Gau-

ra, aedilitate. Sed hoc esset poetae verba ad pedestris orationis ἀκρίβειαν exigere. Neque magis Horatio dignum, quod ait Gesn. in Th. L. L. tergeminos eos dici honores, quos tres partes populi, Senatus, Equites, Plebes tribuant. Omnino mireris, in talibus haerere interpretes, qui certum aliquem numerum pro incerto ac magno a poetis poni solere sciant. Vide vel I. 3. 9. et I. 13. 16. 17. Cur e. g. Graeci poetae τριακμίαν et Latini *decumanos fluctus* constanter adhibuerint, nemo facile certam aliquam huius rei rationem reddi sibi postulet; sufficit tenere, maximos hoc numero fluctus innui. Caeterum Gesnerus v. *honoribus* in sexto casu accipere malebat, ut aliquis ipsis honoribus tollatur. Quod etsi usus loquendi ferat, et *tollere* simpliciter dicatur pro, ornare, efferre aliquem, (v. Ruhnk. ad Vellei. II. 65.) minus tamen bene τῷ *certat* respondere videtur: et altera ratio omnino doctior est.

v. 9. 10. Illum opes unice tenent, earumque possessione felicissimum se profitetur. Pro opibus, quae generalis erat notio, specialem, quam sua ipsi aetas suggerebat, poeta posuit, possessiones latifundiorum, et pro his, tanquam specialius, et gravius, omnem Africae proventum. Tanto enim potentiores ad latas agrorum possessiones coemendas ferebantur studio, ut totas provincias interdum unus teneret. In quam rem acriter invehitur Seneca ep. 89. fere ad finem: *quousque fines possessionum propagabitis? ager uni domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, ne provinciarum quidem satione contenti circumscribere praediorum modum? — hoc quoque parum est, nisi latifundiis vestris maria cinxistis; nisi trans Hadrianum, et Ionium, Aegaeumque vester villicus regnet.* et ep. 117. *Adspice quot locis vertatur terra, quot millia colonorum arent, fodiant: unum putas videri ventrem, cui et in Sicilia et in Africa seritur?* adde eundem de Vita Beata c. 17. Alii de publicanis Aratoribus, qui populi Romani agros conduxerant, et decumas persolvebant, h. l. intelligunt; minus recte, arbitror. *Si condidit*, conditum servat, possidet *horreo proprio* h. suo, nempe tanquam privatus, *quidquid verritur*, congeritur, convehitur *de areis Libycis*, agris Africae; si omnes Africae fructus horreo conditos habet, quod est pro simplici:

si

Gaudentem patrios findere ſarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Numquam demoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta ſecet mare.

Lu-

ſi omnem Africae oram poſſidet. Pro colligi de agris, doctius erat, *verri de areis*, quod frumenta in ſolidata agri parte, quae *area* eſt, extrita et purgata converrebantur, et ſic de ea colligebantur. Africam nominat, tanquam frugum fertiliſſimam; res nota. vide III. 16. 31. Expreſſit hos vv. Seneca Thyeſt. 356. *Non quicquid Libycis terit fervens area meſſibus.* et Pentadius in Anthol. Burm. T. I. p. 549. *Et quicquid Libyco ſecatur arvo, non una poſitum tenere cella.*

v. 11 — 14. Suavior iam ſuccedit piotura ruſticani, rebus ſuis a patre ſibi relictis ſatagentis, et in praediolo ſuo tranquille degentis, quique nullo ne vel maximo oſtenſo lucro a vitae ſuae genere abſtrahi ſe patiatur. Haec ad exornandam imaginem felicitatisque ſenſum declarandum praeclare adiecta. *Gaudet* adeo *findere*, laetus, contentusque eſt in eo, quod colit *agros* agellum *patrium*, a patre acceptum, novis acceſſionibus non dilatatum. Sic V. 2. 3. *beatus ille, qui* - - *paterna rura bobus exercet ſuis.* Sarritionem poſuit pro agricultura in genere, vel de bono ſolo capiendum, quod maiori cultura non indigeat. — 13. *numquam* eum *demoveas*, docta brevitate pro, deducas eum a ſtudio ſuo beatoque otio, et permoveas, *ut* caet. *Conditio* ſaepe eſt pactio, qua pollicemur aliquid, et ſpondemus alteri, ſi quid fecerit. ut Cic. ad Q. Fr. I. 1. *nullius pecuniae conditione ab integritate deduci.* Itaque, *conditionibus Attalicis*, promiſſis opibus Attalicis, h. maximis pro conditione oblatis divitiis, quales ab Attalo, Pergami rege, populo Romano haeredi ſcripto erant relictae. v. II. 18. 5. maximarum opum e mercatura quaerendarum certiſſima ſpe oſtenſa, *ut* mercaturam amplectatur. Sed pro mercatura poſuit navigationem, quod Romani mercatores itinera marina ipſi faciebant, unde mox *nauta* pro mercatore. cf. Tibull. I. 1. 50, ibique Heynium. *Pavidus* dicitur, apte, ut de homine, navigationis prorſus inſueto. Pro navigare, *ſecare mare*, τέμνειν ἅλα, quod navi magis proprium. Pro nave ponitur *trabs*, ad augendum periculi ſenſum, ut *ratis*, I. 3. 11. et pro quacumque *Cypria*, ob

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura ſui: mox reficit rates
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.

Eſt

ob Cyprum mercaturae deditam. v. III. 29. 60. tum pro quovis mari procelloſo *Myrtoum*, inter Cretam, Peloponneſum et Eubocam, a Myrtilo, ſeu potius a parva inſula Myrto ſic dictum.

v. 15 — 18. Tranquillae coloni vitae praeclare poeta ſubtexuit mercatoris lucro inhiantis, praeque eius nimio ſtudio novis ſe usque periculis obiicientis imaginem. Mercator, qui imminente tempeſtate vitae ſuae tantis periculis obnoxiae otioſam longe praetulerat, eamque in ſuburbano ſuo ſequendam tum voverat; mox ubi, nave quantumvis lacera atque disiecta, incolumis evaſit, ecce ad priſtinum vitae quaeſtuoſae genus redit. Diverſam é Noſtri loco imaginem exhibuit Stat. Theb. VII. 720. *Vixerat ille diu pauper ſcrutator aquarum. Decepit tellus; moriens hiemesque Notosque laudat, et experti meliora pericula ponti.* *Metuens* metu cohorreſcens, ſibi timens, ubi videt *Africum* ventum *luctantem* certantem, congredientem *fluctibus*, nota ſtructura, pro, cum fluctibus *Icariis*, maris Icarii. Africum ventum poſuit, cum dilectu; is enim, ab occaſu flans, *creber* erat *procellis*, Virgil. Aen. I. 85. Proelia ventorum, cum inter ſe, tum cum fluctibus tanquam ſuper maris imperio inita in tempeſtate depingenda poetis ſatis ſollennia. v. ad I. 3. 12. Icarii maris meminit, tanquam periculoſioris, in animo forte habens Il. II. 144. *κινήθη δ' ἀγορὴ, ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης πόντου Ἰκαρίοιο, τὰ μέν τ' Εὖρός τε Νότος τε ὤρορ'.* Eſt illud inter Samum et Icariam, inſulas, ab hac ſic dictum. *Otium* opponitur vitae negotiis vel forenſibus vel quaeſtuoſis diſtrictae; eſt adeo vita tranquilla, ab omni periculi metu vacua: Amplificatur haec tranquillitatis notio per *rura oppidi ſui* oppido ſuo patrio adiacentia, ſeceſſum in ſuburbano ſuo. Haec *laudat*, mari procelloſo, omninoque iſti periculi pleno vitae generi longe praefert. Qua notione occurrit Serm. I. 1. 3. Stat. Theb. VII. 722. Obſerva, quam paucis lineis tempeſtatem graviſſimam depinxerit poeta. Cum enim rates quaſſas ſtatim memoret, mare ventis turbatum, navem perculſam atque disiectam, ipſum

Est qui nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stra-

sum mercatorem mortis periculo vix elapsum sub ventorum cum fluctibus lucta comprehendit. *Mox*, ubi naufragium incolumis evasit, non, ut quidam, ubi aliquamdiu ruri vixit, sed statim, talis otii, quod votis prius expetierat, impatiens *reficit*, reparat *rates quassas*, navem fractam ac laceram, adeoque nave refecta reparat navigationem, mare iterum ingreditur. Praeclare, de pertinaci mercaturae studio. *Quati* fortiori significatu habes et infra IV. 6. 7. et IV. 8. 32. *indocilis p. pati*, graece, pro, dum pauperiei ferendae adsuefieri nequit. *Pauperies* est vita sine quaestu ac lucro, quae luxui indulgere non potest; damnata ideo brevi atque a mercatore opum augendarum cupido mercaturae earumdem sibi copiam facienti posthabita. Multum adeo differt ab egestate. πτωχοῦ enim, ut Aristophanis (Plut. 551.) verbis declarem, *βίος, ζῆν ἐστι μηδὲν ἔχοντα· τοῦ δὲ πένητος, ζῆν φειδόμενον καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα, περιγίγνεσθαι δ' αὐτῷ μηδὲν, μὴ μέντοι μηδ' ἐπιλείπειν.* Caeterum cum mercatore hoc convenit Menedemus apud Terentium Heaut. I. 1. 59. *In Asiam hinc abii propter pauperiem — lucri faciendi causa.* Epist. I. 1. 45. *curris mercator ad Indos per mare pauperiem fugiens.* ἦλθε πολὺν διὰ πόντον ἀνύσσας — κακὴν πενίην φεύγων, ut Hesiodus extulit ἔργ. v. 635.

v. 19 — 22. Imago hominis, vitae suavitatem ac voluptatem sectantis; declarata per vinum et convivia in amoena regione. cf. II. 13. 6. sqq. 11. 13. sqq. Alius de die commissatur, bonam diei partem commissationibus impendit. Haec in duo membra disiunxit poeta. *nec spernit*, valde delectatur, amat *veteris* ideoque praestantioris *Massici* vini, in montibus Massicis Campaniae nati *pocula*, h. vinum Massicum. Sic *pocula Falerni ardentis* II. 11. 19. Vinum Massicum erat e nobilioribus. Plin. XIV. 6. *Nec spernit demere* adimere rebus gerendis, et hilaritati adeo dare *partem de die solido*, qui *solidus* h. totus rebus agendis impendi debuerat. Apposite Seneca ep. 83. *hodiernus dies solidus est, nemo ex illo mihi quicquam eripuit.* Convivia enim Romanorum sub noctem demum incipiebant. v. IV. 5. 39. 40. Sed erant et, qui coenarent maturius, convivarentur de die; quae Romanis vo-

Stratus, nunc ad aquae lene caput ſacrae.
Multos caſtra iuvant, et lituo tubae
Permixtus ſonitus, bellaque matribus

De-

vocabantur *convivia tempeſtiva*. Catull. 57. 5. *Vos convivia lauta ſumtuoſe de die facitis.* Se ipſum Horatius *bibulum liquidi* media de lucè *Falerni* olim fuiſſe teſtatur Ep. I. 14. 34. cf. Plaut. Aſin. IV. 2. 16. Eodem ſenſu *frangere diem mero* II. 7. 6. pro quo comice admodum *lacerare diem* Plaut. Stich. III. 2. 45. Pariter Graeci ἀφ' ἡμέρας πίνειν, de quo v. Toup. Em. ad Suid. P. III. p. 221. Suavius eadem in re Alexis Comicus apud Athen. II. c. 8. p. 47. Θασίοις οἰναρίοις τῆς ἡμέρας τὸ λοιπὸν ὑποβρέχει μέρος. Male vero Geſnerus cum Baxtero h. l. explicant: ne parte quidem demta, vel excepta totum ac ſolidum diem impendit voluptati atque otio. Sic vero negatio abeſſe deberet, et eſſe: *et qui ſpernit demere*, non eximit compotationi *partem de die ſ.* — 21. ſub umbra arbuti aut ad fontem recubans. Haec ornatus cauſſa addita. *ſtratus membra* graece, pro, membris ſtratis, iacens, ſ. *reclinatus in gramine*, ut eadem in re II. 3. 6. — *aquae lene caput ſacrae*, epithetorum traiectione, poetis ſatis frequentata, pro *aquae lenis*, leniter fluentis *caput* fontem *ſacrum*. Fontes ſacri, propter Deos ac Nymphas, iis ineſſe creditas. Caeterum duae hae ideae *nunc - nunc*, egregie depingunt hominem in otio luxuriantem, ut V. 2. 23. *Libet iacere modo ſub antiqua ilicè, modo in tenuci gramine.*

v. 23. 24. Alios militia iuvat. Declarat eam per ſpeciales ideas, caſtra, tubarum ſtrepitum, et pugnas. *lituo . . . ſonitus*, pro vulgari: litui tubaeque ſonitus, ſ. tuba una cum lituo audita, fere ut Iuvenalis XIV. 200. *Si piget, et trepidum ſolvunt tibi cornua ventrem cum lituis audita. Lituus* erat equitum, et incurvus, ſono acuto; *tuba* vero peditum et directa, ſono gravi, uti bene vet. Schol. cf. II. 1. 18. *bella*, pugnae, ut ſaepius. *deteſtata matribus*, paſſive, quae deteſtantur matres, quod orbantur filiis et maritis. Hinc earum ſollennis mentio, ubi poetae infauſtos belli exitus, ſ. omnino belli mala recenſent. Virgil. XI. 215. *Hic matres, miſeraeque nurus, hic cara ſuorum pectora maerentum, puerique parentibus orbi dirum exſecrantur bellum.* Noſter V. 16. 8. *parentibusque abominatus Hannibal.* adde et IV. 4. 68. Stat. Theb. III. 377.

Deteſtata. Manet ſub Iove frigido
Venator, tenerae coniugis immemor
Seu viſa eſt catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.
Me doctarum hederae praemia frontium

Dis

v. 25—28. Alium tenet venandi ſtudium. Ardorem ſtudii et pertinaciam declaravit per adiecta, quae eam produnt, frigoris tolerantiam, et pernoctationem. *manet* pernoctat *ſub Iove,* ſub dio, ὑπὸ Διός, ſub caelo *frigido.* Sic *Iupiter uvidus* Virgil. Ge. I. 418. *madidus* Martial. VII. 36. 1. — *tenerae . . immemor,* auget ſtudii pertinaciam. — 27. Venationis ideam generalem iam in ſpecialem convertit. *Seu viſa eſt,* inveſtigata eſt *catulis,* canibus; *fidelibus,* perpetuo canum inprimis venaticorum nutum ac vocem venatoris ſequentium epitheto. *Cerva* univerſe de cervo, ſed amant poetae, ubi de animalibus loquuntur, feminina, graeca elegantia. Ita Callimachus δορκαλίδα poſuit, loco plane ſimili, ideoque huc transferendo, ep. 33. ὠγρευτής, Ἐπικυδὲς, ἐν οὔρεσι πάντα λαγωὸν διῴξῃς, καὶ πάσης ἴχνια δορκαλίδος, στίβῃ καὶ νιφετῷ κεχρήμενος. ubi πάντα λαγωὸν et πάσης δορκαλίδος neminem Intpp. in mendae ſuſpicionem vocaſſe, omnino mireris. Forte, πτῶκα λαγωὸν ex Homer. Il. χ. 310. et λασίης δορκαλίδος, *hirſutae,* ſollenni ferarum epitheto. v. Burm. ad Prop. I. 1. 12. — 28. Aliud venationis genus, quod pernoctationem requirit. *aper Marſus,* Marſicus, cum dilectu, propter ſaltuoſam Marſorum regionem, ut Virgil. Ge. III. 255. *ſus Sabellicus. rupit,* perrupit, ruptisque plagis evaſit. Ne dubita. Seneca Hippol. 76. *retia vinctas tenuere feras; nulli laqueum rupere pedes.* Ovid. A. A. I. 392. *non bene de laxis caſſibus exit aper. Plagae teretes,* retia torto fune facta, *torta* Tibull. IV. 3. 12. *teretes plagas* dixit et Seneca Hippol. 45. *nodoſas* Ovid. Faſt. VI. 110.

v. 29—34. Ego vero carminibus delector, poeſin unice amplector, ſummamque inde voluptatem percipio. Hoc, ut primarium carminis argumentum, inprimis illuminari oportebat, ſummamque in eo eloquendo enthuſiaſmi et phantaſiae vim cerni. Imagines inde petitae, quod poetae, phantaſiae vi abrepti, ſeu, ut Ciceronis II. de Orat. verbis utar, *afflatu quaſi furoris* perciti in

deorum

Dis miscent superis: me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secer-

deorum concilium admitti, cum iis versari, *caelique commercio* (Ovid. A. A. III. 549.) se frui jactant. Hinc Deos se videre, (II. 19. 2. Ovid. Fast. VI. 7. *Fas mihi praecipue, vultus vidisse deorum, vel quia sum vates, vel quia sacra cano*) audire, (III. 4. 7.) tanquam praesentes appellare, (II. 19. 7. III. 25. 1.) praeclaro phantasmate fingunt. Eadem ratio in vatibus, qui divino furore correpti, dum futura eloquuntur, *deos*, seu *deorum concilia irrumpere* dicuntur. Stat. Theb. III. 550. Achill. I. 508. Diversa adeo prorsus est imago ab altera, quam supra v. 6. dedit, etsi plurimos fere Intpp. pro eadem habere videas. Nam illa ab h. l. aliena est, et adversatur seqq. Iam de verbis videamus. *Ederae*, edera, Baccho sacra, et sic poetis propria. Bacchum enim in diis poetarum tutelaribus haberi, satis obvium. De corona poetarum hederacea v. Virgil. Ecl. VII. 25. VIII. 13. Ovid. Fasi. V. 79. Trist. I. 7. 2. et ibi Intpp. *praemia frontium doctarum*, quibus *docti*, h. poetae coronantur. Olymp. Nemesianus (in Wernsdorf. Poett. min. I. p. 283.) de Laud. Herc. 8. *laurosque gerens et florea sertis tempora — doctorum munera vatum*, ubi *florea s. tempora* sunt *floridis sertis redimita*, quanquam aliter ibi Wernsd. Poetae absolute hic *docti* dicti, antiqua notione, quatenus philosophia, h. notiones et philosophemata de rebus physicis, de diis, eorumque natura cet. sermone adhuc rudi, naturalique adeo elocutionis poeticae vi instructo, mox ad cantum formato, certisque adeo numeris adstricto tradebantur. Hinc ἀοιδοὶ dicti σοφοί, Callim. ep. 50. 4. σοφισταί, Pind. Isthm. II. 36. et διδάσκειν de iisdem, v. ad II. 19. 2. et σοφίᾳ de poesi, Callim. ep. 8. 4. et 49. 4. quo fere sensu *Hesiodum doctum* appellat Cic. Cat. m. 15. Adhaesit hoc sequiori tempore poetis epitheton ob variam doctrinam, antiquitatis, mythologiae, quae ab iis requirebatur: etiam propter sermonis exquisitiorem cultum ac metri artem; et Romanis inprimis propter literarum graecarum interiorem notitiam. Sic *doctus Catullus* Tibull. III. 6. 41. ubi v. Heyn. *miscent me Diis superis* docte pro, ego eo ipso, quod corona ederacea vinctus sum, h. tanquam poeta, misceor Diis, admoveor iis, iis intersum, eorumque consortio fruor, nempe divino numine afflatus. Eadem virtute graecis est μιχθῆναι θεοῖς, tanquam Pind. Isthm. 2. 42. Hesiod.

Secernunt populo: si neque tibias

Euter-

Theog. 801. οὐδέ ποτ' ἐς βουλὴν ἐπιμίσγεται. cf. infra IV. 5. 35.

v. 30-32. Alia subiungitur imago, qua enthusiasmi poetici, quo se abripi gloriatur, vim vividissime declarat. Commemorat secessus agrestes, et amoenitates rusticas, quae ingenium poeticum excitant, et inflammant, quaeque ad concipiendas phantasias maximam vim habent. Etenim, ut ait Auctor de caus. corr. Eloq. 13. *poetae iucunditas urbis deserenda, caeteraque officia, utque ipsi dicunt, in nemora et lucos, i. e. in solitudines recedendum est,* hunc ipsum locum, et Epist. II. 2. 77. *Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes, rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra,* respiciens. — *me secernunt populo nemus* cet, concisé dictum pro, ego secernor, remotus sum a *populo* l. vulgo, sensus poetici experte, (cf. II. 16. 39-40. III. 1. 1. Valer. Flacc. I. 10. *Eripe me populis et habenti nubila terrae.*) dum nemus incolo, solitudinem amo. Nemoris et antrorum sollennis hac in re mentio. cf. II. 19. 1. III. 4. 7. et 25. 2. Hinc Propertius II. 10. 4. Hesiodo et III. 1. 2. Callimacho et Philetae suum cuique nemus attribuit. Secessus agrestes amplius, augustissima rerum specie, adumbrat per numina agrestia, Nymphas et Satyros, ut Virgil. Ge. II. 493. *fortunatus et ille, deos qui novit agrestes, Panaque, Silvanumque senem, Nymphasque sorores. Nympharum chori cum Satyris,* exquisitius est quam, Nympharum et Satyrorum *chori*, saltationes; quas poetae commemorant ad declarandas vitae rusticae suavitates. Homer. H. εἰς Πᾶνα v. 19. τότε Νύμφαι ὀρεστιάδες λιγύμολποι φοιτῶσαι πυκνὰ ποσσὶν ἐπὶ κρήνῃ μελανύδρῳ μέλποντται, κορυφὴν δὲ περιστένει οὔρεος ἠχώ. Δαίμων (Pan) δ' ἔνθα καὶ ἔνθα χορῶν τότε ἐς μέσον ἕρπων πυκνὰ ποσὶν διέπει, loco admodum splendido. cf. et v. 3. Hinc σύγχορος Νυμφῶν audit Orph. H. X. 9. et ἡγήτωρ Νυμφῶν *choreas ducens*, in epigr. ἀδεσπ. 261. 1. (Anal. Br. T. III. p. 204.) adde Platonis XIV. 5. (Anal. Br. T. I. p. 171.) σύριγγι μελίσδεται εὐκελάδῳ Πάν, — αἱ δὲ πέριξ θαλεροῖσι χορὸν ποσὶν ἐστήσαντο Ἰδριάδες νύμφαι, νύμφαι Ἀμαδρυάδες. *Leves* ad motum pertinet, adeoque ornat. *Satyros leves* pariter vocat Sil. III. 394. nisi forte saltationem Satyrorum concitatiorem innuere voluerit, de qua Athen. l. XIV. c. 7. p. 630. εἰσὶ δέ τινες, οἱ καὶ φασὶ τὴν σίκιννιν ποιητικῶς ὠνομάσθαι ἀπὸ τῆς κινήσεως, ἣν καὶ οἱ Σάτυροι ὀρχοῦνται, ταχυτάτην οὖσαν. Sed hoc forte subtilius.

Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Quod

v. 33. 34. Si modo Musae favent. *Si Euterpe non cohibet*, retinet, denegat, adeoque concedit *tibias*. Poetis enim, qui insigni cum laude poesin tractant, Apollo et Musae artem carminis, et lyram suam tradidisse dicuntur, latis obvio sensu. IV. 6. 39. *Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem carminis nomenque dedit poetae.* Propert. I. 2. 27. *Quum tibi praecipue Phoebus sua carmina donet, Aoniamve libens Calliopea lyram.* Spectat huc Solonis c. VI. v. 51. (Anal. Br. T. I. p. 67.) ἄλλος Ὀλυμπιάδων Μουσῶν πάρα δῶρα διδάχθη ἱμερτῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος. et ep. Cleopatrae, poetriae, quod e Gorio Inscr. Florent. T. II. p. 43. adfert Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 112. μορφὰς ἐξ ἀρετῆς ἔχειν διεφέρετο Κύπρις, ἔργα δ' Ἀθανάτα τερπνὰ σοφροσύνας, Μοῦσα δὲ καὶ σοφίαν, καὶ κακτίδα τὰν φιλέραστον σύμφωνον ἐρατοῖς μηπάμενα μέλεσιν. *Tibiae*, ut mox *barbiton* declarant poesin lyricam. *Polyhymnia non refugit*, non abnuit *tendere*, tendit, temperat fides barbiti *Lesboi* Λεσβίου, Lesbii, quo olim Alcaeus, civis Lesbius usus est. Innuit aut omnino famam et gloriam, quam Alcaeus carminibus suis est consecutus, aut quod ipse se ad Alcaei exemplar composuit. Hoc malim propter I. 32. 5. *Aeolium carmen* pro lyrico dixit IV. 3. 12. Caeterum similis nostro locus est IV. 3. 17. *o testudinis aureae dulcem quae strepitum, Pieri, temperas.*

v. 35. 36. Splendidus exitus. Quod si tuo, Maecenas, judicio inter praestantiores poetas lyricos habebor; tum sane, quid ad magnitudinem felicitatis meae ac gloriae accedere possit, nescio; summam gloriam, summamque felicitatem consecutum me arbitrabor. *Si me inseris*, adcenses, *lyricis* Graecorum *vatibus*, poetarum choro, poetis adnumeras, ut IV. 3. 13. *Romae principis urbium dignatur soboles inter amabiles vatum ponere me choros. — feriam sidera*, attingam caelum, *sublimi vertice*, ad ornatum pertinet. Vulgari ratione dicitur, *efferri animo*, metaphora de habitu corporis erecto, tanquam arrogantiae signo, desumta. Hinc *tollere verticem* est arrogantium, III. 16. 19. v. ad I. 18. 15. et, notione amplificata, *caelo caput ferre*, quod est simpliciter, alte ferre. Sic Virgil. Aen. X. 548. *caelo animum ferre*, quod convenit dictioni Aeschyleae apud Plutarch. de Exil. p. 603. A. Θυμὸς — οὐρανῷ κύρων ἄνω. Sic Atreus μεγαλοφρονῶν apud Senec. Thyest. 885. *Aequalis astris gradior,*

Quod si me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

gradior, et cunctos super altum superbo vertice attingens polum. Gloriatur adeo poeta, *sumitque superbiam,* (ut III. 30. extr. de se loquitur) honorificentissimo Maecenatis de suis carminibus iudicio subnixam. Alia ratione dicimur *gloria, fama levari,* attolli, tangere caelum. Propert. III. 1. 9. *quo me Fama levat terris sublimis.* Quo sensu Eurip. Bacch. 970. κλέος οὐρανῷ στηρίζον dixit. Virgil. Catal. XII. 1. *Adspice, quem valido subnixum Gloria regno altius et caeli sedibus extulerat.* Ovid. Fast. 1. 209. *At postquam Fortuna loci caput extulit huius, et tetigit summos vertice Roma deos.* et Epp. ex P. II. 5. 57. *Huic tu cum placeas, et vertice sidera tangas, scripta tamen profugi, vatis habenda putas.* Salei. Bassus ad Pis. 218. (in Wernsd. Poett. min. T. IV. P. I.) *Ipse per Ausonias Aeneia carmina gentes qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olympum.* Tertia denique, huic admodum affinis, reliqua est ratio, qua gloriam poetae, perennemque nominis sui famam volatui comparant, noto phantasmate, v. ad II. 20. init. Quo sensu capio fragmentum Eurip. apud Clem. Alex. p. 543. ed. Paris. (in fragm. Euripideis Beckii V. C. p. 491. n. 154.) χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ καὶ τὰ Σειρήνων (eleganter, fere ut Horatius in cycnum transformatur II. 20.) ἐρέσσοντα πέδιλα ἀρμόζεται· βάσομαί τ' ἐς αἰθέρα πρὸν ἀερθεὶς, Ζηνὶ προσμίξων. Esset adeo: quodsi tibi mea carmina adprobavero; immortalis ero, mihi videbor, certissimum immortalitatis pignus habebo. Atque haec forte unica, certe lyrico poeta dignissima huius loci videtur interpretatio. Caeterum e nostra interpretatione, quam diversis prorsus notionibus poeta illa, *evehi ad deos, diis misceri,* et *sidera vertice ferire* adhibuerit, et quam iniurii in eum sint, qui tantam poeticorum phantasmatum ei impingant egestatem, ut eandem imaginem in eodem carmine ter ab eo positam arbitrentur, abunde patet.

CAR-

CARMEN II.

ARGVMENTVM.

Carmen excelsissimum, atque in elaborratissimis Horatii, sive artificium eius, sive ornatum, elocutionisque virtutes spectes, facile reponendum. Declaraturus enim poeta, atque commendaturus Augustum Romanis tanquam eum, qui solus res perditas labefactati bellis civilibus imperii esset reparaturus, pacemque ei et salutem restituturus; qui solus imminentes reipublicae calamitates avertere, maiestatemque Romani nominis, Parthorum victoriis imminutam vindicare posset; splendidissima eum atque sanctissima Expiatoris populi Romani, Deorum iram placantis, et mala inde in civitatem redundatura arcentis imagine repraesentat. Quum enim omnium fere populorum, parum subtiliter adhuc de Diis, rebusque physicis philosophantium, eundem hunc sensum deprehendere liceat, ut quasvis magnas calamitates a Diis, scelus aliquod, ab ipsis vel a maioribus patratum vindicantibus, poenae loco infligi, easdemque sibi insolita aliqua obiecta rerum specie, veluti defectu solis, portendi existiment; consentaneum sane est, ut iidem rationes, diversas quidem pro diverso cuiusque vitae ac morum cultu, circumspiciant, quibus se ab isto crimine purgent, sicque Deorum placata ira mala imminentia a se avertant, ac propulsent. Iam, ut haec Romano sensui subiiciamus, statim post Caesaris necem, qua, tanquam piaculo commisso, populus Roma-

nus iram in se Deorum provocaverat, prodigia apparuerant, quae eam portenderent, istisque mox insecuta bella civilia, quibus Dii caedem Caesaris ulciscerentur, fidem faciebant praesagiis. Quum vero his ipsis bellis civilibus, etsi a Diis poenae loco immissis, novum scelus, novum ἄγος populus Romanus commisisset; necesse utique erat, ut etiam Dii novas iras concuperent, novasque adeo a Romanis poenas exposcerent. Novam hanc Deorum iram nova iam prodiderant prodigia, novaeque bellorum civilium calamitates impendebant reipublicae, pessumdaturae eam, nisi certis caerimoniis sacrisque piacularibus civitas isto piaculo eximeretur, ac purgaretur, sicque Deorum ira cum ipsa ultione averteretur. Expiatio ista, antiquissimis quidem et heroicis temporibus, (ut mythica transeam, in quibus Deorum munus erat) a sanctissimis hominibus, qui tum vates fere habebantur, solebat peragi; uti constat de Eumolpo, Epimenide, Orpheo: apud Romanos vero libri Sibyllini inspiciebantur, e quibus sacrificiorum, quibus numina placarentur, procedebat auctoritas.

Proximas igitur poetam a bellis civilibus, quae ipsa maximi instar sceleris habebantur, irarum caussas repetiisse manifestum est; quanquam nec remotiorem illam, unde bella civilia ortum traxerant, nimirum Caesaris necem, penitus exclusit. Vide vv. 17. 27 — 30. *et* 43. 44. *Hinc, quam vana omnium fere Interpretum sit disceptatio, aliis quidem Caesaris caedem, aliis contra bella civilia sola, sub scelere isto, quo obstricta fuerit civitas, a poeta comprehensa contendentibus, facile intelligitur.*

Iam

Iam de anno, cui probabiliter hoc carmen adſignandum ſit, ut paucis diſpiciamus, haud alienum videtur. Grapem eum fuiſſe tempeſtatibus, et magna Tiberis exundatione inſignem, ex initio carminis facile quidem poni poteſt; quae tamen cum ſaepius acciderint, et ſemper in prodigiis habita fuerint; ad quaenam hocce carmen reſpiciat, dictu eſt paullo difficilius. Sanadonus quidem (ut aliorum opiniones de prodigiis, Caeſaris caedem a. DCCX. inſecutis hic cogitantium taceam) ſcriptum putat hoc carmen a. DCCXXVII. Cui quidem opinioni patrocinari videtur hoc, quod eodem anno Caeſar Princeps (Dio LIII. 11.) a Senatu appellatus fuerit, et nocte inſequenti Tiberis plana Romae loca inundaverit: enimvero, quum haec inundatio pro fauſto omine accepta fuerit (Dio LIII. 17.); alia contra in hoc carmine memorentur, quae nec in hunc annum cadant, nec a Dione, vel alio quopiam ad h. a. annotata ſint, praeſtat cum Maſſono huius carminis natalem facere annum DCCXXXII. Hoc enim ineunte (Dio LIV. init.) ἥτε πόλις πελαγίσαντος αὖθις τοῦ ποταμοῦ ἐπλεύσθη, καὶ κεραυνοῖς ἄλλα τε πολλὰ ἐβλήθη, καὶ οἱ ἀνδριάντες οἱ ἐν τῷ Πανθείῳ, *caet. quae omnia initio carminis optime reſpondere videntur. Deinde quod idem Maſſonus obſervat, dum Auguſtum ad bellum adverſus Parthos ſuſcipiendum poeta exhortatur, manifeſto ſignificat, Auguſtum de iſta expeditione cogitaſſe. Quod idem Auguſti conſilium huic anno adſignat Dio LIV. 6.*

His praemiſſis iam ad ipſam argumenti tractationem accedamus, quam ita fere inſtituit Horatius: Horrenda

prodigia, quae ipsa perniciem reipublicae allatura videbantur (vv. 1 — 20.), gravem Deorum, quam quidem bellorum civilium sceleribus in nosmet convertimus, iram portendunt. Novas adeo intestinorum bellorum calamitates, quibus ista scelera Dii vindicaturi sint, nobis imminere (vv. 21 — 24.) quum nova ista prodigia facile fidem faciant; rationes incundae sunt, quibus labantem civitatem sustentemus. Procuranda adeo ista prodigia, populusque sacris piacularibus ab isto scelere purgandus. At cum nemo fere sit, qui, ab isto scelere purus, sacra ista recte faciat, Iovem oremus, ut Deum aliquem, qui nos expiet, ad nos descendere jubeat vv. 25 — 30. Atque utinam Dii πατρῷοι, gentis nostrae miserti, ad nos venire ne dedignentur! utinam tu, Apollo, venias, seu tu, o Venus, sive tu, o Mars, auctor generis, sive tu — iam inter nos versaris, o Mercuri, latensque sub Augusti specie, Expiatoris nomen haud aspernaris! vv. 31 — 44. Sic te, o Caesar, ut diu inter nos maneas, ad rempublicam erigendam, et ab hostium incursionibus vindicandam, enixe precamur.

AD

AD AVGVSTVM CAESAREM.

Iam ſatis terris nivis atque dirae
Grandinis miſit Pater et rubente
Dextera ſacras iaculatus arces
Terruit urbem,
Terruit

v. 1 — 20. Magna vis ſtatim in exordio. Poeta tantorum prodigiorum metu perculſus, et, ut fert humana natura, graviora praeteritis extimeſcens mala, deorum iram, urbi quippe, populoque Romano, ſi ulterius progrediatur, funeſtiſſimam, et cui ſatiandae respublica ſatis iam poenarum dederit, deprecatur. Vulgaris ſententiarum ordo atque elocutio erat: gravi calamitate Dii irati afflixere rempublicam, iramque ipſorum necdum ſatiatam oſtendunt prodigia, quae, niſi rite procurentur, Deorumque ira expietur, fatalia atque exitioſa reipublicae futura ſint, neceſſe eſt. In hoc quoque poetam agnoſce, quod ipſas ſtatim calamitates atque prodigia enarrat, et quod iram Deorum ſoli Iovi adſcribit. *Satis* adeo poenarum exactum eſt a nobis, tam gravia iam perpeſſi ſumus mala, ut novis plane ſuccumberemus. Sic V. 17. 19. *Dedi ſatis ſuperque poenarum tibi.* Virgil. Ge. I. 501. *ſatis iam pridem ſanguine noſtro Laomedonteae luimus periuria Troiae.* cf. Claudian. de bello Gild. 36. dum *Pater*, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, Iupiter *miſit terris* graece, pro, in terras, defudit in terram *niveam* ſolito copioſiorem, qua adeo Tiberis intumeſceret, atque exundaret. Id quod erat in prodigiis. Tacit. Annal. I. 76. — *Diraé* res dicuntur, quae ſunt mali ominis, ut Virgil. Ge. I. 488. *diri cometae.* Ovid. Met. V. 550. *dirum mortalibus omen.* adeo averſandae, horrendae, ut hic de *grandine.* — 2. Splendida imago Iovis Fulguratoris, qui reducta dextra fulmen molitur, qualis fere in monumentis eſt obvius. *rubenti*, fulmine, quod tenet, irradiata; ornate. Sic aquila, *fulminis vector* eodem illuminatus *ardens* dicitur Stat. Theb. IX. 858. Ita accipi poſſit Virgil. Aen. VII. 141. *Hic Pater omnipotens ter caelo* clarus *ab alto intonuit.* v. ad I. 4. 8. — Quum fulmina, βέλη, κῆλα Διός, uti Latinis *tela Iovis*, dicantur, prodire ſane

Terruit gentes, grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae, nova monstra questae,
Omne

erat, de iisdem dici *iaculari*, *vibrare*, *moliri*, *torquere*, vt saepius. Hic vero concise dictum pro, iaculando attingere, ferire fulmine, ut Ovid. Ibis v. 49. et propius ad h. locum Amor. III. 8. 35. *Iupiter igne suo lucos iaculatur et arces.* — *Arces*, τὰ ἄκρα, loca edita, colles; unde *arces sacrae* pro templis in locis editis, inprimis vero h. l. pro Capitolio, Iovis, aliorumque Deorum templis ornato. Quum fulmen per se notionem irati numinis e priscorum hominum opinione iniungat, (hinc *iracunda* I. 3. extr. ubi v. not.) quanto gravior Deorum ira sit necesse est, ubi odio gentis, in qua praecipua ipsorum religio fuerat, quasi derelicturi eam, templa ipsi sua fulmine prosternunt. Hinc ea res in maximis prodigiis habita.

v. 5. 6. Cum vi repetitum *terruit*, h. e. timorem, metum iniecit, *ne* cet. *Gentes* possis accipere de populis Romae vicinis, municipiis, ut Iuvenal. VIII. 239. de Cicerone praesidia in municipiis collocante: *ponit ubique praesidia attonitis et in omni gente laborat.* Augustior tamen, et poeta dignior existit imago, si universi orbis terrarum populos inundationis Deucalioneae metu perculsos intelligas, Romano sensum suum cum caeteris communicante. — *ne rediret s. P.* E natura animi humani petitum et hoc, ut gravi aliquo instante periculo similes praeteriti temporis casus atque calamitates in memoriam revocet, easque metuat. — *saeculum Pyrrhae*, tempora illa, illud diluvium, quod sub Deucalione et Pyrrha fuit; docte. Res ipsa vel ex Ovidio satis nota. *Pyrrham* posuit, tanquam poeta, adeoque in hoc non argutandum. Nostrum locum ante oculos habuit Claudian. de Bello Gild. 43. re tamen in maius aucta: *Bemorumque sonos et Pyrrhae saecula sensi.* — *grave*, exitiosum terrarum orbi, ipsa inundatione. — *questae* exquisitius, propter adiunctam calamitatis notionem, pro vulgari, quae vidit, *nova monstra*, rerum omnium perturbatum ordinem, rem nec visam antea, nec fando auditam, diluvium. *Monstrum* poetis de re inusitata, quae animum percellit, dici, satis notum. Sic primam navem Catullus Epith. Pel. v. 15. vocat *monstrum*.

v. 7 — 12. Diluvium istud, quod montes altissimos, totumque adeo terrarum orbem e poetae mente occupaverat, picturis quibusdam, adsumta prisca idea mythica,

Omne quum Proteus pecus egit altos
Visere montes,
Piscium

mythica, amplius exornat poeta. Proteus, qui Neptuni armentis praeerat, eadem agere et pascere dicebatur. v. Homer. Od. Δ. 386 sqq. Virgil. Ge. IV. 395. et Claudian. laud. Seren. 128. Iam pro vulgari, mare summos montes occupabat, exquisitius erat, beluae marinae super montes ferebantur, in montibus, aquae submersis recubabant, et pro hoc doctior erat ratio, *Proteus omne pecus* Neptuni, phocas (*Nerei simum pecus* eodem sensu dixerat Liv. Andronicus; v. Scriver. Collect. fragm. trag. p. 1.) *egit visere*, graece, pro, ut viserent, et hoc gravius pro simplici, egit in altos montes. Nam *visere* innuit stuporem animalium peregrina, sibique ignota loca pererrantium. Sic III. 4. 33. *Visam Britannos hospitibus feros*, et Ovid. Met. IV. 294. *Ignotis errare locis, ignota videre flumina gaudebat.* Caeterum maior gratia ac veritas huic phantasmati accedit, quod beluae marinae, mari commoto, e fundo excitae in superficie eius apparere soleant. v. ad I. 3. 18. — *Piscium genus* antiquo sermone, ut Lucretii *genus eligerum, squamigerum*, I. 163. *genus aequoreum*, Virgil. Ge. III. 243. φῦλα πόντου in fragm. Eurip. apud Valken. Diatr. p. 147. ἁλίτροφα φῦλα, Oppian. Hal. I. 96. *haesit* impeditum, *summa ulmo*, summis arborum cacumiribus; Pisces non satis libero natatu gaudebant, arborum ramis impediti. *sedes*, nobiliori vocabulo, de nidis avium. *nota*, consueta, propria. Sic *nosse* dicimur *loca*, quae inhabitamus, v. Drakenb. ad Sil. XVII. 22. Burm. ad Prop. I. 6. 1. Sic *noti vultus* in Virgil. Aen. I. 684. sunt proprii, sui, uti optime Heyn. *Columbas* poeta posuit, pro palumbis, genus pro specie. v. Obss. — *Damas* nominat, quod eae altissimas rupes inhabitent, quibus adeo *aequor* undae *superiectae*, effusae erant in eas, quas aqua cooperuerat. — *natarunt*, abreptae sunt undis, nihil amplius. Hinc *pavidae*, cum dilectu; etsi et alias hoc epitheton de iis frequentetur, ipsarumque naturam exprimat. Montes igitur altissimos diluvium istud occupasse, uberius his vv. exposuit poeta, et quidem speciali piscium, silvis, adeoque summis montium iugis innatantium, et damarum, undis abreptarum, imagine. In his sane, per se consideratis, nihil video, quod Horatium dedeceat. Plurimi tamen intpp., Porphyrii fere, (forte et Senecae Nat. Qu. III. 27. Ovidii luxuriem in isto (Met. I. 304.)

Nat

Piſcium et ſumma genus haeſit ulmo,
Nota quae ſedes fuerat columbis,
Et ſuperiecto pavidae natarunt
Aequore damae.

Vidi-

Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda leones. vituperantis) qui leviter in re tam atroci et piſcium et palumborum mentionem iniectam pronuntiaverat, auctoritatem ſecuti, hanc diluvii deſcriptionem pro atrocitate rei poeta parum dignam iudicant. Aliter paullo habet, ſi quaeras, an iſta per partes deducta rerum delineatio huic loco, huic carmini conſentanea ſit. Sic vero poetam ſtatim in v. 6. ſubſtitiſſe mallem; etſi ad excuſandum eum valere puto hoc, quod hac ipſa deſcriptione timorem, Tiberis inundatione gentibus iniectum, amplificare voluerit. Omnino in talibus locis, quae exquiſitiorem aliquem ornatum vel doctrinam admitterent, veteres (ut recentiores taceam) non ſatis ſibi interdum temperaſſe, reique, quam deſcriberent, imaginum copia, uberiorique expoſitione, quibus tamen ibi locus non eſſet, virtutem aliquam ac vim conciliare voluiſſe, plures iam monuere. Ita de Timavi deſcriptione iudicat Heynius ad Virgil. Aen. I. 244. Exc. VII. p. 142. Quae ingenii luxuria Ovidio fere eſt propria. Vide v. c. quomodo idem argumentum tractaverit Met. I. 296. Ineptiſſime vero in eodem verſatus eſt Nonnus Dionyſ. VI. 229. inprimis 259 ſqq.

v. 13—20. Eandem et nos metuebamus inundationem, Tiberi alveum ſuum egreſſo, Romamque verſus exundante. Quod naturalibus ex cauſis facile accidit, ut Tiberis, nivium ſolutarum, imbriumque copia adauctus, vel ventis ab oſtio, quo in mare Tyrrhenum meatum habebat, reverberatus atque repulſus, ſiniſtra ripa, quae Romam ſpectabat, quaeque depreſſior erat altera, exundaret, atque ibi ſtagnaret; praeclare hoc poeta irae Tiberini eiusdem fluvii Dei tribuit. Sic apud Ovid. Met. XI. 208. Neptunus, Laomedontis perniriam ulturus: *omnes inclinavit aquas ad avarae littora Troiae.* Iam in adornanda indignationis iraeque Tiberini cauſſa praeclaro artificio poeta eam ab Ilia, de nece Caeſaris, et, quae eam inſecuta ſunt, bellis civilibus apud Tiberinum graviter conqueſta, eique ultionem mandante repetit; quo ipſo poeta affectus eſt hoc, ut et Caeſaris originem divinam tangeret, ipſoque

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Litore Etrusco violenter undis,
Ire deiectum monumenta Regis
Templaque Vestae,

Iliae

que Deos ob illius necem atque civilia bella populo Romano infensos, tantumque scelus ulturos significaret. Id quod maximam ad abstertendos Romanorum a novis bellis intestinis animos vim habere, Augustoque summam rerum auctoritatem conciliare debuit. *Vidimus*, graviter dictum, adiunctam enim stuporis ac metus habet notionem. v. v. 8. — *flavum Tiberim*, Deo adcommodatur epitheton, a colore fluvii ex arena flavo in eum translatum. v. I. 9. 8. II. 3. 18. Virgil. Aen. VII. 31. Ovid. Met. XIV. 448. Hinc *Tiberin turbidam* vocat Sidon. ep. 5. — *undis* fluvii *violenter retortis litore Etrusco*, a litore Etrusci s. Tyrrheni maris, in quod influebat Tiberis, adeoque in eius ostio compressis, retroque, versus caput, violenter actis. Rem optime illustrat locus Senecae Nat. Quaest. III. 26. ubi in caussis, cur flumina subito excrescant, et eam ponit, *si crebrioribus ventis ostium caeditur, et reverberatus fluctu amnis restitit; qui crescere videtur, quia non effunditur.* adde Plin. Ep. VIII. 17. 2. Quod igitur natura facile acciderat, graviter hoc Deo tribuit poeta. Alii litus Etruscum de dextra Tiberis ripa, quae Etruriam spectabat, accipiunt. — At cum ea altior fuerit, neque *violentia* opus erat, neque *retorquebantur* quidem tunc proprie undae. Aliter habet in Statii loco Silv. II. 6. 65. *seu Tibridis impetus altas in dextrum torsisset aquas*, tunc enim aquarum violento impetu opus erat, si in dextram ripam, altiorem eam, torquerentur. Multo languidius alii *violenter* cum sqq. *ire dei.* coniungunt. — *Ire deiectum*, ruinam molientem, parantem, irruentem in *monumenta Regis*, opus a Numa rege exstructum, quod a poeta ulterius designatur per *templa*, aedem *Vestae*. *Monumenta* de aedificiis publicis dici, satis notum est; v. Ruhnk. ad Vellei. I. 11. p. 48. Penetraverat adeo, atque stagnabat Tiberis in ea maxime fori Romani parte, in qua Vestae aedes esset. Hanc vero fluvium inprimis petere poeta fingit, quod ea ignem, aeternitatis imperii Romanorum pignus certissimum, servaret, qua submersa ipsa imperii firmitas subrueretur, atque labaret. Aliter

Iliae dum se nimium querenti
Iactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa; Iove non probante, uxorius amnis.

Audiet

tor Ouwens Noct. Hag. p. 352. qui Tiberinum Vestam, quod Iliam, sacerdotem suam non conservasset, ulcisci voluisse a poeta innui putabat; quod tamen a consilio poetae satis alienum videtur. Erat vero Vestae templum a Numa rege exstructum atque consecratum. Hinc Ovid. Fast. V. 259. memor forte huius loci vocat illud *regis opus placidi*. Quod si per monumenta regis cum Intpp. ipsam Numae domum regiam intelligere malis, non intercedam, modo utrumque unius eiusdemque loci habeas; quod Ovidii Fast. VI. 257 sqq. Trist. III. 1. 30. et Serv. ad Virgil. Aen. VII. 153. docte adseruit Ouwens l. l. p. 353. Habitabat nimirum Numa *propter aedem Vestae*, ut Solinus loquitur c. II., h. in atrio eius, *in Regia, quae adhuc ita appellatur*. Hinc intelligitur, quare et Horatius Numae regiam simpliciter monumenta *regis* dixerit.

v. 17—20. Dederat hoc *querenti*, querelis, precibus *Iliae*, coniugis suae. *Iactat*, profitetur, praestat se; sed illud cum dilectu propter sequ. *nimium* et *uxorius*, forte et respectu aquarum late effusarum; *ultorem nimium*, uxoris precibus nimis indulgendo, sicque nimis evagando. Alii iungunt *nimium querenti*, quod esset de femina, vindictae insatiabili, cum satis iam pridem Caesaris necem Roma luisse videretur. Potest et iungi: *nimium iactat*; sed praestat prior verborum structura, eadem quidem sententia, sed forma magis poetica: utque sic iungantur verba (non vero, *nim. quer.*) suadent inprimis seqq. *Iove non probante* et *uxorius* amnis. — *et vagus labitur*, evagatur, exundat *sinistra*, quae Romam attingebat, *ripa*. *Labi* alias de placido aquarum cursu, nunc de vehementiori, et citatiori. Tibull. I. 8. 48. de aetate: *non tardo labitur illa pede*. ubi vide Heyn. Vim quoque verbo addit adi. *vagus*. — *Vltra, quam fas erat*, quam fatis concessum erat, pro hoc graviter dixit, ipso *Iove* tantam ultionem *improbante*. Cum Iupiter fatorum ordinem servare, custodire dicatur, fata vero, quae Romam aeternam esse decrevissent, Tiberis inundatione, quae ipsi reipublicae exitium mina-

Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent;
Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuventus.

Quem

minaretur, perverti atque immutari videretur; praeclare poeta Iovem indignantem, Tiberisque ausum paullo immaniius improbantem inducit. Terreri enim Romam, non perdi volebat, uti iam bene Schol. — *uxorius*, qui Iliae precibus nimia exundatione indulgebat. Virg. Aen. IV. 266. *pulchrumque uxorius urbem exstruis.* Simul declarat poeta Tiberim, tanquam Iliae maritum. Antiquum igitur mythum, ut consilio suo adcommodaret, innovavit hactenus, ut Iliam s. Rheam Tiberi elocaret, quam alii Anienis uxorem statuant. Ovid. Amor. III. 6. 45. v. Serv. ad Virgil. Aen. I. 273. Quam tamen varietatem eo magis isti mytho inferre licuit, quod Anio Tiberi influat. Cum nostro facit Claudian. in Prob. et Olyb. cons. v. 225.

v. 21 — 24. Interpretatur portenta, et ex iis auguratur nova bella civilia, plane ut Virgil. Ge. I. 489 sqq. Cum homines sensu adhuc rudi atque inculto graviorem quamcunque calamitatem a deorum ira repetere soleant; consentaneum sane erat, ut etiam bella, maxime civilia iis gentibus, quae vel ipsorum cultum neglexissent, vel alio quocumque graviori scelere obstrictae essent, ab iisdem immitti crederent. Atque huius rei caussas poetae fere memorant, etsi interdum paullo longius petitas. Sic V. 7. 18. *scelus fraternae necis* h. parricidium Romuli in caussis insecuti belli civilis ponit. Iam cum ipsis bellis civilibus, quae poenae loco a Diis infliguntur, novo se aliquis populus scelere obliget, (v. ad v. 29.) quae novam adeo Deorum iram excitent, novasque poenas expoſcant; poeta ab utroque hoc, et Caesaris nece, bellisque, quae mox exarserant, civilibus, novas inde belli intestini calamitates tanquam fonte derivat, easque ut verax augur ex istis portentis praemonet, atque vaticinatur. Declarat eas per posteritatem Romanam civilibus malorum suorum turbis attritam atque exiguam factam, remque adeo publicam civibus exhaustam. *Iuventus*, serior posteritas Romanorum *rara*, attenuata, exigua facta, sic *raros Quirites* dixit Manil. V. 123. *vitio paren-*

Quem vocet Divom populus ruentis
Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?

Cui

parentum graviter, pro, civilibus maiorum bellis, *audiet cives acuisse ferrum — pugnas*, variata oratione pro vulgari, et pugnam s. manum conseruisse. *Cives* proprie, nam si dixisset, *nos*, vel *Romanos acuisse f.* dubium fuisset, utrum de bello externo an civili poeta loqueretur. Non igitur ad ellipsin paullo duriorem h. l. confugere est necesse, quasi dictum sit pro, *cives* contra cives *acuisse* ferrum. — 22. Satius fuisset, multo magis expediisset, si his armis hostes Romani nominis debellati fuissent. Pro his cum dilectu posuit *Persas*, h. Parthos, (nam illi ab his victi cum iisdem coaluerant) qui crebris incursionibus Romanos vexarant, quin et clade sub Crasso afflixerant. Hinc *graves* Romanis, infesti, molesti ipsorum incursionibus in ditionem Romanam. Sic βαρὺς Πέρσαισι Alexander audit Theocr. XVII. 19. Caeterum eandem sententiam, paullo aliter exornatam, habes infra I. 35. 38. V. 7. 7. adde Lucan. I. 8 sqq. *Quis furor o cives? — — quumque superba foret Babylon spolianda tropaeis Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta, bella geri placuit nullos habitura triumphos.*

v. 25—40. Vt igitur tanta, quae reipublicae interitum minentur, mala avertantur; prodigia ista procuranda, populusque isto scelere novis sacris faciundis, καθαρμοῖς, exsolvendus est. Sed cum nemo facile, qui, omnis labis atque contagionis expers, ista rite curare queat, reperiatur; Deo opus est, qui ea faciat. Enimvero, quisnam Deorum hasce sibi partes iniungi patietur? quem exorabimus? cum omnes, vel ipsi Dii tutelares, nos, quippe ἐναγεῖς, aversari videantur. Commemoratis deinceps Diis Romanorum tutelaribus in Mercurio subsistit, quem sub Augusti persona inter ipsos Romanos commorari, solumque reipublicae erigendae firmandaeque parem praedicat. — *Quemnam* Deorum *populus* Romanus *vocet*, precibus expetat *rebus* (casu tertio) *imperii*, sc. auxilio, qui *res imperii ruentis*, h. imperium, rempublicam labefactatam, ruinaeque proximam sustentet? *Res imperii*, accipiunt fere post Cruquium de partibus, quibus imperium

Cui dabit partes scelus expiandi
Iupiter? Tandem venias, precamur,
Nube

perium constitutur, maiestate populi, libertate, et dignitate! sed est simpliciter dictum pro imperio ipso, republica. *Rem Romanam* eodem sensu vel prosaici scriptores usurpant. *Res Asiae* Virgil. Aen. III. 1. *res Italae* Epist. II. 1. 2. *res caeli tenere* de Iove Ovid. Fast. V. 125. conf. I. 12. 14. *res imp. ruentis* est exquisitius pro, *res i. ruentes*, quod gravius dictum pro, concussae, labefactatae. Nimirum *stare* respublica dicitur, quae statu incolumi ac felici gaudet; (v. ad I. 35. 14.) *concuti* contra, *ruere*, intestinis motibus vel bellis externis adtrita. Ita fere *res labantes* adhibuit Tacit. Hist. II. 86. res nota. — *qua preve*, docte, antiqua voce. Cum preces certis quibusdam formulis conciperentur, certisque modis canerentur, eaedem mox *carmina* dictae. Respicit vero morem Romanorum, nova religione, novisque ritibus in graviori reip. periculo Deos colentium. Hinc et Vestam novis precum formulis tentandam atque exorandam ait. — *fatigent*, obtundant, lacessant (II. 18. 11.) eam precibus; hic vero ab effectu, permoveant precibus, ut nobis succurrat. *Virgines*, Vestales. Sic *tacita virgo* simpliciter de Vestali III. 30. 9. *sanctae*, communi sacerdotum epitheto, h. l. vero cum dilectu, quae, nullo quippe scelere pollutae, Vestam facilius exorent. Hinc iis praecipue in magno reip. discrimine cura sacrorum demandata. Atqui vel harum *carmina*, preces illas sollenni formula conceptas *minus* omnino non *audiebat*. Dii *audire* dicuntur preces, quas ratas habent, quibus eventus respondet; irritae contra sunt, quae ad eos non perveniunt, in auras disperguntur; res nota. *Vestam* ad partes vocat, tanquam maximum Romanorum numen tutelare, uti Virgil. Ge. I. 498. in loco nostri simillimo: *Dii patrii Indigetes, et Romule*, Vestaque mater, quae Tuscum Tiberim et Romana palatia servas, *hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo ne prohibete.*

v. 29. Magnam haec de Deorum auxilio dubitatio vim habet, et egregie animi humani in magno discrimine de salute desperantis naturam declarat. Pro vulgari igitur: Cum Vesta nostras preces respuat, ecquis Deorum nostrum scelus expiabit? quis ad sacra ista procuranda exorari se patietur? praeclare poeta, *cui dabit partes*, hoc munus iniunget, demandabit *Iupiter*, *expiandi* istud *scelus? Scelus τὸ ἄγος* bellorum

Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo;
Sive

civilium, paullo ante v. 25. et 47. *vitium* dictum. *Scelus* quoque Lucan. I. 2. et *nefas* eidem v. 6. quod utrumque idem hoc de re coniunctum adhibuit v. 37. *Iam nihil, o Superi, querimur, scelera ipsa nefasque hac mercede placent.* A Iove vero, tanquam summo Deorum hominumque rege, Dii quoque, quae exsequantur, mandata accipiunt. In enumeratione ipsa Deorum dilectum adhibuit poeta, tutelarium fere implorans auxilium, quibus adeo Roma inprimis curae cordique esse deberet, adiectis rationibus, quae eorum opem sperare iubeant. Idem sententiarum progressus in Choro Aeschyli, per partes cum nostro loco comparando, ubi eadem generalior Deorum cum dubitatione praecedit invocatio, Sept. adv. Th. v. 91 sqq. *τίς ἄρα ῥύσεται; τίς ἄρ' ἐπαρκέσει θεῶν ἢ θεᾶν; πότερα δῆτ' ἐγὼ ποτιπέσω βρέτη δαιμόνων;*

v. 30. Vigor accedit vv. oratione ad ipsos Deos directa. Primum Apollo invocatur, vel quod ei ante sacra fierent, quam libri Sibyllini, quibus praeesset, inspicerentur, vel quod Deus erat fatidicus, vates. Iam vero vates cum antiquissimis temporibus voluntatis Deorum haberentur interpretes, iidemque ostenta atque prodigia, quibus Dii voluntatem suam manifestarent, sacris instituendis procurarent, hominesque scelera contactos, quippe sanctissimi habiti, lustrarent; hoc idem, ut alia, ad Deos transtulere, Apollinemque fata a Iove edoctum, *μάντιν, Διὸς προφήτην* induxere. Virgil. Aen. III. 251. *Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo praedixit.* res nota. Quam rationem ut hic amplectendam statuam, suadet inprimis adi. *augur* v. 32. *Tandem* cum vi, ad desiderium exprimendum. *venias,* nos expiaturus. — 31. Praeclara idea Dei venientis, ita, ut non cernatur oculis; quod in Deorum *ἐπιφανείᾳ* fere sollenne. v. Heyn. Exc. XIII. ad Virg. Aen. II. p. 152. *nube amictus*, involutus, circumdatus, ut Virg. Aen. I. 412. *humeros*, *νεφέλῃ εἰλυμένος ὤμους* Homer. Il. e. 186. *candentes*, candidos, e quibus, cum ex antiquo vestimentorum genere nudi esse solerent, praecipua pulchritudo elucebat: in Diis pertinet ad augustam eorum speciem. De Apolline Valer. Flacc. II. 492. *neque enim tam lata videbam pectora — nec tales humeros pharetramque gerebat Apollo. Candentes* tamen hic explicare malim, refulgentes nube s. nimbo lucido, ut

supra

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Iocus circumvolat et Cupido;

Sive

supra v. 2. *rubente dextera.* Sic Valerius Flacc. I. 346. Iasonem, vellus aureum portantem, dicit *humeros ardentem vellere rapto.* Praeclara vero imago Apollinis propitii! Nimbo enim lucido Dii apparent, si propitii; atra contra, si irati. Homer. Il. α. 47. de irato Apolline: ὁ δ' ἤϊε νυκτὶ ἐοικώς.

v. 33. 34. Iam Venerem, *Aeneadum* quippe *Genetricem* (Lucret. I. 1.) gentisque Iuliae matrem creditam, ut genti suae succurrat, implorat. Caussam hanc, quae Venerem facile ad tutandum populum Romanum permoveret, Romanis et satis cognitam, et, ne eandem, in Marte mox allegandam, bis afferret, poeta consulto omisisse videtur. Aeschyl. l. l. v. 139. Καὶ Κύπρις, ἅτε γένους προμάτωρ, ἄλευσον. σέθεν ἐξ αἵματος γεγόναμεν· λιταῖς σε θεοκλύτοις ἀπύουσαι πελαζόμεσθα. — *Sive tu mavis* venire. Observa omnino orationis variatae copiam, *venias precamur, sive tu mavis, sive respicis, patiens vocari* caet. *Erycina* Venus, ab Eryce Siciliae monte, in quo eius templum erat, ab Aenea, ex vulgari antiquitatis fama, quam et Virgil. Aen. V. 759 seqq. secutus est, conditum, sic dicta; pervulgato poetarum more, Deos a locis, ipsorum religioni dicatis, indigitantium. De Venere Erycina v. Theocr. XV. 101. Pausan. VIII. 24. p. 646. qui pariter Ἐρυκίνην simpliciter laudat, et quae erudite disputat Heynius ad Virgil. l. l. Exc. II. p. 649. et in Antiqu. Aufss. T. I. p. 136. — *ridens* sollenni ac perpetuo epitheto. Nam in muneribus inter Deos distribuendis obtigere huic Deae μειδήματα sec. Hesiod. Theog. 205. Hinc φιλομμειδὴς, μειδιόωσα, γελάοισα caet. passim poetis audit. Hom. H. in Ven. 2. ἥ τε βροτοῖσι μείλιχα δῶρα δίδωσιν, ἐφ' ἱμερτῷ δὲ προσώπῳ αἰεὶ μειδιάει. Nolim igitur h. l. pro, benigna, propitia, quatenus omnino risus Deorum in signis favoris poni soleat, dictum accipere. *Iocus,* tanquam Deus in Veneris comitatu; novo sed praeclaro, reique apto phantasmate; quod, an alibi reperiatur, nescio. Nam qui Ἵμερον (ex Hesiod. Theog. 201.) hoc exprimi putant, admodum indocte, ne quid gravius dicam, hic versantur. Sic vero Noster Ep. I. 6. 65. *sine amore iocisque nil est iucundum,* Mimnermea vertens, τίς δὲ βίος; τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης; Sic *furtivi ioci* Ovid. A. A. III. 640. pro quo male, puto, *viros* ibi Heins. reposuit. *Cupido*

 filius

Sive neglectum genus et nepotes
Respicis, auctor
Heu!

filius Veneris, perpetuus eiusdem comes. res nota. *circumvolat*, pro vulgari, comitatur, sed illud innuit Iocum et Cupidinem alatos; quod de Amore quidem satis constat. Sed et Ioco praeclaro figmento alas poeta tribuere poterat. Non igitur opus est, ut generalem *τοῦ circumvolat* notionem inde adsumas, quae esset, comitatur, sequitur.

v. 35. 36. Sive tu tandem, o Mars, gentem tuam, cuius parens es et auctor, propitio vultu adspicis, eiusque curam suscipis. Observa orationis variatae vim ac gravitatem. Tu, qui *auctor* es generis nostri, diu *neglecti a* te, quod non tuitus es, cuius curam non gessisti, avertendo bella civilia, tandem *respice* illud, ei subveni. *Respiciunt* Dii, cuius curam gerunt, cui propitii sunt, satis obvio sensu. ἐπιβλέπειν eodem sensu adhibuit Callimach. fr. Bentl. CXXVI. εἰσορᾷν Eurip. Herc. f. 778. *genus et nepotes*, copia poetica dictum, cum alterum sufficeret. Caeterum eandem sententiam eadem vi extulit Aeschyl. l. l. v. 104. τί ῥέξεις; προδώσεις παλαῖχθον, Ἄρης, τὰν τεὰν γᾶν; et 135. σύ τ', Ἄρης, Κάδμου ἐπώνυμον πόλιν φύλαξον, κήδεσαί τ' ἐναργῶς.

v. 37—40. Additos a poeta hos vv. puta, et ad *auctorem* illum, quem et Romulum, tanquam Deum indigetem, dicere potuisset, bellique civilis diuturnitatem declarandam; et quod ingenii impetum in loco, qui exquisitiorem aliquem ornatum admitteret, facile luxuriantis aegre comprimeret. Suavitas insuper accedit huic loco ex oppositione vv. 33. 34. —37. qui tandem satiatus es longis, continuis bellis civilibus. Notae sunt poetarum de Marte, bellorum insatiabili, ideae. Sic Homerus hunc Deum ἀκόρητον μάχου, Hesiod. sc. Herc. 59. ἄτον πολέμοιο, et 346. ἀκόρητον ἀϊντῆς vocat. De eodem Stat. Theb. VII. 11. *arma tubasque insatiatus habet*, ubi forte leg. *avet*. Eadem notione idem poeta Caesarem *fessum bellis* vocat Silv. I. 1. 23. ubi Marklandum *fisum bellis* male reposuisse, suo loco docebimus. Per *ludum* Graecorum ἄγαλμα, ἄθυρμα, παίγμα, quod, quidquid alicui Deo proprium sit, ut Baccho vites, Palladi olea, denotet, hic exprimi putabat Heins. Lectt. Theocr. c. 21. p. 368. Quod etsi per se verum sit; vividior tamen atque erectior erit imago, de ludis Romanorum gladiatoriis desumta, qua adeo Mars caesorum homi-

Heu! nimis longo ſatiate ludo,
Quem iuvat clamor galeaeque leves,
Acer et Marſi peditis cruentum
Voltus in hoſtem;

Sive

hominum adſpectu laetari dicatur. Plane ut I. 28. 17. *Dant alios Furiae torvo ſpectacula Marti.* 38—40. Praeclare amplificatur imago huius Dei, per ſpeciales ideas. Omnino in genere tenendum, Deos a poetis ita deſcribi, quaſi iis muneribus ac ſtudiis, quae ſibi propria ſunt, admodum delectentur, eaque unice ſectentur. Iam pro vulgari, qui bello delectatur, ſpecialiores imagines, quae ſecum fert bellum, poſuit. Memoratur adeo *clamor* ſc. pugnantium, ἀλαλητὸς, ἀϋτὴ, caet. Homer. H. in Min. 2. ᾗ σὺν Ἄρηϊ μέλει πολεμήϊα ἔργα, περθόμεναί τε πόληες, ἀϋτή τε πτόλεμοί τε. Noſtrum ob oculos habuit Sil. IX. 555. de Marte: *quanquam lituique tubaeque, vulneraque et ſanguis, et clamor, et arma iuvarent.* et Val. Fl. III. 83. de eodem, praelium ingreſſo: *ubi ingentes animae, clamorque tubaeque ſanguineae iuvere Deum.* — *galeae leves*, πήληξ φαεινὴ (Homer. Il. ν. 805.) κόρυς παμφανόωσα (Il. ζ. 473.) παναίθη (Il. ξ. 372.) ad ornatum igitur pertinet, fulgentes. Niſi poeta exquiſitiorem rationem ſecutus ſit, galeasque, armorum conflictu attritas, adeoque leves factas innuere voluerit. Talium vero adſpectu Mars delectabatur. Mire huic imagini favet ſuaviſſimum Antipatri Sid. c. 19. (Anal. Br. II. p. 14.) ideo huc transferendum: Τίς θέτο μαρμαίροντα βοάγρια; τίς δ' ἀφόρυκτα δούρατα, καὶ ταύτας ἀῤῥαγέας κόρυθας; ἀγκρεμάσας Ἄρηϊ μιάστορι κόσμον ἄκοσμον; οὐκ ἀπ' ἐμῶν ῥίψει ταῦτά τις ὅπλα δόμων; ἀπτολέμων τάδ' ἔοικεν ἐν οἰνοπλῆξι τεράμνοις πλάθειν, οὐ θριγκῶν ἐντὸς Ἐνυαλίου· σκῦλά μοι ἀμφίδρυπτα, καὶ ὀλλυμένων ἅδε λύθρος ἀνδρῶν. adde Meleagr. c. CXV. (Anal. Br. I. p. 33.) et Leonidae XLVII. (Anal. Br. I. p. 232.) Ita quoque h. l. accepit Stat. Th. II. 710. Caeterum iisdem ſpecialibus ideis Palladis ſtudia inſignivit Callimachus H. Lav. P. 44. eam ἵππων καὶ σακέων ἀδομέναν πατάγῳ dicens. et Ariſtoph. Équ. 549. de Neptuno: ᾧ χαλκοκρότων ἵππων κτύπος καὶ χρεμετισμὸς ἀνδάνει. 39. 40. *Marſi* (v. Obſſ.) Italiae populus, Romanorum ſocii, eorumque clariſſimi ac fortiſſimi milites, omnes *pedites*, v. II. 20. 18. III. 5. 9. Virg. Ge. II. 167. *acer*, iratus, ferox

 vultus

Sive mutata iuvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor:
Serus

vultus in hostem, equitem, ex oppositione Marsi peditis, *cruentum* np. ex acceptis a Marso vulneribus. Graphice prorsus exornavit poeta, quod vulgare erat, Mars delectatur pugna, congressu militis cum hoste.

v. 41—44. Vel si tu, Mercuri, iam ad nos descendisti, inter nos versaris, sub Augusti persona. Praeclarum phantasma, quo Augustum Romanis tanquam divinitus oblatum, et tanquam eum, qui rempublicam solus restituere, motus civiles componere, imperiique maiestatem reparare queat, repraesentat. Praeclarum et hoc, quod ex Diis Mercurii partes Augusto tribuit. Erat enim Deus ἀλεξίκακος, ἀκακήσιος, et, quod est adpositissimum, κριοφόρος, *expiator*, qualis etiam in Gemmis conspicitur. cf. Pausan. II. 3. et IX. 22. Forte et Mercurii iuvenilem habitum ac pulchritudinem respexit, Augustum v. *Iuvenis* indigitando. — *ales*, Mercuri; docte. Graecis item πτηνὸς, εὔπτερος, πτερόπους propter πέδιλα πτηνὰ dictus. — *filius Maiae*, graece, pro vocativo, ut saepius. *almae*, πατρίας, sollenni Dearum epitheto. *mutata figura*, εἶδος ἀμείψας, deposita divina specie, sumtaque humana, *in terris imitaris*, docta brevitate, pro, in terris versaris, *imitatus*, assimulans speciem *Iuvenis*, Augusti, sollenni appellatione. Virgil. Ge. I. 500. *Hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo ne proh.* cf. Wernsdorf. ad Calpurn. I. 44. (in Poett. min. II. p. 212.) — *patiens vocari Caes. ultor*, graece, pro, *te vocari Caesaris ultorem*, τλὰς, ὑπομένων καλεῖσθαι τιμωρὸς K. *patiens*, non recusans, haud dedignatus, in te recipiens, sed illud augustiori specie, tanquam de Deo. *vocari*, dici, adeoque esse *Caesaris ultor*, adoptati Caesaris filii, eiusdemque adeo vindicis personam suscipere. Pro quo gravius erat: ulcisci Caesarem.

v. 45—48. Sequuntur preces ad Augustum, tanquam Deum factae. Oratio in his ita attemperata est, ut utrique, et Mercurio et Augusto conveniat. Cum ab Augusto optima quaeque, praesentissimamque reipublicae opem ab eo adlatum iri certo sperare liceat; haec, etsi summam

Serus in caelum redeas, diuque
Laetus interfis populo Quirini,
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat;

summam votorum suorum efficientia, quaeque unusquisque ex orationis serie facile exspectasset, egregie poeta, quippe certissima plane omittit, et tantum, ut felicitas ista temporum, reipublicae ab eo reddenda, longa ac perpetua sit, precatur. Sententia horum vv. fere eadem, sub varias tantum imaginum species revocata. Commoratur nimirum in ista, ut vivide ostenderet, quam gratum acceptumque Romanis Augusti esset imperium, et quantum spei in eo reipublicae ordinandae, et a discordiis civilibus, externisque hostibus tutandae collocaretur. Caeterum colores ex hoc loco petiere Lucan. I. 43 sqq. et Stat. Theb. I. 22 — 51. Cum nostro certasse videtur Virgil. Ge. I. saepius laudato. *Serus* sero *in caelum redeas*, abeas, caelum petas, sed alterum praeclare tanquam de Deo. cf. Lucan. I. 46. Ovid. Trist. V. 2. 51. *Sic habites terras, sic te desideret aether, sic ad pacta tibi sidera tardus eas!* eadem sententiae eiusdem exprimendae περιεργίᾳ. — *diuque interfis*, commoreris *in populo Quirini*, Romuli, hoc nomine inter Deos relati. res nota. *Laetus*, χαίρων, propitius, tanquam numen propitium. Etiam hoc, tanquam de Deo. Sic *volens* III. 30. 16. ubi v. not. Stat. Silv. I. 1. 105. ita h. l. exprimens: *Certus ames terras, et, quae tibi templa dicamus, ipse colas, nec te caeli iuvet aula: tuosque laetus huic dono videas dare tura nepotes.* de Domitiano. — *Neve te iniquum*, iratum, offensum *nostris vitiis*, v. ad v. 29. *aura tollat*, in caelum evehat, nobisque eripiat, *ocior*, ocius, citius discessu parato, propter vitia, quae numina aversantur. Mercurium alatum, ventisque adeo in caelum sublatum etiam hic respici, vix est, ut moneam. Caeterum praeclare Horatius illas aureae aetatis notiones, in qua Dii inter homines innocentes versabantur, quos deinde sceleribus imbutos, aversati reliquerant, hic in rem suam convertit. v. Catull. Epith. Pel. et Thet. extr.

v. 49. 50. Maneas inter nos, ut plures de hostibus triumphos agere possis, utque diutius amore populi Romani fruaris. Duo haec poeta, gloriam virtute bel-

Tollat; hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater atque Princeps,

Neu

lica partam, et amorem populi, quae de Augusto tanquam forti atque bono principe praedicat, maxima momenta facit, quae eundem, ut in terris amplius moretur, permoveant. Iam pro generali: rempublicam diutius capessere, eius saluti diutius prospicere, ne dedignare, ne aspernare (fere ut Stat. Theb. I. 30. *maneas hominum contentus habenis undarum terraeque potens, et sidera dones* seu potius *damnes.*) doctior erat specialis notio, arcendis, debellandisque hostibus rempublicam amplius tutari ne graveris, et pro hoc exquisitissima ratione de Augusto victoriae quippe certissimo, ne fatigeris, ne satieris nimiis victoriis, rebus per longum tempus tam praeclare gestis, multisque iam triumphis (tres memorat Sueton. Aug. XXII.) actis. Plane ut Virg. Ge. I. 504. *Iam pridem nobis caeli te regia, Caesar, invidet, atque hominum queritur curare triumphos.* Sic Statius Silv. I. 1. 23. coloribus ex h. l. ductis de Iul. Caesare: *qui fessus bellis* (non amans amplius triumphos, iisque caelum praeferens) — *primus iter nostris ostendit in aethera divis.* — *Hic* in terra, in populo Romano *ames potius*, praeferas, potiores habeas *triumphos. Magnos*, ornat, ut *superbos.* I. 35. 3. — *Pater* populi, ob maxima eius in rempublicam merita, cf. III. 24. 27. Sicque recte *Patris Patriae* nomen Augusto a poeta dari poterat, etsi anno demum V. C. DCCLII. publice ita appellatus fuerit; nisi potius Augusti tanquam Dei cognomen habeas; quo certe sensu Valer. Fl. I. 11. Vespasianum *Sanctum Patrem* vocat. Bene ibi Burm. est quasi praesentis Dei titulus. Priorem equidem rationem sequor. *Princeps* civitatis, Romano sensu. *Principes* enim *civitatis* dicebantur, qui gratia, auctoritate valerent apud populum, eumque sibi maximis beneficiis devinxissent. Res satis nota. Augustus igitur, adsumto hoc nomine (anno V. C. DCCXXVI. Dio LIII. 11.) et invidiam civium a se amovebat, tantoque acceptior iis erat. Tacit. Annal. I. 1. de Augusto: *Accepit cuncta discordiis fessa civilibus sub nomine Principis.*

v. 51. 52. Augustum circa hoc tempus expeditionem adversus Parthos molitum esse, patet e Dione LIII. 33. p. 519. Praeclare igitur ad eam suscipiendam nomine populi Romani exhortatur poeta, qua ipsa scelus

Neu ſinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caeſar.

ſcelus bellorum civilium expiaretur. v. ad I. 33. 38. *neu ſinas* graviter, tanquam Deus. *Medos*, Perſas, i. Parthos, v. ad v. 22. *inultos*, impunitos *equitare*, incurſionibus agrum Romanum infeſtare, ſed illud cum dilectu, quoniam equitatu praeſtabant. cf. II. 9. 24. — *te duce*, tuis auſpiciis, bellum iis tuo ductu inferendo. Sed forte ſimplicius: te imperium tenente, ſollenni Impp. appellatione. v. IV. 5. 1. et 37. cf. Burman. ad Prop. II. 13. 20. Markl. ad Stat. Silv. IV. 1. 46.

CARMEN III.

ARGVMENTVM.

Dubitari vix potest, quin hoc carmen a. V. C. DCCXXXV. quo Virgilius Athenas proficisceretur, (v. Heyn. vit. Virg. p. CCVII.) ab Horatio scriptum sit. Discedentem eum dum votis pro felici in Atticam appulsu prosequitur, animus eius periculorum, quibus eum obiectum sentit, cogitatione defixus in ipsum discidii huius auctorem, dolore ac desiderio abreptus, convertitur. Ita enim fert animi humani natura, ut, quotiescunque gravi aliquo damno adfligitur, vel instantis periculi metu consternatur, ultimas huius mali caussas exquirere, easque, etsi remotissimas, tanquam praesentis infortunii primarias ac fere unicas abominari soleat. Itaque exprobrat poeta istius hominis, qui primus mare tentasset, proiectissimam audaciam, qua viam hominibus natura praeclusam patefecerit, suaque sorte maiora conando erga Deos ipsos impius fuerit. Eadem igitur fere in hoc carmine est audaciae atque impietatis notio: dum enim, quae invidit nobis natura, quae adeo nos adsequi noluit, imo vetuit, appetimus, impietatis notam simul subimus. Hinc ulterius progressus alia temeritatis impiae exempla, e mythica aetate petita, cumulat, qua maxima mala, poenae loco a Diis inflicta, in homines redundaverint. Dum igitur Horatius, ira atque indignatione accensus, audaciam hominum tanquam plurimorum malorum, quibus huma-

humanum genus nunc prematur, fontem, periculorumque, quibus nunc amicum suum expositum videt, caussam detestatur; hoc ipso doloris sui desideriique affectum, qui carminis huius sensus est primarius, vividissime declarat. Hinc intelligitur, quam apte omnia inter se cohaereant. — Carmen ipsum sententiarum gravitate vere Pindaricae elocutionisque vi atque doctrina maxime est conspicuum: graecos autem poetas Horatium ob oculos habuisse eum ipse orationis color prodit, tum manifestum fit e Servio apud Fabricium, qui v. 9 sqq. ex Alcaeo, et v. 29 sqq. de morbis e Sappho sumta testatur. Initium vero deberi videtur Callimacho, cuius fragm. in Bentl. extat n. CXIV. p. 485. ed. Ern.

Ἁ ναῦς ἁ τὸ μένον φίγγος ἐμὶν τὸ γλυκὺ τᾶς ζοᾶς
Ἀρπάξας, ποτί τε Ζανὸς ἱκνεῦται λιμενοσκόπω.

cf. similis argum. Theocr. ζ, 52 sqq. Meleagri c. VII, et XXX. E nostro fluxit Propempticon Statii Silv. III. 2.

AD

ADVIRGILIVM.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida ſidera,
Vento-

ν. 1—8. Vtinam fauſta ſit Virgilii in Atticam navigatio! Sententiam hanc in diſceſſu amici, per mare iter facientis, ſatis obviam, egregie poeta nobilitavit ſic, ut ipſam navem adloquatur, eamque Virgilio depoſiti loco dato ſibi obſtringat, quem adeo incolumem in oram Atticam perferat, ibique reddat, atque hac tantum ſub lege ei fauſtam navigationem adprecetur. Structura orationis paullo abſtruſior, ita expediенda: *O navis, Virgilium, precor, incolumem reddas ſ. Atticis: ſic te regat diva potens C.* caet. uti fere apud Tibull. I. 4. 1. *Sic* ſollenne in obteſtationibus, ubi alteri, quo lubentius praeſtet id, quod nos petimus, quae ipſi grata et accepta ſunt, viciſſim exoptamus: ut I. 28. 25. Tibull. II. 5. 121. *Adnue, ſic tibi ſint intonſi, Phoebe, capilli;* qui locus fluxit ex Apollon. II. 708. Ἱλήκοις· αἰεί τοι, ἄναξ, ἄτμητοι ἔθειραι, αἰὲν ἀδήλητοι. *Diva potens Cypri,* Κύπρου κρατοῦσα, graeca orationis forma (ut I. 5. extr. *potens maris Deus* et C. Saec. 1. *ſilvarum potens Diana.*) pro, quae regit Cyprum, Venus: ſollenni notione, qua Diis ἐγχωρίοις tutela atque imperium eiusdem regionis adſcribitur, iidemque inde, tanquam auguſtiori appellatione declarantur. v. I. 2, 33. III. 26. 9. res nota. Invocatur hic tanquam Dea maris domina, quippe *aequore nata*, ut cauſſam addit Ovid. Heroid. XIX. 160. niſi potius huius rei ratio atque origo a Cypriis repetenda videtur, qui navigationem paraturi Venerem, Deam ipſorum tutelarem invocarent, ab eaque fauſtum iter expoſcerent; (fere uti in adpulſu ad Epheſum Dianae Epheſiae grates aguntur apud Plaut. Mil. glor. II. 5. 1. quanquam et haec dea λιμενοσκόπος Callim. H. in Dian. 259.) ut inde adeo inter eas gentes, quas ii, mercaturam facientes, adirent, Εὐπλοίας nomen Venus ſortiretur, eique in litoribus, portubus, atque inſulis ſacella erigerentur. Spectant huc ex Anal. Brunkii Solonis c. XXXVIII. (T. I. p. 75.) Anytes c. V. (ib. p. 198.) Mnaſalcae c. VIII. (ib. p. 191.) et Gaetulici c. I. (T. II. p. 166.) et in Ἀδεσπότ. c. CCLXV. (T. III. p. 205.)

Ποντία

Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis praeter Iapyga,

Navis,

Πεντία et Λιμενιὰς Hermionensibus colebatur iuxta Pausan. II. 34. p. 193. Cnidiis Εὔπλοια Id. I. 1. p. 4.

v. 2. *fratres Helenae*, Dioscuri, Castor et Pollux, quorum peculiare munus erat, hominibus naufragio periclitantibus succurrere. v. ad III. 29. 64. et IV. 8. 21. Cuius figmenti ratio in eo quaerenda videtur, quod in magna tempestate appareant quasi stellae velo insidentes, quod phaenomenon nautis indicio est, frangi tempestatem, ventosque desinere. Seneca Nat. Quaest. I. 1. plura v. ad I. 12. 25. Quas stellulas quum Dioscurorum praesentiam atque auxilium manifestare antiqua sibi persuasum haberet religio; sane proclive erat, ut eandem hanc vim, quam globuli isti ignei praestare viderentur, sideribus, Castoris et Pollucis nomine insignitis, adtribueret. v. Eurip. Orest. 1636. Hel. 1515. et 1680. Propert. I. 17. 18. ibi Intpp. adde Plin. II. 37. et Hygin. Astron. II. 22. Hinc praeclare poeta per apposita, *lucida sidera*, declarat modum, quo Dioscuri navigationem adiuvabant. *Lucida* vel ornat simpliciter, uti apud Senec. Herc. Fur. 14. *Hinc* clara *Gemini* signa, *Tyndaridae micant*: vel quatenus oculis visa nautis prosperae navigationis spem faciunt. v. Propert. l. l. Statius III. Silv. 2. 8. *proferte benigna sidera, et antennae medio considite cornu Oebalii fratres.* qui tamen male utrumque figmentum commiscuit; nec recte satis eum defendas Euripidis loco, (Hel. 1515.) ubi iidem, ut aere relicto navibus periclitaturis subveniant, votis expetuntur; nam ibi paullo alia res est. Caeterum ex Diis ἀρωγοναύταις Horatius Venerem et Tyndaridas posuit, tanquam poeta; nisi forte hanc peculiarem rationem secutus sit, quod Veneri insula, in ostiis Tiberis sita, consecrata esset, et quod Dioscuri in Ostiae portu templo colerentur. Rem docte exposuit Wernsdorf. in Poett. min. T. III. p. 432. et T. V. P. I. p. 106. ad illa Rutilii Itin. v. 155. *Pande precor gemino placatum Castore pontum, Temperet aequoream dux Cytherea viam.*

v. 3. 4. *Ventorum pater*, cuius imperio venti subiecti sunt, Aeolus, ut πατὴρ ἀνδρῶν de Iove. *obstrictis aliis*, dum reliquos obstrictos tenet, caeterorum flatus comprimit. Orationis ornatus ab antiquissimo illo mytho desumtus videtur, quo Aeolus ventos utre constrictos tenere

Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas

tenere dicebatur. v. Homer. Odyss. K. init. Mythi quidem istius seriores poetae non amplius meminere, quippe qui probe nossent, simplicitatem eius priscae isti aetati tantum probari potuisse; verborum tamen ornatum saepius inde repetiere. Sic Callimachus H. in Dian. 230. de eadem Dea: ὅτε οἱ κατέδησας ἀήτας, pro simplici, *quando ventos* silere *iusseras*. Nam ad Virgilianam rationem, dignitati quidem rei multo magis consentaneam, qua Aeolus ventos antris inclusos tenere fingitur, verba Horatii cum quibusdam Intpp. vix recte satis adcommodes; etsi Statius Silv. III. II. in reliquis fere cum Nostro faciens, v. 45. *Et pater, Aeolio frangit qui carcere ventos — arctius obiecto Borean, Eurumque Notumque monte premat, soli Zephyro sit copia caeli*, eam amplexus sit. — *Iapyx*, Ἀργέστης, ventus occidentalis (Gell. II. 22. qui tamen locus nondum satis expeditus videtur) ab Iapygibus, extremam Apuliae oram, seu Calabriam (Senec. Nat. Quaest. V. 17. extr.) incolentibus, sic dictus, Graeciam ex Italia petentibus secundus.

v. 5—8. Navis, quae Virgilium vehis, salvum eum atque incolumem in Atticam perfer. Primariam hanc carminis sententiam egregie adornavit Horatius, verbis a pignore desumtis: quod *credimus* alteri, dum ei *servandum* tradimus; contra is illud *debere* dicitur, quem *incolume* et absque detrimento *reddere* oportet. Eandem allegoriam sectatus est Statius l. l. amicum suum v. 6. *grande ac rarum depositum* et v. 81. *pignus* navi commissum vocans. Itaque navis *creditum* commissum fidei suae Virgilium *debebat* eius amico, Horatio, qui adeo optimo iure ab ea postulare poterat, ut eum *incolumem redderet*, salvum perferret *finibus Atticis*, in Atticam. *Debere*, ut ὀφέλλειν Callim. fragm. Bentl. CXXVI. (in Apollonii Schol. IV. 1322.) Δέσποιναι Λιβύης, Ἡρωΐδες, αἳ Νασαμώνων αὔλια, καὶ δολιχὰς θῖνας ἐπιβλέπετε, μητέρα μοι ζώουσαν ὀφέλλετε h. *matrem mihi vivam debetis*, eam *vivam a vobis reposco*. *fines Attici*, Attica, ut *fines Aeetaei* de ora Colchica Catull. Epithal. Pel. init. et sic passim. *Dimidium animae suae* vocat Virgilium, graeca suavitate. Meleag. c. VII. (Anal. Br. I. p. 5.) Οὔριον ἐμπνεύσας ναύταις Νότος, ὦ δυσέρωτες, ἥμισύ μευ ψυχᾶς ἅρπασεν Ἀνδράγαθον, Callimach. ep. XLIII.

ἥμισύ

Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.

Illi

ἥμισύ μευ ψυχῆς ἔτι τὸ πνέον, ἥμισυ δ' οὐκ οἶδ' εἴτ' Ἔρος, εἴτ' Ἀΐδης ἥρπασε· πλὴν ἀφανές· ἦ ῥά τιν' ἐς παίδων πάλιν ᾤχετο. et propius ad h. l. in eiusdem fragm. CXIV. p. 485. ex emendatione Bentl. ἁ ναῦς, ἁ τὸ μόνον φέγγος ἐμὶν τὸ γλυκὺ τᾶς ζοᾶς ἅρπαξας, ποτί τε Ζανὸς ἱκνεῦμαι λιμενοσκόπω, nisi potius ibi cum eodem reponas, ἁμίτομον — ἁρπάξασα ποτὶ Z. nam Cod. habet ἄτομον, vitio e scripturae compendio nato. conf. II. 17. 5. Stat. l. l. v. 7. et V. 1. 177. Ovid. ex Pont. I. 6. 27. ibique Heins.

v. 9 sqq. Dum Horatius Virgilium sibi ereptum, tantisque periculis dolet obiici, indignatio eius in ipsum auctorem huius discidii convertitur, eiusque inventum tanquam facinus impium contraque naturae leges susceptum exagitat atque detestatur. Naturae enim animi humani consentaneum est, ut, quotiescunque infortunio aliquo vel periculi metu prematur, atque perturbetur, ad eius ultimas statim caussas recurrat, easque tanquam unicum omnium, etsi casu potius inde enata sunt, malorum fontem habeat, atque exsecretur. Sic Penelope (Ovid. Heroid. I. 5.) Paridem, antequam Helenam rapuisset, undis obrutum, Medea (Eurip. Med. init.) Iasonem Colchis, Ariadne Theseum (Catull. LXIV. 171.) Cretae nunquam appulsos optant, cum gravissima ipsis inde mala acciderint. Sic Propertius III, 7. in. in Paeti naufragio pecuniam tanquam navium inventarum, malorumque inde emergentium caussam incusat. — 9. Hominem durum, ac sensus expertem, quique nulla re facile commovetur, designant poetae sic, ut eius animo tribuant id, quod in rerum natura durissimum est, ferrum, saxa, robur. Iam hoc poetae exornant vel sic, ut ipsum cor e ferro conflatum, vel e saxo compactum dicant; veluti Aeschyl. Prometh. 242. σιδηρόφρων κἀκ πέτρας εἰργασμένος. Pindar. fragm. apud Athen. XIII. c. VIII. p. 601. κεῖνος ἐξ ἀδάμαντος ἠὲ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν. et Apollon. Rhod. II. 231. κέαρ ἀδάμαντος ἐληλαμένον. Hinc simpliciter apud Homerum dicitur θυμὸς σιδήρειος Il. χ. 357. ἦτορ σιδήρειον Il. ω. 205. et Hesiodum θυμὸς ἀδάμαντος Ἔργ. 147. et Θεογ. 239. χαλκεοκάρδιος Theocr. XIII. 5. νόον σιδήρου ἔχων Mosch. IV. 44. quo et pertinet Theocriti XXII. 112. θυμὸς ἄῤῥηκτος, Orph. Arg. 950. θυμὸς ἀκαμπής. E Latinis, qui idem hoc genus loquendi adopta-

Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commi-

optarunt, occurrit Ovid. Amor. III. 6. 59. *Ille habet et silices, et vivum in pectore ferrum*, et Trist. I. 7. 41. adde Stat. Theb. III. 280. Claudian. de Bello Get. 303. Alter modus est, ut pectus ferro, aut aere munitum atque circumdatum poetis dicatur, adeo, ut nihil, quo turbetur, ad illud penetrare possit. Conf. ad III. 28. 4. adde Tibull. I. 1. 63. *non tua sunt duro praecordia ferro vincta nec in tenero stat tibi corde silex.* Est igitur, ut rem paucis complectar, animus ferreus is, qui nullis neque minis, neque precibus, aliisve illecebris, tanquam amoris (ut in Pindari fragm.) neque periculis a propositi pertinacia quidquam remittit: designat adeo virum fortem, immiseri-cordem, asperum, audacem ut h. l. Exornavit hanc notionem poeta, duas res, quae duritiem, animumque intrepidum indicant, cumulando, *robur*, ilicem et *aes*, idque, re amplificata, *triplex*. Recte quidem *robur et aes* iungi possit, ut *et* explicativum sit, accipiaturque pro, *robur aeris*, h. aes firmissimum, ut *robora ferri* Lucret. II. 1449. et inde Virgil. Aen. VII. 609. priorem tamen rationem, Pindari, Aeschyli, aliorumque exemplis innixam hic sequi malim. Quod vero *aes* vocat *triplex*, huius quidem imago a thorace, pectus ambiente, ducta videri potest, qua adeo materia pro opere inde facto posita sit, et thorax intelligatur triplex, cui tres laminae ferreae inductae sint; qualem fere describit clypeum Statius Theb. VII. 311. *clypei septemplice tauro laeva, ter insuto servantem ingentia ferro pectora.* et qua eadem de caussa Homer. Il. δ. 133. θώρηκα dixit διπλόον. Simplicior tamen ratio fuerit haec, ut pectus aere triplici h. denso obductum, adeoque *duritie armatum*, ut Valer. Max. VI. 3. init. ait, et adversus omnem periculi metum munitum intelligamus. — 10. qui primus per mare viam tentavit, primam navigationem instituit. *Navem* vel *se, vitam suam committere, credere mari* vel *ventis*, sollenni more dicitur de navigatione. Hic vero cum dilectu, respectu primi nautae, maris ac ventorum arbitrio magis obnoxii, cum nondum, qua arte ventorum vim temperaret, cursumque adeo certum teneret, usu didicisset. Magna quoque vis est in oppositis *truci* irato, tempestuoso (Catull. IV. 9. *trucem Ponticum sinum*) *pelago* et *fragilem ratem*. *Gracile lignum* dixit Statius III. 2. 80. ὀλίγον ξύλον Arat. Phaen. 300. ὀλίγον δὲ διὰ ξύλον Ἀΐδ' ἐρύκει, quem locum

Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,

Nec

locum apte in rem suam vertit Alciphr. I. Ep. 3. ubi Berglerus laudat Dio. Chrys. Orat. LXIV. οὔτε τριδάκτυλον αὐτοὺς σώζει ξύλον πενικινον, quod mire convenit cum Iuvenalis S. XIII. 17. *I nunc et ventis animam committe dolato confisus ligno, digitis a morte remotus quatuor aut septem, si sit latissima taeda.* Caeterum e nostri loco profecit Seneca Med. 301. *Audax nimium, qui freta primus rate tam fragili perfida rupit — — animum levibus credidit auris, dubioque secans aequora cursu potuit tenui fidere ligno.* Iuvat quoque hic in gratiam iuvenum erectioris indolis apponere epigr. XXIV. Antiphili (Anal. Brunk. II. p. 175.) τόλμα, νέων ἀρχηγὲ (σὺ γὰρ δρόμον ἤυρας πόντου, καὶ ψυχὰς ἀνδρῶν κέρδεσιν ἠρέθισας,) οἷον ἐτεκτήνω δόλιον ξύλον, οἷον ἐνῆκας ἀνθρώποις θανάτῳ κέρδος ἐλεγχόμενον; ἦν ὄντως μερόπων χρύσεον γένος, εἴγ' ἀπὸ χέρσου τηλόθεν, ὡς Ἀΐδης, πόντος ἀπεβλέπετο.

v. 12 *sqq.* Pericula navigationi objecta egregie poeta per specialiores notiones, pugnam ventorum, Hyadas, Notum, monstrorum marinorum occursum, et scopulos declarat, *nec timuit*, susque deque habens, minime curans *Africum*, cum dilectu, nam is in mari mediterraneo maximos motus concitat, *praecipitem* adeo, ὑψιπετῆ, (πνοὰς ὑψιπετᾶν ἀνέμων apud Pind. Pyth. III. 188.) ex alto irruentem, frequentata poetis imagine, qua venti de caelo ruere (hinc Boreas αἰθρηγενέτης Homero Od. ε. 296. et ἄνεμοι αἰθρηγενεῖς Apollon. Rh. IV. 765. Virgil. Ge. I. 443. *urget ab alto Notus*, et II. 310. *tempestas a vertice incumbit.* ubi v. Heyn. adde Hesiod. Ἔργ. 546. et Odyss. ξ. 475.) vel e summis montibus (occurrit nunc Val. Flacc. I. 575. Alciphron Ep. I. 1. ἐπίπνεον ἐκ τῶν ἀκρωτηρίων οἱ βορεῖς) oriri dicuntur. *Decertantem*, certantem cum *Aquilonibus*, sed illud cum vi, nam contentionem pugnae non nisi fugato altero, obtentoque hinc maris imperio finitae innuit. Sic *ventos deproeliantes* dixit, I. 9. 11. *rixam debellatam* I. 18. 9. Hinc expedi Stat. Theb. I. 2. *regna decertata.* Sollemnis vero imago tempestatis a ventorum ex adverso flantium, deque maris imperio certantium concursu petita. Ovid. Trist. I. 2. 25. *Inter utrumque fremunt immani turbine venti, nescit, cui domino*

 pareat,

Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere ſeu ponere volt freta.
Quem Mortis timuit gradum,

Qui

pareat, unda maris. Iam Homer. Il. π. 766. et inde Virgil. Aen. X. 357. Etiam Pind. Pyth. IV. 373. *βαρυγδούπων ἀνέμων στίχας* de acie ventorum inter ſe concurrentium acceperim. adde Virg. Aen. II. 417. — 14. *Hyades*, vel *Suculae*, ſtellae in fronte Tauri, ortu et occaſu ſuo tempeſtatem ac pluviam excitare creditae. v. Ovid. Faſt. V. 163. Plin. II. 29. Hinc *triſtes*, caelum triſte facientes, *contriſtantes* (ut Virgil. Ge. III. 279. *nigerrimus Auſter — pluvio contriſtat frigore caelum.*), ventos ac pluviam ferentes, *pluviae* inde dictae Virgil. Aen. I. 744. — *rabiem*, iram, vehementiam *Noti*, Auſtri, *quo non maior*, qui maximus eſt *Hadriae* τοῦ Ἀδρίου, Hadriatici maris, *arbiter*, qui maximum ius, imperium in illud habet, pervulgato loquendi uſu, quo venti regionem, quam perflant, incolere, (*Aquilones, Scythiae incolas*, noſter dixit III. 10. 3.) poſſidere, (Propert. I. 18. 2. v. ibi Burmann.) adeoque ei dominari (de eodem III. 3. 5. *dux inquieti turbidus Hadriae.* adde Sil. IX. 495. *Regnantem Aetolis Vulturnum in proelia campis effrenat.*) poetis dicuntur. — 16. Iam arbitrium ſeu tyrannidem Auſtri uberius declarat poeta. Proprie erat *ſeu tollere vult, ſeu ponere.* Sed prius *ſeu* omiſſum more Horatiano v. I. 6. in fine. *tollere freta*, fluctus excitare in mari. Stat. Achill. I. 44. *attollere magnum aequor*, et ſic ſaepius. — *ponere*, ſublatum componere, ſedare, flatu remiſſo, ac placidiori facto. Lucan. V. 705. *laſſatum fluctibus aequor ut videre duces, purumque inſurgere caelo* Tracturum pelagus *Boream.* iuxta Homer. Od. ι. 385. ὤρσε δ' ἐπὶ κραιπνὸν Βορέην, πρὸ δὲ κύματ' ἔαξεν. Sophocl. Ai. 681. Δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισε στένοντα πόντον. Virgil. Aen. III. 69. *ubi prima fides pelago, placatique venti dant maria.*

v. 17 *ſqq.* Is ne praeſentiſſimum mortis periculum timuit, qui etc. Variata hac oratione (nam pedeſtris ſcriptor eam ita continuaſſet: *nec timuit Africum — nec monſtra* caet.) et per interrogationem expreſſa ſententiae maior vis accedit. *Mortis gradum* explicant fere *mortis genus*, at qua ratione ita dicatur.

Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum et
Infames ſcopulos alta Ceraunia?

Nequid-

tur, non expediunt: nec, ſi quaeras, quot mortis genera in mari inveniantur, magis in promtu erit reſponſio; niſi ea cum quibusdam ita adnumerare velis, a belluis marinis devorari (*monſtra natantia*), naufragio perire (*qui vidit mare turgidum*) et ſcopulis affigi (*alta* Ceraunia). Sed ineptum hoc; at multo ineptius Schol. qui tres gradus mortis commemorat, fatum, caſum, genituram. Res ita videtur expedienda. Mors eſt δαίμων, vel omnino perſona, quae ad nos accedit, (Tibull. I. 10. 34. et Propert. II. 20. 60. *qua ſit Mors aditura via.*) αἶσα ἐπιχράει, ἐπισκήπτει, (ut ſaepius apud Homer.) noſtram domum intrat, I. 4. 14. nos perſequitur, III. 2. 14. Iam eam acceleramus, adeundis periculis, unde illa nobis certa imminet, ipſique adeo novas vias, quibus ad nos accedat, paramus. *bellis arceſſere Mortem* Tibull. I. 10. 33. *leti vias* eodem ſenſu apud eundem I. 3. 50. quem locum admovi Ach. Tatio IV. p. 160. τοσαῦται τῶν θανάτων εἰσὶν ὁδοί. et ipſa Mors *gradum corripere* dicitur v. 33. Senſus adeo eſſet: ille plane non expavit Mortem ad ſe accedentem. Sed reſtat alia ratio, et ipſa poetis ſatis frequens, qua nos mortis viam ingredi dicimur. Sic θανάτου πέλας βαίνειν Eurip. Oreſt. 1044. ποδῶν ῥιπῇ θανάτῳ πελάσαι Idem Iphig. T. 885, inprimis periculis nos obiicientes. Propert. III. 5. 2. *Per te immaturum mortis adimus iter* ſc. navigatione reperta. Eandem docte Phaedrus III. 6. 9. *profeſſae mortis audacem viam* vocat. Atque hanc rationem ſecutus videtur Horatius, *gradum Mortis* docte ponens pro, gradum ad Mortem; utque adeo ſenſus ſit: Sane ille non timuit gradum, audacter gradum tetendit, viam ingreſſus eſt, unde certiſſima ipſi Mors impenderet, adeoque periculoſiſſimam. Haec ipſa pericula vivide oculis ſubiicit poeta in ſqq. — 18. *ſiccis oculis*, ſine lacrimis, ἄδακρυς, ἄτεγκτος, ut *ſicco lumine* Lucan. IX. 1044. cf. Obſſ. adeoque impavidus et ferox *vidit*, videre potuit, adſpicere ſustinuit, v. ad I. 2. 13. *monſtra natantia* belluas marinas in maris ſuperficie apparentes, δεινὰ φῦλα πόντου Eurip. fr. apud Valken. Diatr. p. 147. ἀναιδέα δείματα πόντου, Oppian. Hal. V. 24. et πελώρια θαύματα πόντου apud eundem I. 360. Similis noſtro locus eſt in Catonis dir. 55.

Nequidquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſociabili
Terras,

Nigro multa mari dicunt portenta natare, monſtra repentinis terrentia ſaepe figuris, cum ſubito emerſere furenti corpora ponto. Propert. III. 21. 27. *Itala portentis nec furit unda novis.* Horatium ſecutus Valer. Flacc. V. 483. *cui non iuſſo tot adire voluptas monſtra maris?* *Oceani monſtra* pariter Iuvenal. XIV. 283. *Neptunia monſtra* Claudian. de laud. Ser. 129. *naufraga monſtra* de Scylla, canibus ſuccincta Ovid. Faſt. IV. 500. Iam belluarum iſtarum adſpectus cum per ſe eſt terribilis, v. III. 27. 26. tum augetur iſte terror, quod, ubi ſuperficiem maris petunt, imminentem tempeſtatem eae ſignificant. Quod et ſcriptoribus itinerariis obſervatum memini. Mare vero mediterraneum, quod Virgilio nunc traiiciendum erat, iis quam maxime frequentari, e recentioribus teſtatur quoque Chandlerus in deſcriptione itineris in Aſiam minorem p. 3. — *mare turgidum*, ſc. fluctibus, θάλασσαν οἰδάνουσαν, tempeſtuoſum, v. Obſſ. — 20. *Ceraunia* vel *Acroceraunia*, τὰ Κεραύνια ὄρη, montes in Epiro, inter Hadriaticum et Ionium mare ſiti (Strabo VII. 488. Pauſan. V. 22.); qui adeo Graeciam ab Italia petentibus in conſpectum veniebant. Cum dilectu igitur hic poſiti, reſpectu Virgilii, Athenas petentis. *Infames ſcopulos*, δυσωνύμους, propter naufragiorum ad eos factorum frequentiam. Sic Seneca Ep. XIV. *Charybdis regionem* vocat *vorticibus infamem*, Stat. Theb. III. 121. *ſcopulos*, quos Sphinx infederat, *infames*, et Theb. I. 333. *petras Scirone infames*, quas easdem Seneca Hippol. 1023. *ſcelere nobiles* vocat.

v. 21 *ſqq.* Non ſolum audax is erat, ſed etiam impius, naturae leges pervertendo. Conſideranda haec ex priſcorum hominum ſimplicitate, qua ea fere, quae, paullo difficiliora adgreſſu, humanas vires paene excedere viderentur, quibusque ſe ſupra ſortem ſuam efferre conarentur, invitis Diis ſuscepta crederent, atque adeo iſtiusmodi conatus in vetitis haberent. Hinc et impedimenta a Diis ſapienti quodam conſilio obiici credita, quo minus ingenii humani ſollertia ad ea penetrare poſſet, quae maximo inſuper ipſis damno futura praevidiſſent. Sic aurum, quod omnium malorum ſemina contineret, *terra celabatur*, et *ſic melius erat ſitum* (III. 3. 94.) ad quod tamen *per hominum deorumque iras*, ut ait Seneca Nat. Quaeſt. V. extr. *itum eſt*. Eadem de cauſa maria hominibus praecluſa putabantur,

quum

Terras, ſi tamen inpiae
Non tangenda rates transſiliunt vada.

Audax

quum naves lucro tantum faciendo, luxui parando nutriendoque, bellisque ad externas regiones transferendis miseriisque adeo hominum augendis unice paratas viderent. Hinc graviter Seneca l. l. *Non eadem eſt his et illis cauſa ſolvendi: ſed iuſta nulli. Diverſis enim irritamentis ad tentandum iter impellimur. Vtique alicui vitio navigatur.* Atque hanc rationem ſecutus videtur h. l. poeta; nam, quae in contrariam partem recte disputari poſſunt, naturam nimirum ipſo mari interfuſo commercia hominum ſublevaſſe, *ventosque dediſſe* (Seneca l. l.) *ad ulteriora noſcenda, atque commoda cuiusque regionis fierent communia;* haec, inquam, ab eius conſilio perquam aliena erant. Fruſtra igitur *Deus*, vis illa divina, quae elementorum ordinem disponeret, et ſuum cuique locum adſignaret (Sic eſſerre ſolent veteres, in coſmogoniis deſcribendis, aliis aliam huic vocabulo notionem ſubiicientibus. Ovid. Met. I. 21. *Hanc* Deus, *et melior litem natura diremit.* et v. 32. *Sic ubi dispoſitam,* quisquis fuit ille Deorum, *congeriem ſecuit.*) — *abſcidit terras* a terris, diremit, ſeiunxit terras, interpoſito *Oceano*, mari. Ouweniſius V. Cl. Noct. Hag. I. 14. iungebat, *abſcidit t. Oceano*, h. *ab Oceano.* laudatis hanc in rem Ovid. Met. I. 22. *Nam caelo terras, et terris abſcidit undas.* et v. 25. *Diſociata locis concordi pace ligavit.* Sed in priore loco diverſa prorſus ratio eſt; nam ibi de elementis, quae adhuc confuſa erant, non disponendis, ſed tantum a ſe disiungendis agitur; in altero vero omnino contraria eius opinioni ineſt ſententia, nimirum, Deum lite iſta ſeu confuſione ſublata, pacem inter ea compoſuiſſe, h. alterum alteri adiunxiſſe etſi locis ſeiuncta. *Abſciſſum aequor animantibus* h. hominibus e noſtri loco poſuit Stat. Silv. III. 2. 61. *mundum diſſeptum* Seneca Med. 335. — *Oc. diſociabili*, docte pro, qui terras diſociaret, disiungeret, ſepararet, activo ſenſu, v. Geſner h. l. et Ouwenſ. l. l. Copia vero poetica adiectum puta hoc epitheton. v. Obſſ. — *Prudens*, prudenti conſilio, qui providiſſet, quanta inde in genus humanum mala redundatura fuiſſent. Eodem ſenſu Seneca l. l. *mundum* vocat *bene* h. bono ac prudenti conſilio *diſſeptum.* — 23. vel ſic tamen fines a Deo conſtitutos migrant homines, terrasque mari ſeiunctas navium commercio coniungunt. Hinc *rates inpiae* graviter, quae Dei conſilium pervertunt,

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas,
Audax Iapeti genus
Ignem

vertunt, et *vada*, maria *non tangenda*, quae iste tangi, h. navibus iniri, transiri vetuit. *Transsiliunt*, cum vi dictum, pro, traiiciunt, transeunt mare. Inest enim notio summae temeritatis atque audaciae, quae vel ipsis naturae illudat legibus. Ita *insultare fluctibus* Ovid. Met. I. 134. et ipsum nostri verbum adhibuit Iuvenal. XIV. 279. Apposite Sil. It. IV. 71. de Annibale, Alpes cum exercitu transgresso: *qui sacros*, quos adeo transgredi nefas erat, *montes rupesque profundas transsiluit*. cf. ad I. 18. 7.

v. 25. 26. Ea vero humani ingenii est indoles, ut non nisi vetita cum summo vitae periculo appetat. *Audax perpeti* graeca structura, pro, ad omnia *perpetienda*, h. suscipienda, quatenus ei, qui rem periculosam aggreditur, gravissima quaeque perferenda sunt. Eodem significatu Graecis adhibetur τλῆναι, veluti Eurip. Iphig. Taur. 862. τλῆναι τόλμαν, *audax facinus aggredi*. et Alc. 627. τλῆναι ἔργον et Orest. 376. τλῆναι κακά de perpetrato facinore. Idem usus τοῦ παθεῖν, v. Schol. Aristoph. nub. 234. ibique Kust. et Brunk. adde Klotz. ad Tyrt. p. 87. — *ruit per nefas*, nefanda aggreditur, scelesta perpetrat, sed illud gravius, propter adiunctam temeritatis notionem. Serm. I. 4. 30. de avaro: *per mala praeceps fertur*. Claudian. in Eutrop. II. 52. *ruit in vetitum damni secura libido*. Senec. Octav. 787. *agmina — efferata per nefas ingens ruunt*. Dictum vero *ruere per nefas*, Graecorum exemplo, ut βῆναι διὰ μόχθων, Eurip. Heracl. 625. *vetitum* per leges naturae; nam ideo est nefas. ad sententiam Seneca Nat. Quaest. IV. Praef. *Quis non in hoc magnitudinem ingenii sui concitavit, detestatus consensum humani generis, tendentis ad vitia?* adiecto Menandreo: *non singulos peccare, nec paucos, sed iam scelus esse contextum*.

v. 27 *sqq.* Praemissam sententiam generalem munit iam Horatius exemplis, eaque a mythis repetit, tanquam poeta. Primum ponit Promethei, ignem de caelo furantis, cumque hominibus communicantis. De ipsa fabula adi summum Heynium ad Apollod. I. 7. 1. p. 89. et Cel. Schütz. ad Aeschyl. Prom. Exc. I. — *genus Iapeti*, γένος Ἰαπετοῦ, filius Iapeti, Prometheus,

Ignem fraude mala gentibus intulit:
Post ignem aetheria domo
Subductum Macies et nova Febrium
Terris

methens, *audax*, πάντολμος, λεωργὸς, κακοῦργος Aeschyli de eodem. *ignem intulit gentibus*, hominibus tradidit, *mortalibus dividit*, Attii fr. de eodem. πυρὸς σέλας θνητοῖσι κλέψας ὤπασεν Aeschyl. Prom. v. 8. *Inferre*, ut Epist. II. 1. 157. *Graecia — artes intulit agresti Latio:* pro quo sollennius *inducere*, ut Virgil. Ecl. V. 30. *thiasos inducere Bacchi*, h. θιάσους s. τελετὰς εἰσάγειν Eurip. Bacch. 260. *fraude mala*, κακῇ τέχνῃ, fraudulenter, furto surreptum. Docte hoc poeta Promethei in furando igne vafritiem tangit. Male alii explicant: magno damno. Deberet saltem esse: damno hominibus exitioso. Sed hoc vv. sqq. demum subiicitur.

v. 29 — 33. Cum ignis usus multas artes produceret (Aeschyl. Prom. 252. πῦρ ἐγὼ σφιν ὤπασα, ἀφ' οὗ γε πολλὰς ἐκμαθήσονται τέχνας.) quae hominibus maximo et usui et damno essent; poeta pro consilio suo inventi huius abusum tantum commemorat, quo ignis ad artes, quae luxui inserviunt, adhibitus est, inprimis eas, quae in metallis elaborant, et coquinariam (Senec. Ep. XCV. *Innumerabiles esse morbos miraris? coquos numera*); unde ortae perniciosae cupiditates, miseriae, morbi, corporis mollities (Lucret. V. 1014. *Tum genus humanum primum mollescere coepit, ignis enim curavit, ut alsta corpora frigus non ita iam possent cueli sub tegmine ferre,*) bella, adeoque mors maturior. Quae adeo hominibus inde obtingebant calamitates, eas poeta, tanquam poenas, quae audax Promethei facinus ulciscerentur, hominibus immissas praeclaro phantasmate fingit. Pedestris oratio ita procedebat: Prometheus eo audaciae processit, ut ignem caelo subduceret, (nam in hoc audacia cernitur, non in inferendo illo gentibus) hominibusque traderet; quo facto macies caet. Sed docte posteriori commati Promethei furtum inseruit disertiusque exposuit poeta. *Post ignem subductum*, furto, clam subreptum *domo aetherea*, e caelo. Iam sequi debebat: morbis varii generis humanum genus affectum est. Sed istis poeta personam induit, illosque hostili animo terram occupare fingit, egregia pictura. Pro morbis vero, quod generalius erat, posuit specialiora, *Maciem*, tabem, omnibus fere morbis communem, et *Febrium cohortem;*

Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda necessitas
Leti conripuit gradum.

Exper-

hortem; quam etsi recte de multitudine (fere ut στρατὸς Pindaro saepius adhibetur) earumque adeo variis speciebus intelligere licet; malim tamen hic morbos tanquam exercitum, qui terram occupat, hominesque aggreditur, cogitare, phantasmate poeta digniori prae altero, quod artis medicae scriptorem febrium genera dispescentem magis decet. Ducit eo praeter v. *incubuit*, Iuvenalis X. 218. imitatio: *circumfilit* agmine facto *morborum omne genus*. Eadem Graecis iam imago frequentata est. Hesiod. Ἔργ. 102. Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ αὐτόματοι φοιτῶσι, κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι. et Aeschyl. Suppl. 692. Νούσων δ' ἐσμὸς ἀπ' ἀστῶν ἵζοι κράτους ἀτερπής. In Orci vestibulo eos collocat Virgil. Aen. VI. 275. — *terris incubuit*, ἐνέσκηψε, ἐνέπεσε, terras insedit, oppressit eas, cum dilectu, ad designandum impetum, multitudinem, et noxas. Nempe morbus impetum facit in corpus, aggreditur illud, (*advenientes morbos* etiam Cicero de Div. II. 29. Agath. c. LXXXI. (Anal. Br. III. 63.) v. 5. αἱ δὲ νόσοι πολλαὶ, καὶ ποικίλαι, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον ἐρχόμεναι θνητῶν) premit, incumbit in corpus, Aeschyl. Agam. 1010. νόσος γὰρ γείτων ὁμότοιχος ἐρείδει. Orph. Argon. 722. τοῦ μὲν δὴ κατὰ σῶμα λυγρὴ ἠρείσατο νοῦσος. Hinc illud *conflictari* dicitur morbo. De vitiis, animi morbis, Seneca ep. VII. *adeo nemo nostrum — ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest*. Alia ad hancce huius v. vim praeclare facientia habet Valken. ad Hippol. Eurip. v. 438.

v. 32. 33. Et homines, qui longissima antea gaudebant vita, nunc maturius moriuntur. Communis fere est omnium antiquitatis populorum de hominum vetustiorum longaevitate opinio, cuius ratio in vitae genere, victus simplicitate aliisque caussis quaerenda videtur. *Necessitas Leti*, μοῖρα, πότμος θανάτου, fatum, necessitas, quae leto nos subiecit, Ἀΐδου μέλαινα νυκτερός τ' ἀνάγκα, Eurip. Hippol. 1388. Hinc ἀνάγκην simpliciter dixit Antip. (Anal. Br. II. p. 22.) c. LIX. v. 5. Observa dilectum epithetorum. *Letum prius* quam ignis adminiculo artes inventae, novaque malorum instrumenta parata essent, *semotum* erat, remotum, longo intervallo aberat, adeoque e longinquo

Expertus vacuum Daedalus aëra
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est:
Caelum

ginquo adventabat. Eadem imago in Antiphili c. supra l. τηλόθεν, ὡς Ἀΐδης, πόντος ἀπεβλέπετο. Auget notionem longioris vitae epith. *tarda*, tardo gressu ad homines accedens. Nunc vero *corripuit gradum*, gressum acceleravit, citatiore gradu advenit. Lucan. Pharf. II. 100. *quantoque gradu Mors saeva cucurrit. Rapere gressum, viam, iter, campum*, item *corripere se* de festino gressu satis obviae apud poetas loquendi formae.

v. 34. 35. Daedali fabulam enarratam v. apud Virgil. Aen. VI. 14. Ovid. A. A. II. 21. et Met. VIII. 183. Sil. XII. 89. — *expertus aera*, in aerem evolavit, sed alterum doctius, quia primus hoc periculum fecit. — *Vacuum*, vastum, desertum, ἔρημον αἰθέρα, perpetuo aeris epitheto: unde *inane* pro aere post Lucretium plures habent. — *pennis*, alis, *non homini datis*, alienis, graviter; nam in hoc ipso temeritatis est ratio. Sil. l. l. 92. *aetherias aliena tollere in auras ausus se penna.*

v. 36. Quin ipsa infera loca Hercules, Cerberum extractus, adiit. *labor Herculeus*, Herculis robur, vis *perrupit Acheronta*, docte pro, Hercules vi sua, fortissimo conatu viam sibi fecit, penetravit *Acheronta*, loca infera. *Perrumpere* graviter de aditu, qui vi adhibita paratur. Virg. Aen. II. 494. *Fit via vi, rumpunt aditus.* Caeterum male, puto, hic comparant Graecorum βίη Ἡρακληείη. Cum hoc vero et antec. v. conveniunt illa Theodoridae (Analect. Br. II. p. 44.) c. XIII. Τόλμα καὶ εἰς Ἀΐδαν καὶ ἐς Οὐρανὸν ἄνδρα κομίζει.

v. 37 *sqq.* Summa indignatio poetae apparet in exitu carminis. *Nil* tam *arduum est*, supra humanam conditionem positum, quo non homines adspirent, quo non eniti cupiant, divinam sortem concupiscimus, uti e sqq. patet. Graviter adeo *mortalibus*, h. pusillis istis. — 38. *Ipsum* adeo *caelum petimus*, viam ad caelum molimur *stultitia*, stulti, temeraria nostra audacia; sed illud exquisitius, dum maiora cupimus, quam per conditionem mortalem adsequi licet. Sic *demens Salmoneus*, Iovis aemulus Virgil. Aen. VI.

Caelum ipſum petimus ſtultitia: neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

590. Cum efferimur ultra ſortem humanam, hoc antiquus ſermo ita effert: Deorum conditionem quaerimus, ad Deos viam affectamus, Deorum vitam expetimus. Sic de felicitate Deorum hominibus negata Pind. Pyth. 10. 42. ὁ χάλκεος οὐρανὸς οὔπω ἄμβατος αὐτοῖς. adde Iſthm. VII. 60. ibique Heyn. Propius ad noſtrum Rhianus (Anal. Br. I. p. 479. et in Ei. Gnomic. p. 131.) v. 10. ἐπιλήθεται οὕνεκα γαῖαν ποσσὶν ἐπιστείβει — ἀλλ' ὑπεροπλίῃ καὶ ἁμαρτωλῇσι νόοιο ἶσα Διὶ βρομέει — ἠέ τιν' ἀτραπιτὸν τεκμαίρεται Οὔλυμπόνδε, ὥς κε μετ' ἀθανάτοις ἐνορίθμιος εἰλαπινάζῃ. — 39. Atque ſic continuo provocamus iram Iovis, qui noſtram ὕβριν puniat. Ad ſententiam poetae adpoſite Valer. Flacc. I. 198. ubi Iaſon *illicitas tentaturus vias* maris Neptuni iram ſic deprecatur: *Sed non ſponte feror: nec nunc mihi iungere montes mens tumet, aut ſummo depoſcere fulmen Olympo. — nec patimur per noſtrum ſcelus*, propter impietatem noſtram, ut Iupiter aliquando *ponat* deponat *fulmina*. *Irata* dicuntur, quatenus ipſe iratus, dum ea iaculatur. Pindari Nem. 5. 90. ζάκοτον ἔγχος laudarunt iam alii. *Iratam aegida* ſimiliter dixit Claudian. de R. Proſ. III. 60. *Iratum Iovis ignem* Iuvenal. XIII. 226. *Iram Iovis* plures poetae latini fulmen dixere, ſecuti forte Aeſchyl. Prometh. 433. idem ἔρις Διὸς ſimiliter vocantem.

CAR-

CARMEN IV.

ARGVMENTVM.

Carmen hoc ex eorum est genere, quae descriptione expedita lectorem facile capiunt, eumque suavitate imaginum, ac sententiarum, quae sponte se obtulisse videntur, veritate morantur atque deliniunt. Est illud ad L. Sextium, qui in Bruti partibus fuerat, illius quaestor, et perpetuus comes, mox etiam, cum, Romam reversus, in Augusti amicitiam receptus esset, constans illius cultor atque laudator; quam amicitiae observantiam ac fidem ita ei honori duxit Augustus, ut, cum a. V. 731. consulatu se abdicasset, eum in locum suum sufficeret. v. Appian. Civ. IV. p. 619. Dio LIII. p. 518. Hinc in titulo carminis multi Codd. vocant Consulem et Consularem; sed utrum in illo Sextii consulatu, sive postea hoc carmen scriptum sit, incertum est. Neque magis exploratum habetur de cognomine, quod ei complures tribuunt, Quirini. Id constat, fuisse hominem nobilem ac divitem, Horatio inde a Brutianis temporibus coniunctissimum. Falsum esse praenomen Publii, a nonnullis ei datum, docet Fulv. Ursin. Famil. Rom. p. 244. v. Fabric. ad Dion. l. l. Iam ad ipsum carmen veniamus. — Ab ortu veris, cuius descriptio ad italicae regionis naturam atque ingenium praeclare attemperata est, progressus, eiusque suavitate atque laetitia, qua totam naturam perfudit, perfusus ipse atque exhilaratus poeta eosdem animi sensus in amicum suum transfundere conatur, eumque

ad

ad fruendas, quas vernum tempus secum ferat, delicias atque iucunditates, sedulo hortatur. Hinc naturali sententiarum ordine ad commune de vitae voluptatibus sectandis praeceptum deducitur, rationibus ab ipsius vitae brevitate, omnibusque proposita moriendi conditione, et quod post mortem nihil, quod gratum ac iucundum sit, amplius sperare liceat, desumtis. In argumento tam simplici a tractatione atque elocutione poetae inprimis laus quaerenda erat, eamque summam, unanimi Intpp. consensu suam hoc carmine fecit Horatius. Adeo polita atque elaborata sunt omnia, sive descriptionem veris regioni, qua vivebat, accommodatam, sive gravem ac vere lyricam sententiarum spectes elocutionem. Metrum quoque carminis argumento egregie convenit. Quo nomine inprimis mirari soleo v. 7 et 8. — Graecas notiones in eo plures deprehendas; unde graecum Horatio ante oculos fuisse exemplum non inepte coniicias. Ducunt eo, praeter exitum carminis, inprimis v. 7 et 8. qui forte a Siculo aliquo poeta, qui Aetnae aestuantis imaginem in veris descriptione memorasset, mutuati videntur. Fac vero haberi haec in exploratissimis; tanto maiori laudi ducendum Horatio puto ipsum hoc, quod graecas ideas, romanis intextis, tam miro artificio suas fecerit. Quam vana vero, atque a poeta lyrico aliena Sanadoni et Dacerii sit opinio, Horatium ad fastos romanos, qui initium veris d. V. Id. Febr. postridie Faunalia, et mox (a. d. XII. Cal. Mart.) Feralia haberent, studium suum in pangendo hoc carmine direxisse existimantium, facile intelligitur. Caeterum idem argumentum tractavit Horatius L. IV, 7. adde I, 7 et 9. II, 11 et 14.

AD

AD L. SEXTIVM.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favonî,
Trahuntque ſiccas machinae carinas.

Ae

v. 1. *Solvi*, laxari proprie dicitur gelu, glacies; item humus, per hiemem frigore adſtricta, ut mox v. 10. *terrae ſolutae*, ubi v. not. Docte hic ipſa *hiems ſolvitur*, quae reſolvitur, remittit ſe. Tibull. III, 5. 4. *quum ſe purpureo vere remittit hiems.* ubi apte laudant Lucan. I. 17. *bruma rigens, ac neſciu vere remitti.* adde Stat. Theb. IV, 1. *horrentem zephyris laxaverat annum Phoebus; horrentem annum* h. hiemem. — *Acris*, e natura frigoris, ut *acutum geld*, I, 9. 3. Iam ſequi debebat: *vere*, pro quo exquiſitius eſt *vice grata*, ſucceſſione *grati veris*, *et Favonii*, Zephyri, qui omnino in terris auſtralibus gratior eſt. *Veris comes* vocatur IV, 12. 1. Plin. H. N. II, 47. *Ver aperit navigantibus maria, cuius in principio Favonii hibernum molliunt caelum.*

v. 2. Vulgare erat: naves machinarum ope in mare trahuntur, deducuntur. Sed tribuit hanc deductionem poeta ipſis, quarum ope fiebat, machinis, quae eſt exquiſitior ac doctior ratio. *Trahunt* adeo, promovent, devolvunt *machinae*, h. l. φύλαγγες, cylindri ſubiecti; nam machina proprie de inſtrumento dicitur, quo aliquid loco ſuo movetur. *carinas*, naves *ſiccas*, quae per hiemem in ſicco ſteterant, in litus ſubductae, et trabibus conſtratis ſ. pulvino impoſitae. Graecis ἑρύειν, et ἕλκειν, καθέλκειν, uti Latinis *ſubducere* et *traiere* verba ſollennia hac de re. Attius apud Non. v. *anima* p. 112. a. *claſſes trahere in mare, et vela ventorum animae immittere*, laudante Lambin. Utrumque fiebat vectibus, ſeu cylindris, navi ita ſuppoſitis, ut, ſi in mare deducenda eſſet, tenuior craſſiorem exciperet, contra, ſi in litus ſubducenda, craſſior tenuiorem ſequeretur. Loca claſſica hac de re apud Apollon. Rh. I, 371. et Orph. Argon. 237. cf. Pollux. Onom. VII, 190. Gronov. ad Plaut. Caſ. III. 2. 27. et Morum ad Caeſ. B. C. II, 10. Caeterum ſolennis fere, in deſcriptione veris, maris, per hiemem procelloſi, nunc pacati, navigationisque adeo inſtauratae apud

poetas

Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.

Iam

poetas mentio. vid. Anacr. XXXVII, 3. Meleag. in Ver, v. 9. et 21. Antipat. Sid. c. XXXVII. (Anal. Brunk. T. II. p. 16.) et, qui propius ad hunc locum spectat, Silentiarius c. XVII. (Anal. Br. III, 89.) cuius initium ideo huc transferam: Ἤδη μὲν ζεφύροισι μεμυκότα κόλπον ἀνοίγει εἴαρος εὐλείμων θελξινόου χάριν· ἄρτι δὲ δουρατέοισιν ἐτωλίσθησε κυλίνδροις ὁλκὰς ἀπ' ἠόνων ἐς βυθὸν ἐλκομένη. adde IV, 12. init.

v. 3 sqq. Suavis rei imago: pecus iam pascua repetit, agriculturam arator. Prosaicum erat: neque iam aut stab. gaud. pec. aut a. i. nec pr. Prius *aut* omissum, more Horatiano. v. I, 3. 16. I, 6. 19. *Pecus non gaudet stab.*, fastidit iam stabula, quibus per longam hiemem inclusum fuerat, gestit ea relinquere. *aut arator*, agricola, *igni*, foco, ad quem hiemale tempus egerat.

v. 4. *Prata albicant*, albent, tecta sunt *pruinis*. *Canis*, πολιοῖς, ornat, ut Ovid. Her. V, 16. Claudian. de R. P. III. 232. *cum rore serenus albet ager*. Hinc ipsa hiems Musaeo v. 293. χείμα παχνῆεν dicta.

v. 5. Cum antea hominum studia, vere redeunte excitata atque instaurata, memorasset, iam ipsam veris amoenitatem, eiusque delicias suavissima imagine per Veneris choreas, cum Gratiis ac Nymphis ad lunam agitatas, declarat. Nimirum cum antiquiores homines mores vitaeque instituta ad Deorum vitam transferrent, (v. Heyn. ad Virg. Aen. I, 499. Exc. XX.) ratio in promtu est, cur et choreas in Deorum coetum induxerint. Iam cum in saltatione corporis concinnitas membrorumque decor inprimis spectetur; ea fere numina, quibus perpetua iuventa aut insignis attributa esset pulchritudo, choris admoverunt. Potiora fere comprehendit splendidissimus Homeri locus H. in Apoll. v. 194 sqq. αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι Χάριτες καὶ ἐύφρονες Ὧραι, Ἁρμονίη θ' Ἥβη τε Διὸς θυγάτηρ τ' Ἀφροδίτη ὀρχεῦντ' ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχουσαι. et fragm. Callimachi (in Bentlei. CXVI.) Ἔνεστ' Ἀπόλλων τῷ χορῷ, τῆς λύρης ἀκούω· καὶ τῶν Ἐρώτων ἡσθόμην, ἔστι κ' Ἀφροδίτα. Occurrunt adeo Apollo, Bacchus, Diana, Venus, Amores, inprimis Gratiae (Pind. Ol. ιδ. 10. οὔτε γὰρ θεοὶ σεμνᾶν Χαρίτων ἄτερ ποιρα-

Iam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna:
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes Alter-

κοιρανέοντι χορούς) et Nymphae saltantes. v. Hom. H. in Pan. 19. Hesiod. Scut. H. 201 sqq. Theocr. XIII, 43. Apollon. Rh. I, 1222. Coluth. R. H. v. 5. Propert. I, 20. 46. Deos vero in solitudine errare, noctuque terras obire, (*μακάρων τοι νύκτες ἔασιν* iuxta Hesiod. Ἔργ. 730. adde eiusdem Theog. v. 10. Stat. Silv. I, 1. 95. *sub nocte silenti, cum superis terrena placent*, unde nox ipsa poetis sacra) inprimis vero Venerem sub veris adventum terram invisere, (Lucret. V, 736. *It Ver, et Venus, et Veneris praenuntius ante pinnatus graditur Zephyrus vestigia propter*) et cuncta vi sua procreatrici implere (Pervig. Ven. v. 63 — 67. e rec. Cel. Wernsdorf. in Poett. min. T. III, p. 477.) cum veterum sibi persuasum haberet religio; doote hanc opinionem in rem suam vertit Horatius, suavissimoque hoc phantasmate egregie exornavit, ac nobilitavit. Easdem Deas simili in argumento, Nostrum forte secutus, coniunxit Auctor Pervig. Ven. v. 50. 53 sqq. Nec inferiore suavitate in declaranda veris hilaritate Bacchi choreas induxisse censendus est Meleag. c. II. (ed. Cl. Manso.) Καὶ ναῦται πλώουσι, Διώνυσος δὲ χορεύει. Iam Anacr. V, 9. ᾠδὰ παῖς ὁ τῆς Κυθήρης στέφεται καλοῖς ἰούλοις Χαρίτεσσι συγχορεύων. — *Venus Cytherea* Ἀφροδίτη Κυθήρεια v. Obss. *choros ducit*, ἡγεῖται, ἐξάρχει χορούς, tanquam χορηγός, ut de Diana Hom. H. in eandem v. 17. 18. et inde Virg. Aen. I. 499. *exercet Diana choros.* — *imminente Luna*, desuper lucente, adeoque nocte serena. Eadem imago chori nocturni apud Apollon. Rh. I, 1231. πρὸς γὰρ εἰ διχόμηνις ἀπ' αἰθέρος αὐγάζουσα βάλλε σελήνη.

v. 6. Vulgari modo oratio ita procederet: Venus choreas agit, saltat cum Gratiis ac Nymphis; sed extulit eam per duo membra, novoque alterum ornatu instruxit. — *Gratiae decentes* cum dilectu. Nam *decor* proprie dicitur de incessu, ad elegantiam composito (nota illa Tibulli: *illam, quicquid agit, quoquo vestigia movit, componit furtim subsequiturque decor.*) concinnoque membrorum motu, in saltatione inprimis conspicuo. IV, 3. 17. et II, 12. 17. *quam nec ferre pedem dedecuit choris*, quibuscum contende Euripidea Electr. 859. Θὶς εἰς χορὸν ἔχνος, πήδημα κουφίζουσα σὺν φίγλαΐᾳ.

Alterno terram quatiunt pede; dum graves Cyclopum
Vulca-

ἀγλαΐᾳ. Caeterum de consortio Veneris cum Gratiis primae lineae iam apparent in Homer. Od. σ', 193. — *iunctae N.* manibus invicem nexis, ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχουσαι, ut Homer. H. in Ap. l. l. — *quatiunt*, pulsant, feriunt *terram, pede alterno*, alternatim, e rhythmi lege, nunc molliter nunc gravius impresso. Callim. H. in Del. 306. αἱ δὲ ποδὶ πλήσσουσι χορήτιδες ἀσφαλὲς οὖδας. cf. IV, 1. 27. Sil. It. III, 347. *Nunc pedis alterno percussa verbere terra ad numerum resonas gaudentem plaudere castras.*

v. 7. Vulcanum operi intentum inter signa veris a poeta memorari, mirationem sane facere possit, nisi cogites, imaginem hanc poetae esse secundariam, eiusque adeo originem ab altera repetendam. Veneris enim choros cogitanti poetae facile succurrebat Vulcani, Veneris mariti, in officina laborantis, idea. Cuiusmodi idearum nexus in Horatio saepius deprehendas. Sic I, 12. init. Haemo memorato, poeta statim in Orphei Thracii laudes digreditur. Accedit et alia ratio, magnam veritatis prae se ferens speciem, Horatium nempe in adornando toto hoc loco respexisse aliquem poetam Siculum, qui Veneris choreas sub radicibus Aetnae collocasset. Praeterea, cum Venus Siculis inter Deos ἐγχωρίους culta fuerit, et regio circa Aetnam in amoenissimis et olim habita fuerit, et nunc habeatur; haec sane digna fuit, cui poetae Veneris choreas adsignarent. Forte de iisdem Veneris choreis intelligendus est versus veteris poetae apud Mar. Victorinum A. Gr. L. II. p. 2542. Putsch. *Vocat Aetnae super altum caput acres choreas.* De Aetna certe, Vulcani officina, quin hic cogitari debeat, vix dubitandum videtur. Cuius eiectata noctu flamma cum insignis ad adspectum sit (etiam Plin. III, 8. 14. *mons Aetna nocturnis mirus incendiis.* adde Hamiltoni Camp. Phlegr. tab. XXXVIII. eandem Vesuvii nocturnam faciem repraesentantem) praeclare poeta hac imagine ad exornandum hunc locum usus est, ut tanto maior fit alterius suavitas ex opposito. Haec si cogites, non adeo mirum videbitur, Vulcani operam post Veneris choreas hic commemorari, imo, si quid iudico, in artificiosissimis hunc locum reponi debere arbitror. Iam expende verborum ornatum. *Vulcanus ardens* potest esse, qui operi insudat, qui, nimio studio inflammatus, opus exerget, qualem fere deprehendit

Vulcanus ardens urit officinas.

Nunc

hendit Thetis Homerica Il. σ'. 372. ἱδρώοντα, ἑλισσόμενον περὶ φύσας, σπεύδοντα. Hoc tamen nimis vulgare esset. Possit etiam epitheton ab ignis natura ad Deum, cuius est symbolum, translatum videri; a qua personae cum adtributo confusione vel optimi scriptores, utriusque linguae, possent notari. Sic recte in Hesiod. Theog. 106. Vranum ἀστερόεντα, in Homer. Il. ξ'. 245. Ὠκεανοῦ ῥεῖθρα et in Senec. Hippol. 309. *Dianam claram* reprehendas. Eadem notione infra III. 4. 58. *Vulcanum avidum* accipiebat Gesnerus. Ipsum v. *urit* huic opinioni hic suffragari videtur. Enimvero, si hoc admittendum censeas, de tota huius loci venustate, igne post Venerem et Cyclopum officinas memorato, omnino actum est. Contra vero, si, quae tertia est ratio, *Vulcanum ardentem* flammis relucentem, ab igne rubentem accipias, vis ac vigor suus huic loco redit. Quo sensu Statio Silv. III. 1. 33. *Mulciber* dicitur *flammeus*, et Silv. I. 5. 8. *Siculu incude rubens.* Supra I. 2. 2. Iovis *dextra rubens*, sc. fulmine. Virg. Aen. VII. 142. *nubes lucis radiis et auro ardens.* Stat. Theb. III. 507. aquila dicitur *ardens vector fulminis.* et Val. Fl. I. 346. Iason *ardens humeros rapto vellere.* Eodem sensu Euripid. Hippol. 1279. γᾶ dicitur αἰθομένα, solis radiis collustrata, uti recte Valken. statuit, et Phoeniss. 258. ἀσπίδων νέφος φλέγει, unde *clypeos ardentes* Virgil. Aen. II. 734. — *urit officinas*, facit, ut totae flammis colluceant. Proprie officina lucet igni; iam ea, quae igne collustrantur, poetis uri dicuntur. Plane ita Ovid. Fast. IV. 473. *Antraque Cyclopum positis exusta caminis.* Stat. Silv. I. 5. 33. *neu vilis flamma caminos* sc. Vulcani *ureret.* Item sic dicitur Virg. Aen. III. 279. *incendere aras.* Ovid. Met. III. 691. *accendere aras*, plane ut Aeschyl. Agam. 91. βωμοὶ δώροισι φλέγονται. Maxime vero hnc facit fragm. Sophocl. e Ῥιζοτόμοις, servatum a Schol. Apollon. Rh. II. 1213. (Valken. Diatr. Eurip. p. 167. et apud Brunk. fragm. Sophocl. p. 648.) Ἥλιε δέσποτα καὶ πῦρ ἱερὸν, τῆς εἰνοδίας Ἑκάτης ἔγχος, τῷ δ' Ὀλύμπου πολλὴ φέρεται καὶ γῆς, καίουσ' urens, collustrans igne, ἱεραῖς τριόδους. Suaviter hinc Martialis VII. 27. 6. de igne maiori: *flagret et excisa festa culina iugo.* Vtrumque adeo, *ardens* et *urit* satis graphice atque docte; licet, obscuritatem quandam ambiguam his ipsis huic loco inferri, negari omnino nequeat. — *officinas Cyclopum*

 Ἡφαί-

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terrae quem ferunt ſolutae.
Nunc et in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu

Ἡφαίστοιο κάμινους, Callimach. in fragm. Bentl. n. 129. *graves*, epitheto, a duris ferri ſubigendi laboribus ad officinam translato.

v. 9 *ſqq.* Iam ad verni temporis laetitiam, quae per naturam diffuſa eſt, ac ſuavitatem hortatur poeta, rationibus ab ipſius vitae brevitate, mortisque adeo neceſſitate, quae et omnes maneat, quaeque iis omnibus, quae in hac vita nobis iucunda fuerint, certiſſimum finem imponat, deductis. *Nunc decet* per anni tempus, ipſo vere admonente. Suaviter id mox repetitum. *Aut* myrto, *aut* flore, more Horatiano, pro ſimplici, myrto ac flore. v. ad I. 1. 21. — *nitidum caput*, comam, unguentis delibutam, λιπαρὰν ἔθειραν, Callimach. ep. L. 4. ſeu potius Simonid. LXXVI. (Anal. Br. I. 141.) — *impedire* exquiſite pro vincire, coronare. Stat. Silv. IV. 3. 67. *Crinem mollibus impeditus* ulvis. *myrto*, Veneri ſacra, et compotationibus inprimis adhibita. v. I. 38. 5. II. 7. 25. adde Eurip. Alc. 762. Electr. 778. *aut flore*, floribus, quos *ferunt terrae ſolutae*, terra, verni ſolis calore emollita ac reſoluta, adeoque novis, recentibus. *terra ſolvitur* ut Virgil. Ge. I. 44. *Zephyro putris ſe gleba reſolvit. terra patens* Ovid. Faſt. IV. 87. *Ver aperit tunc omnia, denſaque cedit frigoris aſperitas, foetaque terra patet.* Caeterum ad exprimendam veris hilarius agendi omninoque profuſioris laetitiae notionem praeclare colores deſumſit poeta a comiſſationibus, in quibus convivae floribus rediniti discumberent. cf. II. 11. 14 — 17. IV. 1. 31. adde Anacr. IV. 14. 15. V. 15. VI. 1. XV. 5.

v. 11. 12. Eadem fere, ſed paulo auguſtiori ſpecie, ad ver, omninoque vitam hilarius transigendam, genioque epulis ac compotationibus indulgendum, a ſacris quippe, Fauno faciundis, deſumta exhortatio. Quam niſi primariam horum vv. notionem conſtituas, ſententiarum nexum cum ſequentibus vix inventias. Incidebant Romanorum Faunalia in Id. Febr. (Ovid. Faſt. II. 193.) eaque profuſiori, uti

Seu poſcat agna, ſive malit haedo.
Pallida Mors aequo pulſat pede pauperum tabernas,
Regum-

uti omnino Deorum agreſtium ſacra, hilaritate celebrabantur. De eiusmodi ſacris Tibulli quoque locus intelligendus, I. 10. 51. *Ruſticus e lucoque vehit male ſobrius ipſe uxorem plauſtro progeniemque domum*, monente iam Ill. Heynio. — *Nunc decet Fauno immolare agnam* ſ. *agna* proſaicus ſcriptor dixiſſet; ſed disiunguntur haec copia poetica *ſeu poſcat a. ſive malit h.* — *in lucis*, ubi ſacra Diis agreſtibus, inprimis nemoralibus, fiebant. v. Tibull. l. l. — *umbroſis*, quibus cum vere frondes redierunt. — *ſeu poſcat*, nempe ſacrificia Diis omnino (non tantum ea, quae ex voto fiebant,) tanquam iis debita offerebantur: in his maxime primitiae rerum, quarum curam ac cuſtodiam (uti e. g. Faunus gregis) Dii haberent. Apte ad ſenſum et orationis colorem Antipat. ep. XXVIII. (Anal. Br. II. 13.) *εὔκολος Ἑρμαίας, ὦ ποιμένες, ἔν τε γάλακτι χαίρων, καὶ δρυΐνῳ σπενδόμενος μέλιτι· ἀλλ' οὐχ Ἡρακλῆς· ἕνα δὲ κτίλον ἢ πακχὺν ἄρνα αἰτεῖ, καὶ πάντως ἓν θύος ἐκλέγεται.* — *agna* ſc. ſacrum ſibi fieri, ſibi immolari. v. Obſſ.

v. 13. 14. Sententiam de morte, quae ad omnes pertineat, tritam illam ac vulgarem, praeclaro ac vere lyrico ornatu inſtruxit poeta. *Pallida*, communi rebus inferis epitheto, *Mors* tanquam *Δαίμων pulſat pede*, graviter pro adit, intrat, pedem infert, adiuncta ferociae notione. Vulgo intelligunt mortem, fores pulſantem, foribus pede inſultantem, indigna Horatio idea; et *pulſare* recte de acceſſu dicitur. Stat. Achill. I. 10. *neque enim Aonium nemus advena pulſo*, h. accedo, intro; quod patet ex imitatione Auctoris (quem Olympium Nemeſianum acute vidit Wernsdorf. in Poett. min. T. I. p. 275 ſqq.) Laud. Herc. v. 6. *namque tuam non nunc novus advena turbam ingredior.* Neque quisquam controverſiam moviſſet h. l., ſi pro doctiori, Mors pulſat *tabernas*, vulgarius M. p. *limina tabernarum* poſuiſſet Horatius. Simili notione Senectus *θνητῶν δώματα καὶ πόλεις ἐλθεῖν* dicitur Euripid. Herc. fur. 651. cf. Tibull. III. 5. 16. — *aequo* pede — regumque turres, pro vulgari: intrat *aeque* tabernas pauperum *ac* regum turres, nullo habito discrimine. Sic II. 18. 32. *aequa tellus pauperi recluditur, regumque pueris*, h. *aeque* pauperi *ac* reg. pueris. *Tabernae*

Regumque turres. O beate Sexti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

Iam

h. l. tuguria, casae humiles pauperum, quibus opponuntur *turres*, aedificia altiora ac magnificentiora (v. Verheyk. ad Antonin. Lib. c. XIV.) *regum*, divitum ac nobilium, ut saepe. Est adeo: Omnes, tam divites, quam pauperes, morti sunt obnoxii. Eandem sententiam, eadem distributione expositam, vide II. 3. extr. 14. 11. et 18. 32.

v. 14. 15. Fruere adeo, o Sexti, vitae deliciis, iisque bonis, quae fortuna tibi largita est (en totum hoc unico *beato* inclusum!) neque crastino fide. Vitae enim brevitas spes tuas in angustum contrahere iubet. Prius comma tanquam poeta omisit. *Summa brevis*, brevitas *vitae*, paucorum dierum numerus. *Angustae vitae brevissimam portionem* eodem modo vocat Iuven. IX. 127. et Senec. ep. XLIX. Infra IV. 7. 17. *quis scit, an adiiciant hodiernae crastina summae tempora Di superi? — vetat inchoare*, instituere, concipere, alere *spem longam*, in longinquum porrectam, i. e. spem vitae longae, rerumque adhuc moliendarum atque perficiendarum. — *Inchoare* egregie hic depingit humanae naturae indolem ac levitatem, quae novas quotidie spes vitae sumit, multaque, quae aliquando ad exitum perducat, sibi proponit. Praeclare in hanc rem Seneca, Nostri locum forte in animo habens, Ep. XIII. extr. *Inter caetera mala, hoc quoque stultitia habet proprium, semper incipit vivere. Considera, quid vox ista significet; et intelliges, quam foeda sit hominum levitas, quotidie nova vitae fundamenta ponentium, novas spes etiam in exitu inchoantium.* Idem ep. XXIII. in fin. refert hoc Epicuri dogma: *Molestum est, semper vitam inchoare, aut, si hoc modo magis sensus potest exprimi: male vivunt, qui semper vivere incipiunt.* Denique ep. CI. init. *quam stultum est aetatem disponere? ne crastino quidem dominamur. O quanta dementia est, spes longas inchoantium!* — *Spem longam* eodem sensu et graeci poetae adhibuerunt. Plato c. XXII. (Anal. Br. I. 173.) σοὶ δὲ — δαίμονες εὐρείας ἐλπίδας ἐξέχεαν. Macedonius ep. XXXIX. 4. (Anal. Br. III. 122.) βροτὸς δ' εὖ οἶδα καὶ αὐτὸς θνητὸς ἐών· δολιχαῖς δ' ἐλπίσι παιζόμενος. Sic Ἀίδας μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας occurrit in fragm. apud Diod. XVI. 92. Ad sententiam totius loci cf. I. 11. 7.

Iam te premet nox, fabulaeque Manes,
Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,
Nec

v. 16. *Iam te*, vel in aetatis adhuc vigore constitutum, nisi potius: brevi ista dierum summula praeterlapsa. — *nox* infera, nam caligo propria rebus inferis; *premet* exquisite de nocte, s. caligine, quae *incubat* (Virgil. Aen. I. 89.) *urget* (Noster I. 22. 10.) adeoque *premit*. Val. Flacc. I. 617. *piceoque premit nox omnia ponto*. Nostrum forte respexit Ovid. Heroid. X. 112. *Crudeles somni, quid me tenuistis inertem*, at semel (f. *aut simul*) *aeterna nocte premenda fui*. *Premet* adeo, circumdabit te nox, h. versaberis in *regione*, ut Seneca ep. 82. ait, *perpetua nocte oppressa*. Virgil. Aen. VI. 828. *Concordes animae nunc, et dum nocte premuntur*. Nam illam imaginem, qua oculi nocte s. in aeternam noctem claudi dicuntur, huc pertinere non puto. Quod si hanc generaliorem τοῦ *premere*, qua sit *circumdare*, *cingere*, *ambire*, notionem hic constituas, recte etiam seq. accommodari poterit; neque adeo opus erit zeugmatis figura, qua alias, quae *manibus* et *domui Plutoniae* magis conveniant, verbo isti notiones substituas. — *Et manes* te prement, umbrae te circumdabunt, eris inter umbras, ipse umbra. Manes dicuntur *fabulae*, tot fabulis famosi, de quibus, omninoque de rebus inferis tam miras narrationes, μύθους, priscorum hominum confinxit opinio, et poetarum inprimis exornavere ingenia, τὰ μυθώδη, ut Lucianus in Necyom. §. 14. de rebus inferis ait. Idem in Dial. Mort. XX. κόνις πάντα καὶ λῆρος πολὺς (fere ut Pers. V. 152. *cinis et manes et fabula fies*.) Euripid. Hippol. 197. eadem de re: μύθοις δ' ἄλλως φερόμεσθα. Apposite quoque Callimach. ep. XIV. 3. ὦ Χαρίδα, τί τὰ ἐνέρθε; πολὺ σκότος· αἱ δ' ἄνοδοι τί; ψεῦδος· ὁ δὲ Πλούτων; μῦθος· ἀπωλόμεθα. Seneca Ep. 82. *multa de illa credimus, multorum ingeniis certatum est, ad augendam eius infamiam. Descriptus est carcer infernus* etc. adde Martial. X. 5. 17. Senec. Troad. 465 sqq. Antholog. lat. Burm. T. II. p. 472. ep. 219. v. 10. et Lucilii Iun. Aetnam v. 75 sqq. ibique Wernsd. (Poett. min. T. IV. P. I. p. 103.) Sic *tragicae Erinnyes* Propert. II. 16. 29. non sunt, quas Tragici finxerunt, sed quae ab iis saepius ad partes vocatae, et in scenam productae sunt. Sic Iuvenali XII. 23. *tempestas* dicitur *poetica*, qualem fere poetae describunt, re nimirum in maius aucta.

v. 17. *Et domus Plutonia*, regnum Plutonis, δῶμ' Ἀΐδαο, ut saepe de locis inferis poetae.

Nec regna vini ſortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
Nunc

v. Santenium V. Cl. ad Propert. IV. 11. 8. — *exilis*, in qua umbrae exiles, tenues (Virgil. Ge. IV. 472. *Vmbrae ibant tenues*, et Aen. VI. 293. *tenues ſine corpore vitas.*) et leves (*levem umbrarum turbam* habes I. 10. 18. Ovid. Met. X. 14. *leves populos, ſimulacraque functa ſepulcris.* Valer. Flacc. I. 783. *neque enim ante leves niger avehit umbras portitor.*) verſantur, νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα Homer. Od. κ'. 251. Lucian. Dial. Mort. XX. 2. νέκυες ἀμαυροὶ Sappho c. XI. infra laudando. Bentl. *domum exilem* interpretatur inopem, egenam, ubi nihil reperies, quo bene ſit, laudato in hanc rem Horat. Ep. I. 6. 45. *Exilis domus eſt, ubi non et multa ſuperſunt. — quo ſimul meuris*, quo ubi deſcenderis, perveneris, noto phantasmate. Alcaeus c. XIX. 8. (Anal. Br. I. 491.) εὖτε σιδηρείην οἶμον ἔβης Ἀΐδεω. Leonid. Tarent. c. LXIII. (Anal. Br. I. 236.) et Catull. III. 11. *iter tenebricoſum.* v. ibi Doering. V. Cl. et Burman. ad Prop. II. 20. 74.

v. 18. Omnibus iis, quae hic vitam beatam atque iucundam efficiunt, carebis. Ex his commemorat compotationes atque amores. Eandem ſententiam comice ſic expreſſit Philetaerus (in Grot. Excerpt. p. 875.) οὐ γὰρ θανών γε δήποτ' ἔγχελυν φάγοις, οὐδ' ἐν νεκροῖσι πέπτωκας γαμήλιος. Non *ſortiere*, ſorte tibi obvenient, nimirum *talis*, talorum iactu, *regna* ſ. magiſterium, arbitrium, *vini*, compotationis, h. e. non moderaberis ibi tanquam rex ſ. magiſter bibendi convivia, non ibi convivia celebrabis. Reſpicit poeta ſollennem Romanorum morem, in conviviis ſibi regem, qui bibendi leges ediceret, talorum iactu eligentium. Plaut. Stich. V. 4. 20. *ſtrategum te facio huic convivio.* v. Lipſ. ad ei. Perſ. V. 1. 18. cf. II. 7. 25. Nonnulli, Luiſinum (Parerg. III. 38.) ſecuti, iungunt *vini talis*, τοίου, tam boni, tam generoſi, quaſi inter pocula res agatur. Enimvero, quod Bentl. iam monuit, *regnum vini* recte quidem dicitur, non item *regnum vini talis*, et acumen omnino languet.

v. 19. Neque eius, quem nunc amas, tibi tum copia erit, amore Lycidae amplius frui non licebit. — *non mirabere*, amabis, habebis ibi *Lycidan tenerum*, ἁπαλόν, pulchrum, delicias nunc tuas. Nomen, hoc quin ab Horatio fictum ſit, et ipſa

Nunc omnis, et mox virgines tepebunt.

ipsa res clamat, et ipsum hoc, tanquam amasii nomen, occurrit in Bione IV. 10. ἢν δ' αὖτ' ἐς τὸν Ἔρωτα καὶ ἐς Λυκίδαν τι μελίσδω. *Mirari*, ut θαυμάζειν, eleganter de amore, ex admirabilis formae adspectu orto. Sic V. 3. 10. *praeter omnes candidum Medea mirata est ducem.* cf. IV. 9. 15. Potest et simpliciter hic esse: non ibi Lycidae pulchritudinem miraberis, πάντα γὰρ ἴσα καὶ ὁμόχρωα, καὶ οὐδὲν οὔτε καλὸν, οὔτε κάλλιον, quod Lucian. in Catapl. §. 22. de umbris refert. Idem suaviter in Dial. Mort. I. §. 3. παρ' ἡμῖν (apud Inferos) οὔτε ἡ ξανθὴ κόμη, οὔτε τὰ χαροπὰ, ἢ μέλανα ὄμματα, ἢ ἐρύθημα ἐπὶ τοῦ προσώπου ἔτι ἐστίν. Prior tamen ratio reliquis magis consentanea videtur. — *quo calet iuv.* qui nunc, puer, iuvenum animos amore incendit, et mox, adultior factus, puellas non leviter commovebit. Ad declarandam eximiam Lycidae pulchritudinem addita haec pita a poeta. *Calere* et *tepere* de amore, ut ἐνθάλπεσθαι ἔρωτι, καίεσθαι ὑπ' ἔρωτος et sim. in vulgus notum; quanquam *tepere* alias de amore frigescente, ut Ovid. Amor. II. 2. 53. v. Wernsd. Poett. min. T. II. p. 177. Caeterum ad sententiam horum vv. comparasse invabit Asclepiadae c. XXI. (Anal. Br. I. p. 215.) φείδῃ παρθενίης· καὶ τί πλέον; οὐ γὰρ ἐς Ἅιδην ἐλθοῦσ' εὑρήσεις τὸν φιλέοντα, κόρη. ἐν ζωοῖσι τὰ τερπνὰ τὰ Κύπριδος· ἐν δ' Ἀχέροντι ὀστέα καὶ σποδιὴ, παρθένε, πεσόμεθα. Strato c. XCVI. (Anal. Br. T. II. p. 381.) Καὶ πίνε νῦν, καὶ ἔρα, Δαμόκρατες, οὐ γὰρ ἐς αἰεὶ πιόμεθ', οὐδ' αἰεὶ παισὶ συνεσσόμεθα. καὶ στεφάνοις κεφαλὰς πυκασώμεθα, καὶ μυρίσωμεν αὐτοὺς, πρὶν τύμβοις ταῦτα φέρειν ἑτέρους. Idem sententiarum nexus in elegia, quae in Theognideis v. 951. (Gnom. Br. p. 39.) habetur: οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὃν ἐπεί ποτε γαῖα καλύψει, τίς τ' ἔρεβος καταβῇ, δῶμά τε Περσεφόνης, τέρπεται, οὔτε λύρης, οὔτ' αὐλητῆρος ἀκούων, οὔτε Διωνύσου δῶρ' ἐσαειράμενος. Ταῦτ' ἐσορῶν κραδίῃ εὖ πείσομαι, ὄφρα τ' ἐλαφρὰ γούνατα καὶ κεφαλὴν ἀτρομέων προφέρω. Laudant et Sapphus c. XI. (Anal. Br. I. 57.) ita numeris suis restituendum:

Κατθανοῖσα δὲ κείσεαί ποτε, καὶ μναμοσύνα σέθεν
Ἔσσετ' οὐδέποκ' αὖ ὕστερον· οὐ γὰρ πεδέχεις ῥόδων
Τῶν ἐκ Πιερίας· ἀλλ' ἀφανὴς κῆν Ἀΐδα δόμοις
Φοιτάσεις . . . . . οὐδέ σε
Βλέψει πάις ποτ' ἀμαυρῶν νεκύων ἐκπεποταμένων.

CARMEN V.

ARGVMENTVM.

Pyrrha, sive verum id nomen, sive fictum sit, fuit haud dubie libertina aliqua, aut peregrina, quales complures Romae erant, multae nobili genere ortae, et liberaliter educatae, elegantia etiam atque ingenio, saepe et scientia artium, inprimis poëseos et musices, excellentes: cuius rei plura in Horatio exempla sunt. Igitur et delicias in amore tales Romae facere solebant, et amatores habere plurimos, nobilissimos subinde viros; cum ingenuas tentare, aut in amorem pellicere, palam certe, nefas et periculosum esset. Quum igitur Pyrrham, cuius amore ipse aliquamdiu irretitus fuerat, decenter comtam, eleganterque cultam Horatius videret, novo eam amatori, quem hisce amoris illecebris inescare cuperet, hoc dare, ex illius animi levitate facile suspicatur. Memor igitur perfidiae, quam ipse olim expertus fuisset, eandem isti iuveni, qui de fide puellae minime dubitaret, sortem praedicit. Persequitur hoc suavissima allegoria, a mari, soluta navis anchora, placidissimo, mox, eadem altius provecta, turbidissimo, desunita. Se eodem naufragio deprehensum; ex eo tamen satis salvum evasisse.

AD

AD PYRRHAM.

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urguet odoribus

Grato,

v. 1—4. Exordium minus acerbum quam I. 8. Quaerit tantum Horatius, quemnam invenum Pyrrha nunc in sui amorem pellexerit: etsi in his iam tacita perfidiae eius, atque inconstantiae inest obiurgatio. *Puer*, iuvenis, qui adeo primum amare occepit, puellarum perfidiam nondum expertus, seque adeo tuo amore felicissimum putans, *gracilis*, ῥαδινὸς, ἁπαλὸς, gracili, tenui corpore, adeoque delicatus, mollis, pulcher. Notum Terentii Eunuch. II. 3. 22. Sic *Ganymedem gracilem* vocat Martial. XI. 44. 1. *urget* premit *te*, arctiore amplexu te constringit, adeoque perdite te amat. De Maratho Tibull. I. 8. 36. *Dum tumet, et teneros conserit usque sinus.* Potest et esse, instat tibi, sectatur te, amorem tuum unice expetit; quo simul fastidium et superbiam Pyrrhae, qua puerum magis incenderet, poeta innueret. Propert. IV. 3. 12. *quum rudis urgenti brachia victa dedi.* Prius tamen malim propter adiecta, *in rosa*, et *sub antro*. *Te* reclinem, cubantem *in rosa*, in rosis, quibus humus constrata est. *In odoribus iacere* simili modo dixit Seneca Ep. LXXXII. et *in rosa iacere* idem Ep. XXXVI. Possis et iungere: *puer in rosa*, h. rosis redimitus, quae doctior esset ratio, Graecis non infrequens. Eurip. Herc. fur. 677. εἰ ζώην μετ' εὐμουσίας, αἰεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην, unde fluxere illa Propertii III. 3. 41. *Me iuvat — — Musarumque choris implicuisse manus. — Et caput in verna semper habere rosa.* *in rosa* i. e. rosa coronatum, ut bene Markl. in ed. Burm. laudato Aristoph. Ἱππ. 1367. ἐν μύρῳ *unguento delibutus.* Sic ἵπποι ἐν πτεροῖς, h. πτερωτοὶ Pind. Ol. I. 140. et Virgil. Aen. V. 37. *Acestes in iaculis.* Esset adeo *multa in rosa puer*, ῥόδοι πύκασθεὶς, veluti Anacr. dicitur, et Eurip. Alc. 799. et 835. στεφάνοις πυκασθείς. Etiam Cic. Tusc. V. 26. *esse in viola aut in rosa* et de Fin. II. 20. *potare in rosa.* Atque haec ratio bene conveniret cum sqq. *pers. liq. od.* quae duae res in Horatio semper fere iunguntur, ut I. 3. 9. II. 11. 15. adde Tibull. I. 7. 51. De cubili tamen rosis consito accepit quoque Dorvill. ad Char. p. 97. excitato Philostrati loco Ep. XXVIII. καί σου δέομαι οὐ στεφανοῦσθαι μόνον, ἀλλὰ καὶ κοιμηθῆναι

Grato, Pyrrha, ſub antro?
Cui flavam religas comam

Sim-

μηθῆναι ἐπὶ ῥόδων. — *Perfuſus*, tinctus, delibutus, comam habens delibutam (cf. V. 13. 9.) *odoribus*, unguentis εὐόδμοις. Sic *odorati capilli* II. 11. 15. III. 20. 14. V. 17. 23. *liquidis* ad ornatum pertinet, ſed quo generale v. *odores* definiatur, ac declaretur. Erat hoc omnino delicatiorum, et qui genio ſuo indulgerent. Hic vero inter artes referendum videtur, quibus Pyrrhae iuvenis placere cupéret. — *ſub antro*, egregie ad exornandam totam imaginem adpoſitum. In amoenitate ſpeluncarum propter refrigeria compotationibus et amoribus aptarum celebranda multi ſunt Romani poetae. Poetam tamen non dedeceat, ſi de umbra arborum ſimpliciter accipias, niſi loquendi ratio repugnare videatur. cf. I. 1. 21. Minime vero audiendi ſunt, qui antrum de fornice accipiunt, quod vel epith. *grato* reſpuit, et ab toto loco alienum eſt. — 4. *Cui*, in cuius gratiam, ut ei placeas, *comam religas*, crines tuos decenter componis. Comae fingendae et apte concinnandae ſtudium inter artes, quibus puellae placere volebant, ſaepius memoratur. Tibull. I. 9. 67. *Tunc putas illam pro te disponere crines, aut tenues denſo pectere dente comas?* et, qui magis ad verba et ſenſum h. l. ſpectat, Silentiar. c. XXII. (Anal. Br. III. p. 78.) εἰπὲ, τίνι πλέξεις ἔτι βόστρυχον, ἢ τίνι χεῖρας φαιδρυνέεις, ὀνύχων ἀμφιτεμὼν ἀκίδα; quae poſteriora conſpirant fere cum Tibullianis I. 8. 12. Pro generaliori vero, *cui comis crines*, ſpecialiorem gratioremque poeta poſuit comendi modum, quo crines in nodum colligabantur; quo ipſo elegantiam et guſtum, quem vocant, puella prodebat. Tibull. I. 8. 15. *Ipſa placet, quamvis — nec nitidum tarda comſerit arte caput.* — 5. *ſimplex munditiis*, non operoſe, variove cultu onerata, ſed ita comta atque ornata, ut ſine ullo ſtudio factum videatur. *Munditiae* ſ. *mundus* proprie de ornatu muliebri, qualis eſt gemmarum, armillarum caet. His ornabant ſeſe maxime meretrices, quibus iuvenum oculos ferirent. Plaut. Poen. I. 1. 64. *oculos meos volo delectare munditiis meretriciis.* Pyrrha adeo ornata erat ſimpliciter, non magnifice, utpote formae ſuae confidens.

v. 5 *ſqq.* Oratio in his vv. admodum concinna ac docta. Perfidiam Pyrrhae ipſe expertus Horatius iuvenem iſtum de eadem mox conqueſturum perpetua fere allegoria comparat nautae,

Simplex munditiis? Heu, quoties fidem
Mutatosque Deos flebit, et aspera
Nigris aequora ventis
Emirabitur insolens,

Qui

nautae, qui, tranquillo mari, solvit, mox, in altum provectus, eiusdem maris facie, tempestatis ingruentis vi, penitus immutata, periclitatur, atque naufragium facit. — *Heu quoties flebit*, conqueretur, cum dolore sentiet, malo suo experietur *fidem* olim a puella sibi datam, nunc *mutatam* (iterandum enim hoc) violatam, ruptam, perfidiam. Plaut. Mil. Glor. IV. 1. 36. *Sed ne isthanc amittam, et haec mutet fidem, vide modo.* Elegans est usus *τοῦ flere* pro conqueri, cum adiuncta poenitentiae notione, Horatio perquam familiaris. v. I. 25. 11. V. 5. 74. Epist. II. 1. 9. adde Tibull. I. 9. 79. III. 5. 40. et Propert. I. 7. 18. — *Fid. et deos mutatos*, violato iureiurando per deos dato. Simili forma II. 8. 10. dicitur *fallere cineres matris, fidera*, et *deos*, et V. 15. 3. *deos laedere*. Catull. 64. 134. *numen divum negligere*. Dicendum adeo esset, poetam disiunxisse, quae pedestris oratio hac iunctura extulisset: *fidem per Deos* (nimirum iureiurando interposito) *datam mutare*, violare: uti fere Stat. Achill. I. 405. *fidem et superos* h. fidem per Deos datam (*πίστιν θεῶν* Eurip. Med. 414.) *calcare*. Et hoc est illud, quod primo loco se offert. Alia ratione *Dii* dicuntur *mutati*, h. e propitiis infensi facti: etiam hoc satis adcommodate h. l. Nam in secundo amore Dii amantibus dicuntur propitii, contra vero, amoris foedere disoluto, vel non mutuo, iisdem irati, infensi. Propert. I. 1. 7. *Et mihi iam toto furor hic non deficit anno, quum tamen adversos cogor habere Deos.* ubi Burmannum quoque hunc Horatii locum ita explicare video: in quo tamen offendit hoc, quod alio modo *fides*, alio *Dii mutari* dicantur. Tertia denique ratio est, ut allegoria tempestatis, qua se subito deprehensum amator sentit, incipiat statim a v. 5. utque *fides* de mari tranquillo dicatur, quod invenis semper hoc statu permansurum crediderat, cui adeo nimis considerat. Sic *fides pelagi* Virgil. Aen. III. 69. *fides aurae* Ovid. Fast. II. 454. *fides caeli* Claudian. de B. Gild. 499. *fides sereni* Stat. Silv. III. 1. et *Dii* adeo, qui cursui ipsius primo faverant, nunc *mutati*, irati, tempestate immissa. Vereor tamen,

Qui nunc te fruitur credulus aurea;
Qui ſemper vacuam, ſemper amabilem
Sperat,

tamen, ne aliis haec ratio paullo longius petita videatur. — *aequora aſpera*, mare aſperum, commotum, ſumto verbo ab iratis. Niſi forte praeſtat iungere *aeq. aſpera* facta *ventis*, excitatis vento fluctibus inaequalia facta, adeoque commota. Sic *inaequales procellae* II. 9. 3. *Nigris*, propter nubes, quibus caelum obducunt. Sic *Eurus niger* Valer. Flacc. II. 365. contra *Notus albus* I. 7. 15. ubi v. not. — *emirabitur*, nove dictum pro ſimplici, mirabitur, experietur, aucta tamen verbi vi, *cum ſtupore adſpiciet*, quia aequor fidiſſimum, perpetuoque tranquillum certo ſibi perſuaſerat. — *Inſolens*, active, qui inconſtantem Pyrrhae animum nondum expertus fuerat, qui eam in amore fidam crediderat.

v. 9 *ſqq.* Qui nunc amoris tui deliciis perfruitur. *Aurea*, tanquam ea, quae optimis moribus ſit praedita, quae adeo amatoris votis faveat, et in amore habeatur fideliſſima, quae tamen non ſit. Hinc praeclare adiectum *credulus*, qui, ſe illam ſemper, ut ita dicam, auream habiturum tam facile ſibi perſuadet. Propert. II. 19. 61. *Tu quoque, qui pleno faſtus adſumis amore, Credule, nulla diu femina pondus habet*, h. levis eſt, et inconſtans in amore. Caeterum *aureos mores* ſimiliter poeta dixit IV. 2. 23. *auream anum* Tibull. I. 6. 58. ubi v. Heyn. Pariter Antiphanes de meretrice, quae non haberet animum meretricium, eam habere ait ἡδός τι χρυσοῦν πρὸς ἀρετὴν πεκτημένην, ὄντως ἑταῖραν apud Athen. XIII. 4. p. 572. et inde apud Grot. Excerpt. p. 631. Eundem Antiphanis locum noſtro admovit Heinſ. Lectt. Theocrit. c. XVIII. p. 357. qui praeterea commode monet, fuiſſe hanc inter illas voces, quibus amatores meretricilis ſolerent ὑποκορίζεσθαι, laudato in hanc rem Ariſtoph. Acharn. 1199. φιλησάτων με μαλθακῶς, ὦ χρυσίω. — 10. *vacuam* ſibi, ab aliorum amore, qui te ſui ſolummodo amori vacaturam putat. Ovid. Heroid. XX. 149. *Eligo de vacuis, quam non ſibi vindicet alter.* — *ſemper amabilem*, quae ſemper ab iſto te amari patiaris, vel, quae digna ſis (propter caſtitatem) quae ſemper ab eo ameris. Nota illa Ovidii: *ut ameris, amabilis eſto*, h. iis praedita moribus, quae amorem tibi concilient. Caeterum allegoriam in his non ſervatam clamat Homius Elem. crit. II. 20. Enimvero non ipſa Pyrrha h. l. cum mari proprie comparatur, ſed eius, qui

Sperat, nescius aurae
Fallacis. Miseri, quibus
Inten-

qui illam amat, flatus; unde non opus erat, verba, ad ipsam puellam spectantia, tam exacte ubique respondere. Ne illud moneam, ipsi allegoriae ad partes singulas adcommodatae, nimisque protractae multum suavitatis detrahi. — 11. *Nescius*, nondum usu cognitum habens, quam *fallax*, mutabilis sit *aura*, quam facile ventus, qui nunc ei secundus est, mutetur, et ex adverso spiret, h. e. quam parum constans sis in amore. Simillimo modo Propert. II. 19. 67. dixit *mendaces flatus in amore ludere*. Imago ipsa ab aura desumta ad amoris felicitatem declarandam admodum frequentata est Graecis pariter ac Latinis poetis, (v. Heyn. ad Tibull. II. 1. 80.) huic vero loco perquam adcommodata, quum et ipsa allegoriae superiorum vv. praeclare inserviat.

v. 12. Magnum pathos habet exclamatio, qua eorum vicem dolet, qui in Pyrrhae amorem inciderint. Eadem *δεινότητι*, quanquam paullo aliter sententia tractata sit, Plato (Anal. Br. I. p. 170.) C. VI. 3. *ὦ δειλοὶ, νεότατος ὑπαντιάσαντες ἐκείνης πρωτοβόλου*. quos vv. mire corrupit Weston. in Hermes. p. 46. adde Tibull. II. 1. 79. *Ah miseri, quos hic graviter Deus urget*. — *quibus intentata nites*, pro vulgari, intentata es, qui pulchritudine tua allecti nondum usu cognoverunt, quam mutabili sis animo. Observa eximium verborum dilectum. *Nitere* de pulchritudine dici, vulgare est. Sed et mare tranquillum nitere dicitur: quocum venustam faciem comparavit etiam Alciphr. III. Ep. I. *καὶ μειδιᾷ, τῆς θαλάσσης χαριέστερον*. et magis adposite Meleag. C. LX. ed. Cl. Manso *ἡ φίλεροως χαροποῖς Ἀσκληπιὰς οἷα γαλήνης ὄμμασι συμπείθει πάντας ἐρωτοπλοεῖν*. Ipsa vero *placidi pellacia ponti*, ut hic pulchritudo Pyrrhae, est *subdola* s. fallax, ut Lucretii II. 559. verbis utar. Pariter *tentari*, ut Graecis *πειρᾶσθαι*, verecunda elocutione dicitur puella, v. Ruhnk. Cel. ad Tim. p. 210. item mare, quod primum navibus pervium fit. Virg. Ecl. V. 32. Val. Flacc. I. 197.

v. 13 *sqq*. Nexus sententiarum est: Miseri illi, qui te non norunt, suavitate tamen atque pulchritudine tua illecti amorem tuum unice expetunt: ego quidem, qualis tu sis, expertus sum, tuosque laqueos, rebus utcunque salvis, effugi. Pro vulgari igitur „ego te novi" quanto gravius poeta: Diis gratiam habeo, qui me e tantis pericu-

Intentata nites! Me tabula ſacer
Votiva paries indicat uvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

periculis, ac malis, in quae me tuus amor coniecerat, ſervaverint. Iam, quum malis conflictamur, naufragium facere; iisdem liberati, e naufragio evadere, enatare dicimur, imagine vel pedeſtri orationi frequentata. Quo ſenſu Graecis ἐκνεῦσαι, ἀναγήξασθαι pariter dici obſervarunt Valken. ad Eurip. Hippol. v. 822. et Ruhnk. ad Tim. p. 79. Docte hanc ob allegoriam hic valde adpoſitam imaginem exornavit poeta, ritum tangendo, quo e naufragio ſervati vota, Diis in ipſo naufragii periculo facta, perſolverent, tabulamque, quae huius rei memoriam ſervaret, cum veſtibus, quibuscum enataſſent, templo Dei σωτῆρος tanquam ἀνάθημα affigerent (v. Virg. Aen. XII. 766 ſqq. Iuvenal. XII. 17. et ibi Schol.) aut, ſi nudi evaſiſſent, comam detonſam Diis conſecrarent. Lucian. in Merc. Cond. init. T. I. p. 652. ed. Reiz. ibique Bos. Verba ipſa ſic procedunt: *Sacer* quippe templi, et quidem Neptuni *paries indicat*, teſtatur per *tabulam votivam*, ex voto adpenſam, (erat enim ſolennis dedicationis formula EX VOTO) h. e. tabula Neptuni templo affixa teſtatur, caet. fere ut Tibull. I. 3. 28. eloquitur: *Picta docet templis multa tabella tuis.* Horatianam orationis inverſionem ſecutus eſt Iuvenal. l. l. *Et quam votiva teſtantur ſuna tabella.* Iam exſpectares orationem ita continuatam: me incolumem e naufragio enataſſe. Sed pro hoc docte ipſius tabulae, qua ſervatum ſe teſtaretur, argumentum poſuit, nimirum ſe *veſtimenta* haec *uvida*, madida *ſuſpendiſſe*, conſecraſſe *Deo maris potenti*, μεδέοντι θαλάσσης, Neptuno. v. ad I. 3. 1.

CAR-

CARMEN VI.

ARGVMENTVM.

M. Vipsanius Agrippa, magnus ille et praecipuus Augusti amicus, terra marique rebus gestis victoriisque clarus, ipsius Augusti victoriam, inprimis Actiacae et insecutae potentiae magnam sibi partem vindicans, is igitur haud dubie Horatio exprobraverat, quod nulla dum sui in ipsius carminibus esset mentio. Igitur se excusat Agrippae, suique ingenii venam sufficere negat tam sublimi argumento, quod epico carmine celebrari debeat, seque tantum lyricae poesi in iocis et lusibus occupatae vacare. Quo ipso, quasi aliud agens, splendidissimum Agrippae ipsique Augusto carmen dicit: nam dum grandem sibi spiritum esse negat, eum vel maxime prodit; et Agrippam exquisitissime laudat, dum eius laudibus canendis se imparem profitetur. Eiusdem prorsus formae est II. 12. IV. 15. Elocutio totusque habitus huius carminis usque ad v. 16. magnificus est, imaginum dignitas, orationisque conversio admirabilis. Exitus autem et Horatii ingenio, et inprimis huius carminis descriptioni ac sententiae egregie respondet, illique tanto maiorem ex oppositione picturarum venustatem conciliat. Iam L. Varius ille, ad quem Horatius delegat Agrippae canendi munus, poeta erat epicus et tragicus nobilissimus, quem in epico genere primarium praedicat Horatius hoc carmine et Serm. I. 10. 44. et Virgilio tanquam alterum poeta-

poetarum principem adsociat A. P. 55. v. et Virgil. Ecl. IX. 35. ubi non dubitandum, quin e Scholiastis legendum sit Vario. E tragico genere nobile eius opus exstabat, Thyestes, quam tragoediam cuilibet Graecorum comparari posse ait Quinctil. X. 1. ubi v. Intpp. cf. et Martial. VIII. 18. 8. Laudatur etiam panegyricus in Augustum, item carmen de morte, cuius fragmenta nonnulla servavit Macrob. VI. 1. et 2. quae eius divinum ingenium produnt. Denique Varius, ut Virgilii, ita Horatii amicissimus fuit (v. Serm. I. 5. 40. I. 9. 23.) et hunc Maecenati commendaverat. v. Serm. I. 6. 55. cf. de illo Rutgers. lectt. Venus. c. 3. p. 252. et Ill. Heyn. ad vit. Virg. §. 53. T. I. p. 130. Caeterum in hoc carmine male Sanadonus singula illa priscorum heroum nomina allegorice interpretatur de certis Horatianae aetatis personis: Achillem esse Pollionem; duplicem Ulyssem, Agrippam et Messalam; Pelopis domum, Antonium et Cleopatram; Martem, Statilium Taurum; Merionen, Marcum Titium; Diomedem, Maecenatem. Quo ipso satis manifesto declarat, se parum totius carminis vim ac maiestatem adsecutum esse.

AD

AD AGRIPPAM.

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis aliti,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit.

Nos,

v. 1. 2. *Scriberis*; pro, scribaris licet (ut *laudabunt*, I. 7. 1. *bibes*, I. 20. 10.) *Vario*, a Vario, h. Varius sit oportet, a quo *scribaris*, carmine epico celebreris, ut *fortis*, virtute bellica conspicuus, et *victor hostium*. Vide, quam praeclare et urbane ornetur sic sententia vulgaris: ego canendis rebus a te gestis me imparem sentio; Varius solus est, qui eas epice tractare possit. Quo ipso Agrippae res gestas mire extollit, simulque Vario epici carminis principatum defert. — 2. *Carmen Maeonium*, Homericum, nam Homerum Maeonium a Smyrna patria, Maeoniae urbe haberi pervulgatum est. Iam Varius, poeta epicus, *ales carminis Maeonii* dicitur, qui evolat, effertur Homeri instar, qui Homeri volatum aequat, adeoque dignitatem ac maiestatem Homerici carminis refert. Nam et *cycnus*, et pro cycno *ales* sollennia sunt de poetis, ut IV. 2. 25. II. 20. 16. Tum proprium erat, ales Maeonium cantum edens; pro quo haud dubie esse poterat, ales cantus Maeonii. Iam pro cantu notionem, quae ei hoc loco subiecta est, poeta perspicuitatis gratia posuit, *carmen*. Ovid. ex P. III. 3. 31. *Nec me Maeonio consurgere carmine, nec me dicere magnorum passus es acta ducum*. Aliorum hallucinationes vide in Obss.

v. 3. 4. Vulgare erat: Scribentur ab eo tuae res gestae: pro hoc exquisitior erat ratio, scriberis ab eo, quascunque res gesseris. Nam est proprie: *scriberis* quod attinet (*κατὰ*) rem omnem, quam (*quamcunque rem*) Romanus te duce gesserit. Declaratur ita plenum, ac perpetuum carmen epicum. — *navibus aut equis* docte pro, mari et terra. In Propertio II. 20. 63. *seu pedibus — seu classe* similiter opponuntur.

v. 5 *sqq.* Nos his tractandis aeque impares sumus, ac ulli epico aut sublimi argumento. Pro hoc generali eum insigni

Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae ſtomachum cedere neſcii,

Nec

dilectu memorantur talia nonnulla. In proſa erat: nos haec non magis dicere poſſumus, quam Pelidae ſtomachum caet. Ita *neque* — *neque* eſt III. 5. 27 ſqq. item Cic. de Orat. II. 74. 100. — *dicere* ſollenne de carmine epico. Propert. I. 7. 1. *Dum tibi Cadmeae* dicuntur, *Pontice, Thebae.* ubi vide Burm. — 5. *ſtomachum* θυμὸν, iram, *Pelidae*, Achillis, Pelei filii, ob ereptam ſibi ab Agamemnone Briſeidem. res nota. — *gravem* exitioſam, perniciosam (v. ad I. 2. 5.) Graecis, magna clade a Troianis, dum ille a pugna abstineret, affectis. — *cedere* precibus *neſcii*, qui non cedit precibus, inexorabilis, ferocis, pervicacis. v. A. P. 120 ſqq. Praeſtat haec ratio prae altera, qua ſimpliciter ſit, fortis, audax, perpetuo Achillis epitheto. Priſca vero ſermonis ſuavitate ea *neſcire* dicimur, quae nunquam perpetravimus, aut nunquam paſſi ſumus. Sic ὕπνος Sophocli Philoct. 823. ὀδύνας καὶ ἀλγέων ἀδωὴς, *doloris expers*, et φωνὴ Pind. Ol. 5. 113. ψευδέων ἄγνωστος, *lingua verax* vocatur. Ovid. ex Ponto II. 9. 45. *Marte ferox, et vinci neſcius armis.* Seneca Nat. Quaeſt. V. XI. *Etesiae delicati vocantur, quod, ut ait Gallio, mane neſciunt ſurgere.* — Docte vero exprimitur argumentum Iliadis: μῆνις Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος οὐλομένη.

v. 6. 7. *Curſus per mare*, navigationem, errores Vlyſſis: argumentum Odyſſeae. — *duplicis*, verſuti, callidi, exquiſitiore vocis vi. Vti enim *ſimplex*, ἁπλοῦς, dicitur is, qui, quae animo agitat, eloquitur, homo certus, veritatis amans; ita *duplex*, *varius*, διπλοῦς, πολλαπλοῦς, ποικίλος erit is, qui fraudulenter agit, *qui aliud ore, aliud pectore promtum habet*, ut Salluſtii verbis rem eloquar, homo callidus, fallax. δίπτυχον γλῶσσαν pariter Vlyſſi tribuit Eurip. Troad. 285. ὃς πάντα τἀκεῖσ' ἐνθάδ' ἀντίπαλ', αὖθις ἐκεῖσε, διπτύχῳ γλώσσῃ, ἄφιλα τὰ πρότερα φίλα τιθέμενος πάντων. qui locus mire τὸ διπλοῦν animi illuſtrat. Idem in Rheſ. 395. φιλῶ λέγειν τἀληθὲς αἰεὶ, κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ. Spectat etiam huc epigr. apud Zenob. Cent. III. 23. (quod eſt Palladae v. Anal. Br. III. p. 332.) μισῶ τὸν ἄνδρα, τὸν διπλοῦν πεφυκότα, χρηστὸν λόγοισι, πολέμιον δὲ τοῖς τρόποις. ubi tamen peſſime Zenob. rem expedit.

γλῶσ-

Nec curſus duplicis per mare Ulixei,
Nec ſaevam Pelopis domum

Conamur, tenues grandia: dum pudor
Imbellisque lyrae Muſa potens vetat
Laudes

γλῶσσαν διχόμυθον ſimiliter dixit Solon XXX. 4. (in Anal. Br. I. p. 75.) et *duplices linguas* Plaut. Truc. IV. 3. 7. Horatius forte in animo habuit ἄνδρα πολύτροπον, Odyſſeae init. h. *varium*, uti eum vocat Stat. Achill. II. 172. ubi male quidam *vafrum Ulyſſem* reponunt. Sic *varii* h. fraudulenti *modi* Phaedr. IV. 6. 14. quod eadem inſtitia damnatum ibi a quibusdam. vide omnino Ruhnken. ad Tim. p. 87. Burm. ad Vellei. II. 105. Oudend. ad Sil. XV. 157. et Ouwens. N. H. I. c. XIV. Fuit, qui *duplicem* explicaret δίζωον, bis Orcum ingreſſum, v. Rutgerſ. Lectt. Ven. p. 252. Peius etiam Sanad. exponit *duo Vlyſſes*, Agrippam et Meſſalam. Sed in talibus refutandis commorari piget.

v. 8. *Domum Pelopis*, familiam a Pelope oriundam, *ſaevam*, ſaevis ac cruentis ſacinoribus inſignem, domeſticis caedibus infamem. Referenda adeo huc caedes Oenomai, a genero Pelope patrata, Thyeſtae liberi ab Atreo fratre occiſi, et patri epulandum dati: Agamemnon ab uxore Clytaemneſtra, eademque cum Aegiſtho ab Oreſte, filio, occiſa: Oreſtes ipſe Furiis agitatus. cf. Prol. Oreſtae Euripidei. Quae omnia ſatis largam et Tragicis et epicis poetis carminis praebuere materiam. Hic quidem propter antecedentia et vv. 13 — 16. quae epici carminis argumenta exhibent, etiam hoc de Pelopis familia epice tractatum intelligere malim, etſi valde adblandiatur eorum opinio, qui Horatium ad Varii tragoediam, Thyeſten, adluſiſſe autumant. Paullo clarius hoc argumentum Tragicis frequentatum indicat Stat. Silv. V. 3. 96. *Qui Furias* (Oreſtae immiſſas) *regumque domos* (familiae Pelopis) *averſaque caelo ſidera terrifico ſuper intonuere cothurno.* ubi *domos* in *dolos* a Markl. vel ob h. Noſtri locum mutatum nolim.

v. 9 *ſqq.* *Conamur*, cum dilectu, de gravi argumento: ut *tentare Achillem* de Achilleide ſua Stat. Silv. IV. 4. 49. Nos *tenues*, tam tenui ac parvo ingenio, qui adeo argumento levi, tenui ſolummodo vacare poſſumus, *grandia* illa, gravia illa epici generis argumenta enarrare

Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingenî.

Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut pulvere Troio
Nigrum

rare vix conamur; suave antitheton. Pariter Ovid. Amor. II. 18. 4. *Et tener* ausuros grandia *frangit Amor*. Sententiam magis declarant sqq. — *Pudor* qui e sensu tenuis ingenii, rerumque tractandarum magnitudine oritur. — *Musa potens lyrae* docte atque ornate, pro vulgari, quae tractat lyram *imbellem*, lusibus tantum ac levioribus argumentis, non item bellicis atque adeo epicis adcommodatam. *vetat*, prohibet me, v. I. 1. 34. *Laudes Caesaris*, res ab eo praeclare gestas, τὰ κλέα, res nota. *Egregii*, eximii, unici, cum vi dictum, ut III. 25. 4. *deterere*, imminuere, obscurare, non ea, quam res postulant, dignitate describere: exquisite adeo pro, attingere, enarrare. Imitatus est h. l. Auson. Mos. 390. *victus amore tui praeconia detero. Obterere laudem imperatorum* pariter Cic. Verr. V. 1. — *culpa*, tenuitate *ingenii*.

v. 13—16. Splendidi versus, quibus amplificatur superior sententia. Arduum sane opus, Augusti atque Agrippae res fortiter gestas digne describendas sibi sumere; hoc idem esset, ac si Martem, ac heroas istos fortissimos, Merionen et Tydeum carmine celebrare velles. Tacite igitur poeta cum heroicis Homericae Iliadis argumentis Augusti atque Agrippae res, ipsumque adeo Varium, qui solus eas digne scribere possit, cum Homero componit. Ad grave ac sublime epos designandum poeta iterum colores desumsit ex Homeri Iliade. Nominat inde Martem, a Troianis stantem; ex heroibus vero, Merionen, et Diomedem, tanquam poeta; quum et alios, aeque fortes, et plures adferre potuisset. — *tectum*, indutum, armatum *tunica adamantina*, ferrea, iuxta Homerica: Ἀχαιοὶ χαλκοχιτῶνες, Ἄρης χαλκεοθώρηξ, et sim. *Mavors adamante coruscat*, Claudian. in Cons. Prob. et Olyb. 99. Prisco enim Graecorum usu *adamas* de ferro durissimo adhibebatur. — *Merionen*, nobilem illum aurigam, atque ἑταῖρον, f. ὀπάονα Idomenei, ἀτάλαντον Ἄρηϊ dictum Hom. Il. β. 651. ν. 295. — *nigrum*, cum vi pro, tectum, adspersum *pulvere Troio*, tumultu bellantium in camps Troiae

Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydiden ſuperis parem?

Nos convivia, nos praelia virginum
Sectis in iuvenes unguibus acrium

Canta-

Troiae excitato: graphice prorſus de viro bellicoſo, qui in media pugna verſatur. cf. II. 1. 21. Pariter Valer. Fl. I. 13. Noſtrum ſecutus, Veſpaſianum dixit *nigrantem pulvere Solymo.* H. l. ſubeſt ſimul aurigae, curru pulverem excitantis, imago. — *Tydiden*, Diomedem, Tydei f. heroum fortiſſimum, *parem* adeo *Superis*, qui ſtetit adverſus eos, cum iis congreſſus eſt. Reſpexit haud dubie poeta Homer. Il. *ε.* 335. ubi Diomedes Venerem vulneraſſe et ib. 855. cum ipſo Marte congreſſus dicitur. Nam in hac inprimis pugna *opem Palladis* expertus fuerat: v. l. l. v. 856. Minus igitur commode Intpp. laudant Homerica, *θεοείκελον, ἰσόθεον* et ſim.

v. 17 *ſqq.* Ego non niſi levibus argumentis, et luſibus lyricis aptus ſum. Ex his commemorat *convivia*, et *proelia virginum*, cum dilectu; quae adeo opponantur heroicis, quae in Iliade occurrunt, proeliis. *Nos*, quod mox cum vi repetitur, initio verſus, ad oppoſitionem praecedentium, poni, ſollenne. Propert. I. 7. 1. *Dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae — Nos, ut conſuemus, noſtros agitamus amores.* v. Burm. ad eund. II. 12. 23. — *proelia virginum* ac iuvenum, rixas amantium. Tibull. I. 3. 63. *Hic iuvenum ſeries teneris immixta puellis ludit, et adſidue proelia miſcet amor.* — *acrium*, iram ſuam prodentium, pugnantium, involantium *in iuvenes unguibus*, quibus pro armis utuntur, ſollenni idea; qua urbanitatem Romanam non offenſam fuiſſe apparet ex h. l. cf. Ovid. Amor. I. 7. 64. A. A. II. 451. Propert. III. 6. 5. ibique Burm. Claudian. Feſcen. IV. 6. et Epithal. Pall. 135. Emollitur acris iſta puellarum ira a poeta, ungues ipſis tribuendo *ſectos*, qui adeo in facie non ſedent, unde nihil noxae verendum eſt. v. Obſſ. — 19. 20. *Sive vacui* ab amore ſumus, liberi ab amore. *Vacuum pectus* eadem notione Propert. I. 10. 30. uti *κενὴν κραδίην* Agath. II. 2. in Anal. Br. III. p. 33. *ſive quid urimur*, amamus aliquid, amore puellae calemus. Idem color orationis in Stratonis ep. XXII. (Anal. Br. II. p. 364.) *Καῦμά μ' ἔχει μεγα*

Cantamus, vacui, ſive quid urimur,
Non praeter ſolitum leves.

δή τι. — *non praeter ſolitum*, ex more, pro more conſueto *leves*, ad levitatem ac hilaritatem propenſi: pro conſueta noſtra levitate, iocis tantum ac luſibus accommodata, levioribus his canendis ſolummodo vacantes. *Leviorem lyram* hoc ſenſu dixit Ovid. Met. X. 149. quae opponitur *plectro graviori* v. 148. h. carminibus gravioris argumenti. Hunc ſenſum unice eſſlagitat tota ſententiarum ſeries. Male nonnulli: proni in amorem ex more conſueto. Neque melius alii: pro ſueta noſtra amoris inconſtantia, ut mox uramur aliquid, mox vacui ſimus. Sed idem ſenſus h. l. qui in Propert. I. 7. 1. *Dum tibi Cadmeae dicuntur — Thebae; Nos, ut conſuemus, noſtros agitamus amores*, h. dum tu Thebaida condis; ego, more ſolito, amores meos cano.

CAR-

CARMEN VII.

ARGVMENTVM.

L. Munatius Plancus, vir potens ac nobilis, probabilis orator, Ciceronis olim amicus, quocum iunctus fuit litterarum mutuarum usu (quales exstant libro X. Epistt. ad Div.) initio turbarum civilium Iulio Caesari addictus fuit, post Octaviani partes amplexus, et Antonium persecutus aliquamdiu, huic ad Mutinam fugato cum Asinio Pollione sese coniunxit. Pace facta a. 712. Cos. fuit cum M. Lepido. Insecutis novis civilibus bellis Antonio adhaesit, a quo a. 722. ad Octavianum transfugit. v. Dio L. III. p. 420. Vellei. II. 83. pr. Atque huius gratia floruisse quidem visus est, magnisque honoribus functus, dum et censor, et, quod Torrentius e numo docet, Vrbi praefectus fuit: sed cum esset vir summae inconstantiae dubiaeque fidei, nunquam ex animo favere sibi aut satis fidere Octavianum intellexit; licet omnem daret operam, illi ut gratiosus fieret, atque etiam, ut Augustus appellaretur, postero tempore perficeret. v. Sueton. Aug. VII. Vellei. II. 91. pr. Censorin. 21. Igitur quum multos difficiles casus per tumultus civiles, quanquam sua fere culpa, expertus, contraxisset iam inde, ut fit, magnam animi aegritudinem, atque nunc et contemni se vidisset a viris bonis et gravibus (v. Vellei. II. 83. extr.) et semper suspectum esse Augusto suum ingenium, sibique metuendum, ne

quando subito excideret illius gratia; tandem, maerore victus, voluntarium exsilium meditari coepit. Iam quum iis temporibus multi, qui patria carere mallent, quam in timore vivere, civitates Graeciae, quae et litterarum, inprimis philosophiae, cultu florerent, et miti insuper caeli temperie gauderent, in his vero maxime Rhodum aut Mitylenen (v. Cic. ad Div. IV. 7. et VII. 3.) peterent; hoc idem Plancum secum constituisse, ex ipso carminis initio eiusque exitu satis probabiliter statuere licet. Horatius igitur, etsi eius, mutandae urbis, atque in privato se continendi haud improbaret consilium, a Graecia tamen animum eius abducere conatus, ut in Tiburtinam potius regionem, Italiae amoenissimam, secedat, eum exhortatur. Praeclara hoc arte adornavit poeta, summaque urbanitate consilium hoc suum Planco probare aggressus est. Laudes quidem suas esse ait Graeciae civitatibus, easque multorum carminibus satis esse celebratas: se tamen Tiburtini agri dulcedine miro modo affici, ac maximopere teneri. In quo nobilissimas Graeciae civitates percenset, neque tamen eas contemnere velle putandus est praelato Tibure. Dum igitur Tiburtinae regionis amoenitates uberius extollit, tecte simul atque venuste admodum Planco, ut in hanc secedat, ibique, genio indulgendo, animum curis exoneret, innuere voluisse videri debet; quod idem paullo disertius declarat v. 20. Munita vero sic ad consolandum erigendumque amicum via, eundem, ne se perpetuo maerore maceret atque conficiat, sedulo dehortatur. Ipsam enim naturam non in perpetuo quasi luctu esse, nubilaeque tempestati succedere serenam atque tranquillam. Animum adeo aegritudine

tudine esse levandum, et quidem, quod praesentissimum sit remedium, vino; omninoque meliora esse speranda. Docte atque graviter hoc Teueri, tam fortiter adversos casus ferentis exemplo commonstrat, quem hanc ipsam animi fortitudinem sociis suis praecipientem inducit.

AD MVNATIVM PLANCVM.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesion, bimarisve Corinthi Moenia

v. 1—9. Civitatum et regionum amoenissimarum Graeciae enumeratio; de qua v. Argum. Imitatus Nostrum Martial. IV. 55. X. 68. *Laudabunt* nota forma graeca (e. g. Pind. Ol. IX. 160. Alia vide apud Graevium Lectt. Hes. c. V.) pro laudent licet, celebrent per me, extollant: ut I. 6. 1. Observa copiam poetae in varianda sententia: *laudabunt alii; sunt; quibus unum opus est celebrare; plurimus dicit; me non tam percussit.* — *Rhodon claram*, illustrem et *nobilem* (ut vocat Catull. IV. 8. *claram* Martial. XIV. 68. 2.) cum pulchritudine aedium, mercatura, luxu, tum vero artibus et philosophia. Nisi forte praestat explicare, Solis radiis illustratam, quatenus haec insula, Soli sacra, nunquam eius radiis et luce prorsus carere dicitur. Atque sic hunc locum accepit Lucan. VIII. 248. *claramque reliquit* sole *Rhodon.* adde eundem V. 50. Plin. II. 62. ut adeo illos respexerit, qui fabulas Rhodiorum domesticas, de Rhodi origine, Solis cultu, caet. pertractaverint. Conf. loc. class. Pindar. Ol. VI. — *Mitylenen*, Lesbi urbem, *et natura et descriptione aedificiorum et pulchritudine inprimis nobilem*, iuxta Cic. Orat. contra Rull. c. 14. *pulchram* ideo vocat Ep. I. 11. 7. *μεγάλην καὶ καλὴν* Longus Past. init.

v. 2. *Ephesion*, nobilissimam Asiae urbem. *θεῶν βασιλείαν Ἰώνων, τὰν δορὶ καὶ μούσαις αἰπυτάταν* vocat Antipat. Sid. c. XXXVI. (Anal. Br. II. p. 16.). — *moenia Corinthi* pro, Corinthum, ut saepius. *Πέλοπος λιπαρᾶς κάσου θεοδμάτους πύλας* vocat Bacchylides apud Steph. fragm. Lyr. p. 572. *bimaris*, quae inter duo maria, Aegeum et Ionium, sita est. *Bimares Sisyphi terras* Corinthum vocat Senec. Oed. 282. adde Ovid. Fast. IV. 501. Trist. I. 11. 5.

Est

Moenia vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt quibus unum opus est, intactae Palladis arces
Carmine perpetuo celebrare,
Inde-

Est e gr. διθάλασσος, ἀμφιθάλασσος. Corinthi opulentiam celebravit iam Homer. Il. ἀφνειὸν et Pind. Ol. 3. 4. ὀλβίαν vocans; ut seriores taceam. — 3. *Thebae*, Boeotiae urbs, multorum carminum argumenta praebuit; in his inprimis fabulae de Bacchi origine ac religione decantatae. Hinc *insignes*, celebratae *Baccho*. — *Delphi*, Phocidis civitas, Apollinis templo atque oraculo celebris. — *Thessala Tempe*, amoenissimas Thessaliae convalles, inter Ossam et Olympum montes. v. Aelian. V. H. III. 1.

v. 5 — 7. Alii Athenas solas laudant. *Sunt quibus*, aliis *unum* unicum *opus est*, in hoc solo laborant, hoc solum agunt, ut *arces Palladis*, Palladi sacras, ἀκροπόλιν, Athenas celebrent. — *intactae*, virginis, perpetuo Minervae epitheto. Pallas ἀκραία, πολιάς, quae *retinet summis in urbibus arces* iuxta Catull. LXIV. 8. satis nota. — *carmine perpetuo*, ἔπει κυκλικῷ, quod omnes Atheniensium res gestas inde ab urbis primordiis continua serie detextas comprehendat. Eodem sensu *perpetuum carmen* dixit Ovid. Met. I. 3. et Martial. VI. 64. 10. *Silium* vocat *perpetuum* ob belli Punici secundi historiam carmine contextam. — 7. *Indeque . . . olivam*, et inde nominis sibi famam parare. Adiecta haec ad exornandam prioris v. sententiam puta. Nimirum poetae, qui aliquo carmine inclaruerunt, coronam sibi facultate sua poetica peperisse dicuntur; et ipsa corona praemii loco ipsis data dicitur. Hinc *ederas* I. 1. 29. ipse vocat *praemia doctarum frontium*, et *lauro* meritis quaesita *comam suam cingi* a Melpomene postulat III. 30. 16. Is adeo, qui carminis aliquod argumentum sibi tractandum sumit, coronam inde sibi parat, h. famam et gloriam. Hinc et ei, cuius laudes carmine celebrat, quem adeo posteritati commendat, coronam poeta nectere dicitur. v. ad I. 26. 8. Iam haec corona pro vario carminis argumento potest esse varia; myrtea

Indeque decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus in Iunonis honorem
Aptum dicit equis Argos ditesque Mycenas.

Me

myrtea, quae erotico poetae; ederacea, quae Bacchi laudes canenti; laurea, quae epica tractanti praemio cedit; etsi in his, ut omnino sibi constent poetae, non facile exspectes. Docte vero poeta Athenarum laudes celebranti coronam oleaginam tribuit, quod Minervae sacra erat oliva, et quod in arce Athenarum servabatur sacra ista olea, quam ipsa Minerva in eius cum Neptuno super urbis recens conditae appellatione ac tutela certamine protulerat (v. Herod. V. 82. Sophocl. Oed. Colon. 686 sqq. ibique Schol.) e qua et ex aliis sacris oleis victores in certaminibus poeticis (τετραλογίαις) quae in Panathenaeis, Iudis Minervae, fierent, coronam accipiebant. v. Meurs. Panathen. c. XI. (T. VII. Thes. Gronov.) Sic exornationem praeclaram h. l. facile agnoscas. Iam de verbis breviter dispiciamus — *inde* ex hoc carminis argumento, quo Athenas celebraverit, *olivum*, coronam oleaginam *decerptam praeponere*, pro, decerpere, sibi parare et *fronti* suae *praeponere*, capiti suo imponere. *Praeponere* dixit poeta, propter adi. *fronti*, h. capiti. eodem ornatu *praemia frontium* I. 1. 29. Iam vide, quomodo versus Lucretii, quos ante oculos habuit, imitatione nobilitarit, I. 926. et IV. 3. *iuvatque novos decerpere flores, insignemque meo capiti petere inde coronam, unde prius nulli velarunt tempora Musae.* Multa vero extitere carmina, quae origines ac fabulas Atticas antiquiores comprehenderent; qualia fine dubio fuere Ἀτθίδος et Θησηΐδος nomine insignita.

v. 8. 9. *Plurimus*, plurimi, multi *dicunt*, canunt, celebrant (v. ad I. 6. 1. et 5.) *Argos aptum equis* sc. nutriendis, propter pascua sua, ex Homericis epithetis, Ἄργος ἱππόβοτον, ἱπποτρόφον, Theocr. XXIV. 129. ἱππήλατον et Pindaro Isthm. ζ. 17. ἵππιον. *Apta* enim *regio* poetis dicitur, quae bonum alicuius rei proventum atque alimenta praebet. *Solum pecori aptum* Virgil. Ge. II. 234. — *Mycenas dites*, epitheton Homericum, πολύχρυσος Μυκήνη Il. η.

Me nec tam patiens Lacedaemon
Nec tam Larissae percussit campus opimae,
Quam domus Albuneae resonantis,
Et praeceps Anio, ac Tiburni lucus, et uda
Mobili-

Il. η. 180. certe Agamemnonis temporibus. — *in Iunonis honorem*, in Argivarum fabularum expositione magnae sane Iunonis partes esse debuere propter cultum huius deae isti regioni proprium ac domesticum. Possunt et hymni in Iunonis honorem facti intelligi, qui adeo, epice tractati, fabulas Argivorum domesticas exponerent, in quibus ipsa regio, quippe sedes earum, cum urbibus memorari debuit. De Iunone Argis praecipue culta nota omnia. vide vel Virgil. Aen. I. 24.

v. 10. 11. Iam exspectasses oppositionem: mihi Tibur prae his omnibus placet. At neque nunc quidem revocare animum ab urbibus graecis potest; sed Lacedaemonem adhuc et Larissam in ipsam transitionem infert. Forte hoc loco ipse Horatius sensit, quam parum suavis longa ista urbium graecarum esset enumeratio, et hac artificiosa orationis iunctura ac variatione legentium fastidio occurrere voluisse videtur. — *patiens*, refer ad severam Spartanorum disciplinam; nam summa eorum virtus in patientia ponebatur iuxta Nep. VII. 11. 4. — *campus Larissae*, ager circa Larissam Thessaliae urbem, ut *rura oppidi* I. 1. 16. *opimae* proprie ad campum spectat: est vero Homericum epitheton, ἐρίβωλος, ἐριβώλαξ, Il. β. 841. — *percussit*, animum meum tetigit, commovit, delectatione cepit. Iam Lucret. I. 922. *acri percussit thyrso laudis spes magna meum cor.* cf. Virg. Ge. II. 476. Aen. IX. 197.

v. 12 — 14. Prae his omnibus Graeciae civitatibus Tibur Planco commendaturus poeta eiusdem descriptioni paullo longius immoratur eamque per partes ductam suavissima pictura absolvit. Pro fonte, unde Albula oritur, docte est *domus*, antrum Nymphae eiusdem fluvii, Albuneae. Fons enim cuiusque fluvii dei vel Nymphae eiusdem fluvii sedes est, ut pervulgatum. Sic Propert. I. 20. 34. *Pegen* vocat *domum humidam, Nymphis Thy-*

Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila caelo
Saepe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristi-

Thyniasin gratam; adde Martial. IV. 57. 8. Heinsius *domum Albuneae* sylvam Albuneae cognominem interpretatur, laudato Pind. Ol. β. 16. ubi Acragas urbs eiusdem cum fluvio nominis οἴκημα ποταμοῦ dicatur; quae tamen ratio parum procedit. — *resonantis* proprie ad *domum* s. fontem pertinet; paulo insolentius ad ipsam Nympham relatum: uti fere Propert. II. 23. 49. *nymphas tota urbe crepitantes* dixit. Virgil. Aen. VII. 83. de Albunea: *nemorum quae maxima sacro fonte sonat.* v. Obss. ad III. 13. 15. — 13. *Anio* fluvius, per Tiburtinorum fines decurrens et in Tiberim defluens, ut ait Vib. Sequ. c. 7. v. Dionys. Halic. V. p. 305. et Demster. Etr. reg. II. c. 15. et Cluver. Ital. ant. II. p. 711. — *praeceps,* nam prope Tibur de scopulis cadit. Ovid. Amor. III. 6. 45. *qui per cava saxa volutus Tiburis Argei pomifer arva rigas.* Propert. III. 4. 4. *Candida qua geminas ostendunt culmina turres, et cadit in patulos lympha Aniena lacus.* adde Stat. Silv. I. 3. 21. et I. 5. 25. — *Tiburni lucus,* Tiburno, tanquam heroi vel Deo indigeti consecratus. Tiburnus enim s. Tiburs, Tiburtus, cum Catillo et Cora, fratribus, Tiburis conditor habitus. v. Plin. XVI. 44. et Heyn. Excurs. VIII. ad Aen. VII. p. 151. Lucum memorat et Virgil. Aen. VII. 82. *lucosque sub alta — Albunea:* qui adeo fonti Albuneae subiacebat. — 14. *Pomaria* Tiburtinae regionis olim in maximo pretio fuisse, e pluribus poetarum locis cognoscitur. v. Broukh. et Burm. ad Prop. IV. 7. 81. Drakenb. ad Sil. IV. 225. et Bentl. ad h. l. — *uda,* irrigata. cf. III. 29. 6. IV. 2. 30. — *mobilibus,* ornat, ut *lympha fugax* II. 3. 12. *aqua trepidans* Ep. I. 10. 21.

v. 15 *sqq.* In hanc amoenissimam regionem secede, ibique genio indulgendo curarum, quibus te nunc maceras, obliviscere. Perpetuo enim ne te maerore conficias, ipsa rerum natura ac vicissitudo te dehortatur. Vides enim serenam tempestatem succedere nubilae. Praeclara vero ac prorsus lyrica sententiarum inflexio! v. ad v. 20. — *ut saepe,* οἷά τε πολλά, sollenni more in comparatione. — *Notus*

Triſtitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero: ſeu te fulgentia ſignis
Caſtra tenent, ſeu denſa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque

Quum

tus albus, λευκόνοτος, ἀργέστης, Apollon. Rh. IV. 1628. ab effectu. Sic *Favonius ſerenus* Plaut. Merc. 2. 35. *qui facit tranquillitatem*, ut ipſe v. 36. explicat. *Venti ſereni* Ovid. Faſt. I. 681. *clarus Aquilo* Virg. Ge. I. 460. *purus Boreas* Lucan. V. 704. *clarus Eurus* Rutil. Itin. I. 541. ubi v. Intpp. et Lamb. h. l. — *deterget*, fugat, pellit *nubila. Nubila ſolis radiis deterſa* ſimiliter Claudian. de VI. Conſ. Honor. 539. — *caelo obſcuro*, obſcurato, nubibus obducto. Ornat h. l. — 16. *parturit*, exquiſite, pro, parat, adducit *imbres*. — 17. *Perpetuos* docte pro adv. perpetuo. — *Sic tu* continuo maerori ne indulgeas, aliquando *fini*, coerce, tempera, pelle *triſtitiam*. — *Sapiens*, quod ſapientis eſt, ſapienter, ut I. 11. 6. *ſapias*. — *vitae labores*, aerumnas, curas animi. — 19. *mero molli*, nempe vetuſtate, vel omnino dulci, μαλακῷ. *Molle Calenum* Iuven. I. 69.

v. 19. Vulgare erat: ubicunque ſis. Pro hoc erat: ſeu in militia verſeris, ſive in otio ruſtico vivas. Militiae, quod generalius erat, ſubſtituit caſtra, et vitae ruſticae regionem Tiburtinam, quae exquiſitiſſima eſt inflexio ad conſilium poetae primarium; dum amico, in caſtris nunc verſanti, non diſerte, ſed tecte ſuadet Tibur ſecedere. Quo et valet temporum ratio: ſive te caſtra *tenent*, ſive Tibur *tenebit*. Nam *tenebit* admodum molliter Horatii exprimit conſilium; quo eodem Tiburtinum agrum tantis laudibus vv. 12—14. extulerat. — *fulgentia ſignis* militaribus, aquilis aureis, aliis. graphice hoc. — *tenent*, ſi ibi verſaris, es. — *denſa* nemorum *umbra* circa *Tibur tuum*, quod ideo amas, lubenter ibi moraris. Forte etiam in ea regione villam Plancus habebat.

v. 21 *ſqq.* Sententiam, vino curas eſſe abigendas, ac meliora ſperanda, praeclare poeta animavit, ſummamque ei vim ac gravitatem conciliavit, dum nobilem priſcae antiquitatis heroem eam praecipientem inducit. De conditione, Aiaci et Teucro, Telamo-

Quum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
Sic tristes adfatus amicos:
Quo nos cumque feret melior Fortuna parente,
Ibimus

Telamonis filiis, ne alter fine altero in patriam rediret, a patre proposita, de Teucrique exilio, eiusque ad Cyprum, in qua urbem patriae cognominem conderet, pervulgata omnia. v. Pind. Nem. δ. 76 sqq. Sophocl. Ai. 1036. Eurip. Hel. 91. Virg. Aen. I, 623. et Vellei. Pat. I. 1. init. Transsumta haec narratio forte e poetae graeci dramate, idque e scena, ubi Teucer in itinere, appulsa ad litus nave, cum sociis Herculi, exulum Deo tutelari, sacrum faceret, et inter epulas, se illosque exhilaraturus, ea, quae sequuntur, diceret. Exstabat etiam Pacuvii tragoedia, *Teucer* (Cic. de Or. II. 46.) et ipsa haud dubie e graeco exemplo expressa. — *quum*, licet, longe infelicior te, *fugeret* a patre in exilium pulsus, mare exul pererraret; *tamen* tantum abfuit, ut hocce infortunium animum eius frangeret, ut potius, vino exhilaratus, socios suos pristinorum malorum, quae fortiter tulissent, recordatione erigeret, et ad nova subeunda vino invitatos excitaret. Teucrum corona caput vinxisse, vinoque se largius invitasse, docte admodum atque concise poeta elocutus est. — *uda Lyaeo tempora* proprie, et ex usu poetarum loquendi sollenni: nam vino haustо tument, incalescunt, ac madent sudore tempora. Tibull. I. 2. 3. *Neu quisquam multo perfusum tempora Bacchò excitet.* — *vinxisse*, cinxisse. — *populea corona* sollennis in sacris Herculis. v. Virgil. Aen. VIII. 286. Docte adeo poeta Herculi a Teucro sacrificium paratum innuit. v. ad v. 21. — 24. *tristes*, de futuro sollicitos; etiam ob exilium. Male Cruq. — *amicos*, φίλους ἑταίρους: mox *socios* exilii sui ac viae *comites* dictos. — *adfatus* ad consolationem trahitur a nonnullis, ut V. 13. 18. quod argutius videtur.

v. 25 *sqq.* *Quocunque* terrarum, in quamcunque terram nos *Fortuna*, fatum *feret*, ducet, quamcunque nobis habitandam assignabit, *ibimus*, eamus, eam petamus. Ad sententiam Virgil. Aen. V. 709. *quo fata trahunt, retrahuntque sequamur; quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.* — *melior parente*,

Ibimus, o ſocii comitesque.
Nil deſperandum Teucro duce et auſpice Teucro;
Certus enim promiſit Apollo,
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes, peioraque paſſi
Mecum

parente, indulgentior, benignior Telamone, patre: cum vi adiectum, ad erigendos ſociorum animos. Nititur vero iſta ſpes melioris fortunae oraculo Apollinis, Teucro dato, v. 28. — 27. *Nil*, κατ' οὐδὲν, non *deſperandum*. — *Teucro duce et a. T.* dum Teucer vos ducat, Teucri (cum vi repetitum) auſpiciis novam ſedem quaeratis, cum vi dictum pro, me duce, meo ductu, meo auſpicio. v. Obſſ.

v. 28. *Apollo certus*, qui vera, exitum habentia oracula edit, ἀληθὴς, ut ſaepius de vatibus. v. Intpp. ad Lucan. IX. 512. adde Sidon. Apoll. VII. 27. — *promiſit*, vaticinatus eſt. Etiam hoc verbum de vaticiniis proprium. v. Ovid. Faſt. I. 517. Stat. Theb. II. 169. III. 475. et Achill. II. 342.

v. 29. Mira enuntiatio ſententiae vulgaris: novam a me Salamina conditum iri. Sed egregie ſervavit τὸ ἦθος poeta in reddendo ambiguis verbis oraculo. — *Salamina* iſtam veterem *ambiguam futuram*, dubiam, dubii nominis fore, *nova tellure*, propter novam Salamina, in alia regione a me condendam; Salaminis nomen dubium et ambiguum fore, alia eiusdem nominis a me condita; dubitatum iri, utra Salamis, recentiore a me eodem nomine appellata, intelligenda ſit, h. ut iam monui, aliam a me conditum iri: nihil amplius. *Conſtituit* vero *Salamina cognominem patriae ſuae* in Cypro inſula; ut Vellei. ait I. 1.

v. 30. Fere ut Virgil. Aen. I. 199. *O paſſi graviora, dabit deus his quoque finem*, ex Homeri imitatione Od. μ. 208. et Orph. Arg. 1146. τλῆτε φίλοι τὸν μόχθον· ἐπεί νύ τοι οὔτι χέρειον ἔλπομαι ἀνστήσεσθαι. — O qui tam fortiter praeſentia mala toleratis, imo his *peiora*, graviora tanquam *viri* iam perpeſſi eſtis, unde ſperare licet, vos et leviora, quae nobis forte ſuperanda ſint, aequo animo laturos. — 31. *mecum* praeclare

Mecum ſaepe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus aequor.

clare adiectum, propter me, patria expulſum; niſi ſimpliciter ad conſolandos ſociorum animos valet, quod eosdem labores et ipſe fortiter tulerit. — 32. *iterabimus aequor*, docte, pro, curſum in mari repetemus, iterum navigabimus (cf. ad I. 34. 4.); vino animoſi facti novos labores fortiter ſubeamus atque toleremus. Ergo ad litus appulerant, ſacra Herculi facturi. — *ingens*, ornat.

CAR-

CARMEN VIII.

ARGVMENTVM.

Lydia, cuius passim meminit Horatius, Sybarin ita amore corruperat, ut omissis omnibus, quae ingenuum adolescentem Romanum decerent, studiis atque exercitationibus, totum se mollitiei traderet, atque apud se, tanquam Achilles in Lycomedis gynaeceo, delitesceret. Poeta igitur, ut Sybarin ab hoc amore avocet, mores eius generosamque indolem nunc deflexam atque in peius mutatam picturis quibusdam vivide delineatam ei ob oculos ponit, ita tamen, ut huius rei culpam in Lydiam, quae eum, illecebrarum suarum laqueis constrictum teneat, totam transferat, eamque tanquam fundi calamitatem ideo obiurget. Argumenti huius levitas praeclaris ornatus lyrici compensatur virtutibus, eique pertractatione docta ac vivida haud vulgaris accedit gratia. Sub Sybaris nomine nobilem aliquem Romanum, forte equestris ordinis, latere, propter campestres exercitationes vv. 4 sqq. memoratas, recte colligas.

ASHMOLEAN MUSEUM OXFORD

A D L Y D I A M.

Lydia dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properas amando
Perdere? cur apricum
Oderit

v. 1 *sq.* Animatur totum carmen oratione ad Lydiam directa, qua ei exprobrat, quod Sybarin amore sui irretitum teneat, sicque ignavum ac mollem reddat. Satis urbane adeo Sybari amorem erga Lydiam, tanquam mollitiei eius atque ignaviae caussam obiicit. De Sybari v. Argum. Magnam statim in exordio vim habet, quod Lydiam per Deos obtestatur, quasi magno se scelere obstringat, quod tam ingenuum adolescentem amoris sui illecebris perdat. — 2. *properas perdere, σπεύδεις ἀπολλύνai*, perditum is, corrumpis, *amando*, dum eum amore irretitum tenes; culpam igitur a Sybari devolvit in Lydiam, meretriciis artibus suis eum vel invito detinentem. Ad verba ac sensum Plaut. Epid. II. 2. 36. *Eam tuus gnatus — deperit: ubi fidemque, remque, seque, teque properat perdere.*

v. 3 *sq.* Exitiosi amoris istius vim atque effecta egregie per partes declarat poeta, Sybaris animum, et mores prorsus immutatos ac peiores inde factos esse; deditum eum olim fuisse campestribus ac militaribus, quae generosum adolescentem decerent, studiis, vacasse eum natationi, palaestrae et sic porro: nunc contra omnem eum laborem subterfugere, atque mollitie diffluentem in Lydiae sinu delitescere. Spectat huc Terentianum, Eun. II. 1. 19. *Dii boni, quid hoc morbi est? adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoscas, eundem esse?* et, qui magis adpositus est, suavissimus Plauti locus Mostell. I. 2. 62. *amor advenit in cor meum; is usque in pectus permanavit, permadefecit cor meum. Nunc simul res, fides, fama, virtus, decusque deseruerunt. Ego sum in usu factus nimio nequior.* et mox v. 71. *Cor dolet, cum scio, ut nunc sum, atque ut fui; quo neque industrior de iuventute erat arte gymnastica, disco, hastis, pila, cursu, armis, equo.* En totum fere carminis argumentum, a poeta tantum exornatum atque amplificatum. — *cur oderit*, odit, gravius pro, vitat, eo non venit. Odit proprie labores in campo, pro hoc, ipsum campum; nisi vim odiique caussas in epith. *aprico*, quod

Oderit campum, patiens pulveris atque
ſolis?
Cur neque militaris
Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?

Cur

quod is ſoli nimis expoſitus eſſet, cuius adeo aeſtus Sybari nunc intolerabiles viderentur, malis ponere. Forte tamen utrumque recte ſtatuas. — *Campum* intellige Martium, in quo exercitationes, quas mox ſubiungit poeta, a Romanis inſtituebantur. — *patiens . . . ſolis*, patiendo, tolerando ibi pulverem ac ſolem pro vulgari, exercendo ibi corpus: ſed alterum cum dilectu, quod moleſtiae notionem infert, propter quam nunc iſtas exercitationes omittit. Simplicior omnino totius ſententiae enuntiatio erat: Cur nunc defugit exercitationes in Campo Martio, quaſi Solis aeſtum atque pulverem ferre nequeat. Sic Iuvenali VII. 33. robuſta ac viribus integra *aetas* dicitur *patiens pelagi, et caſſidis atque ligonis.* Pariter Claudian. in Eutrop. II. 410. *avidus ſplendere lavacris, nec ſoles imbresve pati*, de molli homine.

v. 5 *ſqq.* Iam exercitationum genera quaedam ſubiicit poeta. Primo loco ponit equitationem, quam et III. 24. 55. inter ſtudia, quae ingenuum adoleſcentem decent, collocat. — *militaris*, militari more, tanquam miles. — 6. *inter aequales*, qui adeo iisdem ſtudiis militaribus vacare deberet. Ad opprobrium igitur Sybari faciendum haec adiecta puta. — *Gallica . . . frenis*, haec exornant priorem ſententiam ſpeciali notione, quae equitandi artem oſtendit, in ferocioribus equis domandis ſpectatam, quam ideo tanquam rem nimis moleſtam Sybaris nunc intermittit. *Gallica ora*, audacius pro, os equi Gallici. Ex equis vero Gallicum hic ponit, quod ii eſſent ferociores adeoque difficilius *temperandi*, compeſcendi, regendi. Opus adeo iis domandis erat *frenis lupatis*, freno, cui lupi, λύκοι, ferrei aculei inſerti eſſent. Ovid. Amor. I. 2. 15. *Aſper equus duris contunditur ora lupatis.* adde Virg. Ge. III. 208. Caeterum Horatium hic equeſtre nobilium iuvenum Romanorum certamen, ludum Troiae dictum, reſpicere contendunt nonnulli. Sane ſic τὸ *militaris* ſatis proprie dictum eſſet. Nam in hoc ludo iuvenes in turmas diviſi et galea atque haſtilibus ornati (Virgil. Aen. V.

Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque iam livida gestat armis
Brachia, saepe disco,
Saepe

645 sqq.) ludebant, s. pugnam equestrem adumbrabant. Sed ludus Troiae erat sollennis, et raro actus.

v. 8 *sqq. timet tangere*, tactum refugit, tanquam nimis periculosum, pro, non tangit; quod verbum ipsum egregie mollem Sybaris animum depingit. Positum adeo pro vulgari, non intrat Tiberim, non natat in Tiberi. *Flavus* is dicitur, perpetuo epitheto. v. I. 2. 13. De re v. III. 7. 27. ubi pariter equestria studia cum natatione coniunxit. Quae eadem coniuncta habes in Tibull. I. 4. 12. *hic placet, angustis quod equum compescit habenis, hic placidam niveo pectore pellit aquam.* adde Stat. Silv. IV. 5. 40. Pariter de molli homine Lucan. VIII. 374. *Non frangit nando violenti vorticis undam.* — 8. Cur non palaestrae s. luctae studiis vacat? Oleo, cui interdum cera immiscebatur, (unde ceroma dicitur) inungebantur luctaturi, quo artus magis lubrici redderentur; tum sequebatur haphe. v. Gronov. Diatr. Stat. c. XXV. et rei agonisticae scriptores. Ad Sybaris igitur animum ab his studiis quam maxime alienum declarandum *cautius* eum *vitare* ait, sibi magis cavere, corpori suo, si oleo inungatur, aeque timere ac si *sanguine viperino*, veneno inficeretur. Sanguinem viperinum cum dilectu posuit; nam is in efficacissimis venenis habebatur. cf. V. 3. 6. — 10. *neque iam arma* (*campestria* haec vocat A. P. 379.) ὅπλα, *discum* et *iaculum* tractat. Graviter pro hoc, *non gestat*, habet, eius brachia non sunt *livida* facta, armorum pondere ac usu. *Campestribus* igitur *armis abstinet* Sybaris, ne mollia ac candida brachia livorem contrahant. *Discus* erat orbis magni ponderis, ex aere, ferro, aut lapide, tantaeque magnitudinis, ut non solum manum impleret, sed et mediam ulnam attingeret (Stat. Theb. VI. 672.) unde brachia livida facta esse facile intelligitur. Is vel sursum manu emittebatur (Stat. Achill. II. 439. *Oebalios in nubila condere discos*) vel ad limitem aliquem constitutum proiiciebatur. Ludi huius descriptionem habes in Homer. Od. ϑ. 186 sqq. et inde Stat. Theb. VI.

646

Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
Funera, ne virilis
Cultus in caedem et Lycias proriperet
catervas?

646 sqq. *Iaculum* et ipsum pondere suo ac ferrata cuspide lividas in brachiis notas efficere poterat. — *nobilis*, quum olim excelluerit in disci et iaculi iactu, quae *saepe* vel *trans finem*, limitem constitutum, ultra scopum *expedisset*, proiecisset, emisisset.

v. 13 *sqq.* *Quid latet*, desidet apud te, *ut* latuisse *dicunt* filium marinae Thetidis, *ἁλίας*, *πορτίας Θέτιδος*, Achillem. Rem in Achilleide persecutus est Statius; adde Bionis Id. ζ. Occultaverat eum mater in Scyro apud Lycomedem sub veste muliebri, ne ad bellum Troianum, in quo eum moriturum in fatis erat, ire cogeretur. Apte satis hic cum Achille Sybaris comparatur; nam et ille in Scyro, Deidamiae amore captus totum se mollitiei dederat. — *sub funera*, ante cladem, exitium *lacrimosum*, lacrimabile, funestum. e gr. *δακρυόεις*: dictum adeo exquisitius pro, instante bello Troiano, Graecis ad Troiam expugnandam coeuntibus. — 15 *sq.* Forma prosaica erat: ut Achillem cultu muliebri occultatum ferunt, ne proriperetur in b. *Ne* eum *cultus*, habitus *virilis*, *proriperet* h. cogeret (eo proditum, agnitum) proficisci *in caedem*, ad pugnam, sed illud gravius de Achille fortissimo heroe, ac *cedere nescio*. — idque (nam *et* explicativum est) adversus *Lycias catervas*. Lycii, qui Troianorum socii erant, docte hic ponuntur pro universis Troianis. Iidem cum Troianis comparati etiam Homero Il. δ. 197. et Pind. Nem. γ. 101 sqq. de Achille: *ὄφρα θαλασσαίας ἀνέμων ῥιπαῖσι πεμφθεὶς ὑπὸ Τροΐαν δορίκτυπον ἀλαλὰν Λυκίων τε προσμίνοι καὶ Φρυγῶν*, qui locus omnino huc facere videtur.

CARMEN IX.

ARGVMENTVM.

Probabile est, Thaliarchum, amicum Horatii, ad quem hoc carmen est, fuisse Graecum iuvenem, divitem et nobilem, qui Romae viveret, haberetque villam in Falisci, haud procul monte Soracte: et in hac ipsa villa Horatium hanc oden fecisse. Nam licet forte mons ille cerni a Roma etiam potuerit, tamen longius inde distabat, quam ut ibi versantis poetae ingenio primam quasi impulsionem eius adspectus imprimeret. Deinde manifesto idea versuum primorum quatuor rure potius quam in urbe concepta est. Igitur ab hiemis regioni isti, in quam e villa Thaliarchi prospectus erat, attemperata descriptione exorsus poeta Thaliarchum ad conviviorum, quae hiemali tempori aptissima sint, (Virgil. Ge. I. 301. de agricolis: mutuaque inter se laeti convivia curant. Invitat genialis hiems curasque resolvit) hilaritatem exhortatur. Hinc ad generale de vita suaviter ac sine curis transigenda praeceptum delatus, eundem monet, ne anxia futuri sollicitudine praesentis temporis fructum intercipi, sicque iuvenilem aetatem, lusibus eam iocisque aptissimam, temere sibi elabi patiatur, quum eam mox senectus morosa omnisque hilaritatis expers sequatur. Eximiam argumenti huius ac vere lyricam tractationem, sententiarum dignitatem atque gravitatem, tum Anacreonteam in exitu carminis remissionem observent Venerum

rum poeticarum ſtudioſi. Initium carminis manifeſto reſpondet Alcaei fragmento apud Athen. X. 8. quod ſic legendum videtur:

Ἔει μὲν ὁ Ζεὺς, ἐν δ' ὀρανῷ μέγας
Χειμών, πεπάγασιν δ' ὕδατων ῥοαί·

. . . . . .

. . . . . .

Κάββαλλε τὸν χειμῶν', ἐπὶ μὲν τιθεὶς
Πῦρ, ἐν δὲ κίρνας οἶνον ἀφειδέως
Μελιχρὸν, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ
Μαλθακὸν ἀμφιτίθει γνάφαλλον.

unde facile ſuſpiceris, Horatium ex Alcaei ode, cuius haec particula eſt, totam ſuam, romanis tamen lineamentis iniectis, expreſſiſſe. Similis coloris eſt L. V. c. XIII.

AD THALIARCHVM.

Vides, ut alta ſtet nive candidum
Soracte, nec iam ſuſtineant onus
Silvae laborantes, geluque
Flumina conſtiterint acuto.

Dis-

v. 1 *ſqq.* *Vides ut*, nota ac ſatis frequentata poetis forma, qua orationi vigor conciliatur, legentisque animus erectior fit. — *ſtet candidum* docte pro vulgari, candidum, tectum ſit *nive*. *Stare* nimirum et *attolli* ea dicuntur, quae erectiora ſunt, ſollenni poetarum loquendi more. Ovid. Faſt. V. 169. *Nondum ſtabat Atlas.* et ſic ſaepius. Atque haec quidem interpretandi ratio ſatis commoda videtur; aliam tamen h. l. ineundam ſuadet imitatio Senecae Thyeſt. 117. *Cithaeronis iuga* ſtant parte nulla *cana depoſita nive*, h. Cithaeron ſubſedit, minor factus eſt, ſolutis prae umbrae horrore nivibus. Igitur *mons nive ſtare* h. l. dicitur, qui ea attollitur, erigitur, excelſiorem ſpeciem prae ſe fert. Sic contra *Othrys* Stat. Ach. I. 426. caeſis arboribus *minor*, et *Taygeta ardua ſidere* dicuntur. Male alii: *ſtat*, plenum eſt nive, et Sanad. conſtat quaſi nive. Meliorem paullo rationem Gesnerus iniit, Soracten nive ſtantem, nive horrentem, rigentem exponens. Cui favere videri poſſit Virgil. Ge. III. 369. *ſtant circumfuſa pruinis corpora magna boum.* ſed ibi de re animata uſurpatur. — *nive candidum* ut *Thrace nive candida* III. 25. 10. — 2. *nec iam ſuſtineant*, prope ferre amplius nequeant, aegre ferant *onus* nivis *ſilvae laborantes*, γέμουσαι, nivis ramos degravantis ponderi aegre obnitentes, nive oppletae. Exquiſito enim loquendi uſu poetis ea *laborare* dicuntur, quae grave aliquod onus ſuſtinent, illud vix tolerant. Ovid. Met. II. 296. *Atlas en ipſe laborat, vixque ſuis humeris candentem ſuſtinet orbem*, et, qui Ovidii locum imitatus eſt, Stat. Th. VIII. 315. *aſtriferumque domos Atlanta ſupernas ferre laborantem.* De trabe aedes ſuſtinente, quae ideo *luctans* dicitur, Pindar. Pyth. Δ. 477. ἢ σὺν ὀρθαῖς κιόνεσσι δεσποσύνεισιν ἐρειδομένα μόχθον ἄλλοις ἀμφέπει δύσταονον ἐν τείχεσι. Similiter *attolerare* adhibuit Apulei. Met.

Disſolve frigus, ligna ſuper foco
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.

Per-

Met. II. p. 90. ed. Ruhnk. *Atria longe pulcerrima — attolerabant ſtatuas palmaris deae.* Eadem vi Stat. Achill. I. 525. *exſiliunt crines, rigidisque laborat vitta comis,* h. aegre coercet comas. Idem uſus *τοῦ gemere* apud poetas, tanquam Virg. Ge. IV. 173. — *conſtiterint gelu,* curſu ipſorum impedito, glacie adſtricta, concreta. Ovid. Triſt. V. 10. 1. *Vt ſumus in Ponto, ter frigore conſtitit Iſter.* Alcaeus: *πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί·* ornatior Noſter. — *gelu acutum* ut *acris hiems* I. 4. 1. *χιὼν ὀξεῖα* Pind. Pyth. I. 39. *Flumina* vero h. l. non de Tiberi, ſed de fluviis minoribus in Faliſcis intelligenda.

v. 5 ſqq. Disſolve ſc. calore, igne accenſo, cum dilectu pro vulgari: mitiga, pelle frigus. Nam frigore res dicuntur adſtringi, eaedemque calore reſolvi. v. ad I. 4. 1. Quanto gravius Alcaeus, *κάββαλλε τὸν χειμῶνα.* — *ligna . . . reponens,* congeſtis et acceuſis ſuper foco lignis. Alcaeus: *ἐπὶ μὲν τιθεὶς πῦρ,* quod conciſius et doctius. cf. III. 17. 14. — 6. *benignius,* benigne, liberaliter, *ἀφειδέως* Alc. — *deprome . . . diota,* hauri vinum Sabinum poculis maioribus, adeoque te largius vino invita, vitae deliciis fruere. Nam *promi* dicitur et cadus, qui horreo conditus ſ. repoſitus eſt, et vinum cado. v. III. 21. 8. 28. 2. V. 2. 47. Alcaeus: *ἐγκίρνας οἶνον μελιχρόν. diota* vas vinarium, utrimque anſatum, *δίωτον,* quo vinum e cadis hauſtum in minora pocula diffundebatur, *καδίσκος δίωτος* apud Athen. XI. p. 473. *κισσύβιον ἀμφῶες* Theocr. I. 28. *Sabina* non, quae in Sabinis facta eſt, ſed quae vinum Sabinum continet, ſollenni epitheton rum translocatione. Sic *Laeſtrygonia amphora* III. 16. 33. — *quadrimum* adeoque iam ſatis vetuſtum, etſi poſt ſeptem demum annos *ἐπιτήδειος πίνεσθαι* iudicatum Athen. I. p. 27.

v. 9 ſqq. Indulge igitur genio, et caeterarum rerum omnium curam a te alienam puta. Dii de his viderint, qui omnia regunt numine ſuo. *Permitti* ea *Diis* dicuntur, quae vel in poteſtate noſtra ſita non ſunt, quorum adeo eventus incertus eſt, vel quae omnino futura ſunt.

Permitte Divis caetera: qui ſimul
Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes, nec cupreſſi
Nec veteres agitantur orni.

Quid

ſunt. Pind. Ol. γ. 149. Διὶ τοῦτ' Ἐνυαλίῳ τ' ἐκδώσομεν κράσσειν. Ad ſenſum et verba poetae Theogn. 1013. νῦν μὲν πίνοντες τερπώμεθα καλὰ λέγοντες· ἄσσα δ' ἔπειτ' ἔσται, ταῦτα θεοῖσι μέλει. Eurip. fragm. Creſſ. n. VIII. ed. Lipſ. τὰ δ' ἄλλα (caetera) χαίροι, κύλικος ἑρπούσης κύκλῳ. Id. Alc. 791. εὔφραινε σαυτὸν, πῖνε· — τὰ δ' ἄλλ' ἴσασιν ταῦτα. Amphis in Grot. Exc. p. 519. ὅστις δὲ θνητὸς γενόμενος μὴ τῷ βίῳ ζητεῖ τι τερπνὸν προσφέρειν, τὰ δ' ἄλλ' ἐᾷ, μάταιός ἐστιν. Pallad. c. 29. (Anal. Br. II. 413.) εὔφραινε σαυτὸν, λήθην τοῦ θανάτου τὸν βρόμιον κατέχων — τἄλλα δὲ πάντα Τύχῃ πράγματα δὸς διέπειν. — *Caetera*, τὰ ἄλλα, quae ad nos non pertinere arbitramur, ſollicitae de futuris cogitationes, quae praeſentem laetitiam turbare poſſint, omninoque res odioſae ac moleſtae, ut V. 13. 7. — *qui ſimul . . . orni.* Vulgare erat: *permitte* iſta Diis, qui provident omnibus rebus, omnium rerum vices temperant, (cf. I. 12. 16.) qui tempeſtati quietem, triſtibus adeo laetiora ſuccedere iubent. Docte igitur comparationi involvit ſententiam poeta, fere ut II. 10. 15. *informes hiemes reducit Iupiter, idem ſummovet.* — *ſimul ac ſtravere*, proſtraverint, ſedaverint, compoſuerint. Aliter dicitur *aequor ſterni*, quod tranquillum fit, ut Hom. Od. γ. 158. cf. Barth. ad Stat. Silv. III. 1. 3. — *deproeliantes*, acerrime inter ſe concurrentes. Sollenne hoc de tempeſtate. v. ad I. 3. 12. *aequore fervido*, quod fluctibus, ventorum vi commotis, effervefcit, ζέει. Virgil. Ge. I. 327. — *nec cupreſſi . . . orni*, omnia ſtatim tranquilla redduntur, quieta ſunt. Pro eo: arbores immotae ſtant, et ex his *cupreſſos* et *ornos* ponit, tanquam poeta. *Veteres*, annoſae, procerae. *Antiqua ſilvarum brachia* Stat. Th. I. 361.

v. 13 *ſq.* Noli anxie ac ſollicite de craſtino die cogitare, ipſumque diem, quem tibi fatum fruendum dedit, laetus transige. *fuge*, noli, ut II. 4. 22. *quaerere*, ne quaeras, ne ſollicitus ſis de futuro. *Quaerere*, ut I. 7. 1. II. 11. 4. Ad ſenſum Philetaerus apud Grot.

Quid ſit futurum cras, fuge quaerere: et
Quem Fors dierum cumque dabit, lucro
Adpone: nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas;
Donec

Grot. Excerpt. p. 875. τί δεῖ γὰρ ὄντα θνητὸν, ἱκετεύω, ποιεῖν, πλὴν ἡδέως ζῆν τὸν βίον καθ' ἡμέραν — εἰς αὔριον δὲ μηδὲ φροντίζειν, τί ἂν ἔσται. — 14. *quemcunque diem*, ſingulos dies, quos *tibi dabit*, frui concedet *Fors*, fatum, αἶσα, μοῖρα. Antiquis *Fors* dea eſt, ad caſus incertos pertinens, et, cum hos bonos affert, *Fors fortuna* h. fortunans dicta. Terent. Phorm. V. 6. init. Cic. Legg. II. 11. extr. Ovid. Faſt. VI. 773 ſqq. Igitur h. l. praeclarum et doctum eſt verbum, ſententiaeque aptiſſimum. — *lucro appone*, in lucro pone vel habe, h. ita fruere, quaſi tibi praeter exſpectationem vitae tuae termino adiectus ſit. Plaut. Merc. III. 2. 10. de ſene: *id iam lucro eſt, quod viuis*. Seneca de Benef. V. 17. *Satius eſt, gratum adverſus perceptas voluptates, non aliorum annos computare, ſed ſuos benigne aeſtimare, et in lucro ponere*. Sotades in Grot. Flor. Stob. p. 399. quanquam paullo aliter: ἡμέρας μιᾶς ἀλυκία, μέγα ἐστὶ κέρδος.

v. 15 ſq. Iis adeo, quae aetati tuae iuvenili conſentanea ſunt, fruere, iucunde vive, dum per aetatem licet. Hoc ſpeciali notione expreſſit per *amores* et *choreas*. *nec ſperne*, indulge, vaca amoribus, ſectare eos, ut I. 1. 21. *dulces* ornat. Sic γλυκεῖα Κύπρις Theocr. I. 95. γλυκεῖα Ἀφροδίτη Pind. Ol. 6. 57. ἔρως γλυκὺς et ſic ſaepius. — *Puer*, dum puer es, dum per aetatem decet. — *nec*. . . *neque tu*. Vim aliquam illud *tu* acquirit ipſa collocatione. Solet enim, ubi ſententia particulis ἢ — ἢ vel ſimilibus includitur, repeti pronomen in altero membro. Senec. Herc. f. 1248. *Sive me altorem vocas, ſeu tu parentem*. Res paſſim notata VV. DD. v. Clark. ad Hom. Il. γ. 409. Robinſ. ad Heſiod. Ἔργ. 246. et Erneſti ad Callim. Dian. 150.

v. 17. Dum aetas integra eſt, dum corpus vegetum atque luſibus aptum eſt. *Virenti* florenti, iuveni, pro vulgari *tibi*, et hoc pro: a te, in aetatis flore conſtituto *abeſt*. Sic *virens Chia* IV. 13. 6. Ovid. Faſt. V. 274. *iuvenilibus annis luxuriant animi, corporaque ipſa virent*. Sic ἄνθος ἥβας et ſim.

v. ad

Donec virenti canities abeſt
Moroſa. Nunc et Campus et areae,
Lenesque ſub noctem ſuſurri
Compoſita repetantur hora:

Nunc

v. ad V. 13. 6. *canities*, ſenectus *moroſa*, moroſos, triſtes faciens, hilaritatis expers. Nota illa Albiana: *Iam ſubrepet iners aetas nec amare decebit, dicere nec cano blanditias capite.* Antiphanes (Anal. Br. II. p. 204.) c. II. 3. ὅτ' οὖν χρόνος ὥριος ἡμῖν, πάντα χύδην ἔστω, ψαλμὸς, ἔρως, προπόσεις· χειμὼν τοὐντεῦθεν, γήρως βάρος. Ruſin. c. X. (Anal. Br. II. 392.) ζωῆς ἀνθρώποις ὀλίγος χρόνος· ἄρτι Λύαιος, ἄρτι χοροὶ στέφανοί τε φιλανθέες, ἄρτι γυναῖκες· σήμερον ἐσθλὰ πάθω, τὸ γὰρ αὔριον οὐδενὶ δῆλον.

v. 18 *ſqq.* *Nunc*, dum per aetatem licet, dum canities abeſt (eo enim referendum, non ad hiemem), amoris luſibus vacandum. *Repetantur* a te, *repetas*, frequentes, ſecteris: quo ſenſu omnibus ſubiectis congruit, ut nulla h. l. ſit zeugmatis figura. *Campus* Martius, in eoque ambulationes. *Campus* ſimpliciter dicitur etiam I. 3. 4. Ovid. A. A. III. 385. et paſſim. — *Areae*, loca pura, porticus, ubi ambulabatur, et convenire ſolebant amantes. v. Burm. ad Prop. II. 18. 55. — ibique repetantur *lenes ſuſurri*, confabulationes cum amica, leni, ſubmiſſo ſono prolatae, ὀαρισμοὶ, ψιθυρίσματα, παρθένιοι ὀαροὶ Heſiod. Th. 205. λάλημα μείλιχον Silentiarius c. XXI. (Anal. Br. III. 77.) quod Propert. I. 11. 13. *blandos ſuſurros* vocat. — *ſub noctem*, crepuſculi tempore. v. Lamb. Hinc νυχίους ὀαροὺς vocat Incertus c. 253. (Anal. Br. III. p. 202.) — *compoſita*, συντεθείσῃ, pacta, condicta *hora*. — 21. *Nunc et* ſectari te decet *riſum latentis puellae*, et *pignus dereptum*, h. luſus et iocos cum puellis, in quibus riſus prodit puellam et pignus ei deripitur: hac enim hilari imagine luſus illos declarat. Informanda animo puella laſciva, iuvenem perſequentem fugiens, et abscondens ſe, ſed ſe ipſa prodens; fere ut Virg. Ecl. III. 65. de puella: *fugit ad ſalices, et ſe cupit ante videri.* — *riſus* κιχλισμὸς, v. Theocr. XI. 78. *ab angulo intimo*, occultiſſimo ſc. veniens, exauditus *puellae* ibi *latentis*, quaſi reperiri nolit, quod tamen vel maxime cupit. Hinc riſus *proditor*, locum prodens amatori, ubi puella deliteſcit, et *gratus* ei, deprehenſa

per

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo,
Pignusque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

per hunc puella. — *Pignus dereptum*, detractum *lacertis*, adeoque armilla, *aut digito*, annulus, sic absolute vocatus, quod in fidem mutui amoris puellae dari solebat. Iuvenal. VI. 27. *digito pignus fortasse dedisti.* — *male pertinaci*, minus, quam deberet, repugnante, si annulum retinere vellet; noto loquendi usu. Omnino referenda haec ad meros amantium lusus, et parum scite agere videntur, qui hic lusus pignorum, et latebrarum, quales sunt hodie, exprimi somniant. Caeterum totum hunc locum sublegit Auctor Elegg. quae sub Corn. Galli nomine circumferuntur I. 67. *Et nunc subridens latebras fugitiva petebat, non tamen, effugiens, tale* (f. tota) *latere volens. Sed magis ex aliqua cupiebat parte videri; laetior hoc multo, quod male tecta foret.*

CAR-

CARMEN X.

ARGVMENTVM.

Totum hoc ex Alcaeo expressum esse carmen docet Porphyrionis scholion: Hymnus in Mercurium ab Alcaeo lyrico poeta: in quo adumbrando quum poeta nihil omnino, quod ad aetatem suam trahi posset, immiscuerit, religioso alicui usu eum destinatum fuisse, frustra quosdam statuere arbitror. Porphyrionis testimonio accedit Pausaniae auctoritas, qui et hymnum illum Alcaei et ex eo locum de bobus Apollini a Mercurio surreptis diserte laudat VII. 20. Tenemus igitur hic vetustiorum hymnorum lyricorum exemplum, e quo, cum aliis eiusdem generis comparato, eorum naturam atque indolem optime constituere licet. Nimirum quum hymni ab argumento, eiusque tractatione sint vel theologici, e sola antiqua theologia simpliciter ducti, quales Orphici; vel epici, epico more tractatis mythis, ut sunt Homerici et Callimachei; vel physici et philosophici, ut Cleanthis et Procli; lyrici summam fere horum omnium delibare, quaeque unicuique propria sunt, haec omnia sua facere atque complecti videntur, tractationis brevitatem solummodo sibi propriam vindicantes. Cuius rei rationem ipsa lyricae poëseos indoles facile suppeditat. Concitatioris enim spiritus poeta, rerum atque animo inde obiectorum phantasmatum ubertate tumens, dum virtutes alicuius dei, quem celebrandum sibi sumit, munera, facta, notiones physicas caet. uno quasi obtutu comple-

xus

xus eloqui conatur, fieri non potest, quin eius oratio eodem feratur impetu, sensusque suos saepe verbo tantum expediat, moraeque impatiens ad alia, nullo fere idearum nexu, transiliat, quasi hoc solum agat, ut deum, ut cum Virgilio loquar, e turbato pectore excutiat. Luculentissimum huius rei exemplum est c. 20. l. II. cf. et I. 21. — Exorsus igitur poeta a Mercurii natalibus celebrat eum tanquam deum λόγιον, ἐναγώνιον, ἄγγελον ἀθανάτων, αἱμυλόμητιν, (quod duobus exemplis exornat) denique ψυχοπομπόν. Quae quidem Mercurii munera, atque attributa docto ornatu instruxit poeta, ut nobilissima inde ode exiret. Frustra igitur sunt, qui nexum sententiarum in hoc carmine anxie rimantur, summamque omnium, quae de Mercurio praedicantur, ad merita eius de humano genere redire existimant, adeo quidem, ut Iovis nuntium poeta hic celebraverit, quod Deos eorumque consilia homines per eum cognoscant: lyrae inventorem, quod sic eorum delectationi prospexerit; qui in bobus dolose abstractis prudentiae exemplum hominibus dare voluisse, et in Priamo per castra Achivorum ducto periculorum propulsatorem, eius denique animarum ad infera loca deducendarum officium in beneficii, quo de humano genere etiam post mortem bene mereatur, loco ponunt. Neque magis eos audiendos arbitror, qui, quod locus de dolis furtisque Mercurii paullo uberius (haud dubie Alcaei exemplo, uti e Pausan. l. l. liquet) tractatus sit, poetam ipsum rem aliquam tricis plenam, fortasse furtum aliquod amoris meditatum fuisse, atque hac de caussa Mercurium prae caeteris sibi celebrandum sumsisse opinantur.

AD MERCVRIVM.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce

v. 1 *ſqq. Mercuri . . . te canam.* Sollennis haec deorum in hymnorum, inprimis Homericorum atque Orphicorum, exordio allocutio. — *nepos Atlantis* a Maia, Pleiadum una, Atlantis filia ortum ducens. Frequentatum hoc antiquiſſimis poetis, inprimis in hymnis, ut Deos a genere ipſorum deſignent, quo auguſtiorem iis ſpeciem addant. Quintil. Inſt. Or. III. 7. 8. *Addunt etiam diis honorem parentes, ut ſi quis ſit filius Iovis.* De Mercurii genere res nota. vide vel Virg. Aen. VIII. 138 ſqq. — *facunde*, λόγιε. Mercurius enim antiquis orationis et eloquentiae auctor habitus. Hinc λόγου προφήτης dictus Orph. H. 27. 4. Facundia vero ei in ſpecie tribuitur reſpectu miniſterii eius, quo Deorum mandata tanquam orator, ſ. *interpres* (Virg. Aen. IV. 356.) exſequitur. — 2. *feros cultus*, ἀγρίους τρόπους, horridam vitae rationem, incultam vitam, incultos homines. *Cultus* enim generali notione deſignat omnino habitum quendam, vitae rationem, mores. Virgil. Aen. V. 730. *gens dura atque aſpera cultu.* Sil. It. XV. 171. coniungit *morem*, *cultum* et *habitum*, fere ut Ovid. Triſt. III. 8. 37. *moresque hominum cultusque feros*, ubi de exilii ſui loco loquitur. *feros habitus hominum* ſimiliter dixit Id. Faſt. IV. 207. — *hominum recentum*, primorum, antiquiorum. Reſpicitur illud tempus, ubi homines relictis antris, victuque aſpero ad cultiorem vitam progreſſi ſocietates conſtituerunt. — 3. *formaſti*, finxiſti, excoluiſti, ad meliorem vitam perduxiſti *voce*, ſermone illis tributo. Sic Mercurius Pandorae Heſiod. Ἔργ. 79. ἐν δ' ἄρα φωνὴν θῆκε θεῶν κήρυξ. Ovid. Faſt. V. 667. de eodem: *Laeto lyrae pulſu, nitida quoque laeto palaeſtra, quo didicit culte lingua parente loqui.* Praeclare vero ſermoni invento politioris vitae origo tribuitur, ſiquidem inde ſocietas hominum enata, leges factae, artes inventae, omninoque ea conſtituta, quae homines ad meliorem vivendi rationem perducerent. Cf. Serm. I. 5. 99 ſqq. Spectat huc inprimis Cic. de Orat. I. 8. de eloquentia: *quae vis alia potuit aut*

Voce formasti catus, et decorae
More palaestrae:

Te canam, magni Iovis et Deorum
Nuntium, curvaeque lyrae parentem;
Calli-

aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere? — catus, cate, prudenter, sapienti consilio, qui intelligeres, agrestes hominum cultus ita optime emendari posse. Possis et iungere: *catus voce et more palaestrae*, cum praestares, insignis esses eloquentia et palaestra, quibus adeo id effectum dares. Suadet certe hanc rationem imitatio Ausonii epigr. 93. *Phegeus catus arte palaestrae.* — 4. *more* inducto *palaestrae*, h. palaestra, certaminibus agonisticis. *Mos* est lex, praescripta quaedam ratio, ad quam certamina fiunt. *Iura palaestrae* vocat Propert. III. 12. 1. Lucan. IV. 614. *Olympiacae servato* more *palaestrae.* Iam Pind. Ol. ε. 117. τεθμῷ ἀέθλων. Hinc oleum, quo palaestritae inungebantur, *legitimum* vocat Petron. c. 21. uti docte expedit Gronov. Diatr. Stat. p. 149. — *decorae*, quae corpori decentiorem habitum, εὐεξίαν (quam ideo Mercurio tribuit Lucian. T. I. p. 242. ed. Reiz. uti Virg. Aen. IV. 559. *membra decora iuventae*, quae et ex eius statuis elucet) motum concinniorem (Senec. Herc. f. 1124. *Non Argiva membra palaestra flectere docti, fortes caestu, fortesque manu;* quas *vires* Cic. de LL. I. 6. vocat *agrestes*, et *horridas*, *sine nitore et palaestra.*) quin ipsa exercitatione maius robur, viriumque usum expeditiorem, omninoque homines rebus agendis magis idoneos efficit. Recte igitur inter instituta refertur, quibus homines a Mercurio exculti sunt. Dictus inde ἀγώνιος, ἐναγώνιος, veluti Orph. II. 27. 2. Simonidi apud Athen. XI. 12. p. 490. Pind. Pyth. 2. 18. et Lucan. IX. 661. *auctor liquidae palaestrae*: eiusque et Herculis statuae ideo in gymnasiis positae.

v. 5—8. Alia enumerantur Mercurii attributa, nullo fere idoneo nexu, ex antiquissimorum hymnorum ratione. *Magni I. et D. nuntium*, ἄγγελον ἀθανάτων ἠριούνιον, διάκτορα, ut saepius. Memorat hoc poeta tanquam praecipuum Mercurii munus, nullo respectu utilitatis, quam quidam ex hoc inter caelum et terras commercio in humanum genus redundantem

Callidum, quidquid placuit, iocoso
Condere furto.

Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce

comminiscuntur. Neque magis cum antiquitatis sensu congruit, quod Mercurium non solum institutioni hominum, sed et lyra inventa eorumdem oblectationi prospexisse iidem mox afferunt. — 6. *lyrae parentem*, inventorem, qui construxit lyram e testudine, cui nervos ovium intenderet. Locus class. apud Hom. H. Merc. 40 sqq. Lucian. D. D. VII. et Apollod. III. 10. 2. — *curvae*, convexae, ob cavum resonum, τὸ κῆτος, soni augendi gratia. Hinc φόρμιγξ χελύκλονος Ἑρμείωνος dicta Orph. Arg. 381. ubi v. Gesn.

v. 7 *sq.* Ordo sententiarum sic procedit: *te canam — Deorum nuntium, lyrae parentem* et *callidum c. Callidum condere* graeca structura, pro, *callidum*, ingeniosum, sollertem, αἱμυλόμητιν, ad *condendum*, occultandum *furto*, h. ad furandum, σοφὸς κλέπτειν. *quicquid placuit*, auget notionem astutiae Mercurii. Omnino haec de furtis Mercurii notio e summa antiquitate repetenda videtur, ubi doli ac fraudes non tam in vetitis haberentur, quam potius ab ingenii sollertia commendationem haberent; quam cum maximam Mercurio attribuerent, sane proclive erat, ut hanc eadem simplicitate eloquerentur ac declararent per furta ac fraudes, quibus Mercurius aliis illuderet. Hinc *furtum* dicitur *iocosum*, ioci causa perpetratum, παιδιά, qua voce eiusdem Dei furta indigitat Lucian. Catapl. T. I. p. 624. ed. Reiz. μὴ ἐπὶ πάντων, ὦ Ἑρμῆ, χρῶ τῇ κλεπτικῇ, ἄλλοι σοι αἱ ἐν οὐρανῷ παιδιαί. Sic παίζειν et κακὰ παίγνια Theocr. XV. 49. ubi v. Valken. p. 359.

v. 9 — 12. Affert iam poeta duo fraudulenti eius ingenii exempla, alterum de bobus Apollini surreptis, alterum de pharetra eidem clam detracta. Vtrumque hoc, quod diverso tempore a plurimis editum narratur, Horatius, quo magis vafritiem Mercurii extolleret, miro artificio ita coniunxit, ut Mercurium inter ipsas Apollinis minas, quibus ad reddendas boves compelleretur, eidem, pharetra subducta, nova fraude illudentem induceret. Sed fabulam hanc ab Alcaeo ita iam adornatam tradit Porphyrio: et ipsa paullo abstrusior verborum

siru-

Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

Quin et Atridas, duce te, superbos,
Ilio dives Priamus relicto,

Thes-

structura, et concisa dictio abunde docet, Nostrum in exprimendo Alcaei loco forte nimis laborasse. Verba ita expedienda: *Apollo, dum te puerum*, παῖδα ὄντα, qui vix trium dierum esses (Homer. H. in M. 19.) *minaci voce terret*, gravissimas, quibus te terreret, poenas minaretur, quas à te sumturus esset, *nisi reddidisses boves, olim*, paullo ante *per dolum*, furtim *amotas*, abactas, eo ipso momento *risit viduus* (ὤν, h. se viduum) *pharetra*, docta brevitate ac graeca forma pro, videns se viduum, privatum pharetra risum continere non potuit. Vltima fere conveniunt cum tabulae Neapolitanae descriptione apud Philostrat. Ic. I. 26. quam ideo huc transferam: ὁ Ἑρμῆς ἵσταται κατόπιν τοῦ Ἀπόλλωνος· καὶ κούφως ἐπιπηδήσας τοῖς μεταφρένοις ἀψοφητὶ λύει τὰ τόξα καὶ συλῶν μὲν διέλαθεν· οὐ μὴν ἠγνόησε σεσυληκώς. Ἐνταῦθα ἡ σοφία τοῦ ζωγράφου· διαχεῖ γὰρ τὸν Ἀπόλλωνα, καὶ ποιεῖ χαίροντα. Μεμέτρηται δὲ ὁ γέλως, οἷος ἐφιζάνειν τῷ προσώπῳ θυμὸν ἐνικώσης ἡδονῆς. Pertinet huc haud dubie parva Mercurii figura cum pharetra, de qua v. Hist. de l'Acad. des Inscript. T. XII. p. 258. — *Amovere*, ut *avertere* verba propria de furto pecudum. Nisi forte poeta Homericam rationem (H. l. 69 sqq.) in animo habuit, quia nempe Mercurius ἀντία ποιήσας ὁπλὰς τὰς πρόσθεν ὄπισθεν, τὰς δ' ὄπισθεν πρόσθεν, *cauda* adeo *boves retro traheret, versisque viarum indiciis raperet, ne qua forent pedibus vestigia rectis*, ut de simili Cacî fraude Virg. Aen. VIII. 210. Quo et adiecta *per dolum* (δολίην τέχνην eadem de re Homer. l. l. 76.) pertinere videntur. Ovidius quoque Met. II. 686. a Mercurio *arte sua abactas boves* ait. *Olim* iunge τῷ *amotas*, nisi forte praestat: *nisi olim reddidisses*, h. eo ipso momento, statim, illico: exquisitiore adverbii usu, qui certe de adv. *dudum* satis constat. — *Risit viduus*, graece, ut Virgil. Aen. II. 377. *sensit medios delapsus in hostes. Viduus pharetra*, spoliatus, carens ph. ut ὀρφανὸς Gr. e. g. Pind. Isthm. Δ. 14. ὀρφανὸς ὕβριος.

v. 13—16. Mythicis iam historicum, ut ita dicam, sollertiae Mercurii exemplum poeta subtexit. Mercurius deducit Priamum ad Hectoris ab Achille occisi corpus redimendum,

Theſſalosque ignes et iniqua Troiae
Caſtra fefellit.

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aurea turbam, ſuperis Deorum
Gratus et imis.

dum, per caſtra Graecorum, nulli neque viſum neque agnitum, eundemque incolumem inde reducit. Fundus narrationis apud Homer. Il. ω. 536. *Prianus dives* πολύκτητος, πολύχρυσος, ut ſaepius: hic tamen non ſimpliciter, ſed quatenus magnam vim auri, quo corpus filii ſui redemturus erat, curru aſportabat. Homer. l. l. 228. — *fefellit*, ἔλαθε, latuit *Atridas*, Agamemnonem et Menelaum *ſuperbos*, μεγαλήτορας, μεγαθύμους, fortes, perpetuo epitheto. — *Theſſalos ignes*, ornate pro, vigilias copiarum Achillis, Theſſali, Myrmidonum ducis. Has in ſpecie memorat poeta, quod eae Priamo, Achillem petenti, transeundae erant, et quod iter noctu fiebat. — *iniqua Troiae*, infeſta Troianis, *caſtra*, Graecum exercitum. Poſt ſpeciales notiones generalem ponit, tanquam poeta.

v. 17 — 20. Sequitur iam Mercurius ψυχαγωγὸς, πομπαῖος, qui animas ad Inferos deducit. — *reponis ſedibus*, ponis, collocas, deducis ad *laetas*, beatas ſedes, Elyſium, piorum ſedem. *Locos laetos ſedesque beatas fortunatorum nemorum* de iisdem Virg. Aen. VI. 638. — 18. *virga aurea*, ῥάβδῳ χρυσείῃ. Idea inde orta, quod Mercurius comparatur κήρυξι veterum heroum, qui σκῆπτρον gerebant; quod *aureum* habet Mercurius, ut Deus. Hinc χρυσόῤῥαπις dictus. Vtitur hic Mercurius tanquam pedo, nam reliqui colores ſuaviter a paſtore ducti. *Coërces*, agis, compellis (ut I. 24. 18. *quam virga ſemel horrida nigro compulerit Mercurius gregi*) deducis *turbam levem*, exiles animas, εἴδωλα, (v. ad I. 4. 17.) ad loca infera. Specialiori notioni iterum generalem ſubiecit poeta, quod a pedeſtri ratione abhorret. — 19. *Superis Deorum* i. Diis, graeciſmo vulgari; *et imis*, inferis Diis. Ovid. Faſt. V. 665. de eodem: *Pacis et armorum Superis imisque deorum arbiter.* Claudian. R. P. I. 89. *commune profundis et ſuperis numen.* Hinc Ἑρμῆς κοινὸς dictus, veluti Argentario Anal. Br. II. 269. c. XIII. — *gratus*, utrisque inſerviendo.

CAR-

CARMEN XI.

ARGVMENTVM.

Quum homines terrena quaedam cum siderum motu congruere, veluti Oceani aestum cum lunae curriculo, tempestates cum stellarum quarundam ortu vel obitu caet. animadvertissent; proclive sane erat, ut caussas horum phaenomenorum ab iisdem repeterent, et unicuique stellae peculiarem aliquam vim, qua in res physicas ageret, diversamque pro diverso cuiusque effectu potestatem tribuerent. Dilatato mox huius scientiae ambitu, res etiam humanae eorumdem imperio subiici coeptae sunt, adeo quidem, ut totum humanum genus quasi habena quadam de caelo vinctum gubernari antiqua sibi persuasum haberet superstitio. Ne tamen vano huic scientiae augmento omnis prorsus, cui inniteretur, ratio deesset, utque nova haec inde exorta disciplina certis quibusdam, ad quas res humanae exigerentur, constaret regulis; coepta fieri observatio est (Gell. XIV. 1.), ut animadverteretur, quo habitu, quaque forma, quaque positura stellarum aliquis nasceretur; tum deinceps ab ineunte vita fortuna eius, et mores et ingenium, et circumstantia rerum negotiorumque, et ad postremum finis etiam vitae exspectaretur, eaque omnia, ut usu venerant, literis (quae ephemerides mathematicae dictae) mandarentur, ac postea longis temporibus, quum ipsae illae eodem in loco, eodemque habitu forent, eadem caeteris quoque eventura existimarentur, qui eodem illo tempore nati fuissent. Composita ex ista observatione disciplina dicebatur inde genesis, genitura,

eiusque inspectio, horoscopus. Conf. ad II. 17. Iam quum omnia, quae non nisi magno virium impendio, magnaque ingenii sollertia adsequi licet, (v. ad I. 3. 21.) quaeque nos supra sortem nostram extollere, Diisque exaequare videntur, humano generi a Diis negata, omnesque adeo conatus, quibus aditus ad ea patefit, impios haberet antiquitas; in promtu est intelligere, cur etiam hanc artem, qua eventura, quorum scientia maximum inter Deos atque homines discrimen constitueret, quaeque homines Iovi, ut Pacuvius ait, aequipararet, ab hominibus exquiri posse putabantur, impiam atque vetitam habuerint. Horatius igitur, ut deterreret Leuconoën (nam et feminas Romae vana hac futuri explorandi curiositate laborasse abunde constat), ne genethliacis istis artibus uteretur, impium esse ait, in ea inquirere velle, quae prudenti quodam consilio Dii nobis occultaverint: contra multo satius esse, iis, quae fato nobis impendeant, tolerandis parem fortemque adeo animum offerre, atque in iis acquiescere. Cumque, quam brevis vita humana sit, etiam absque Babyloniis istis numeris perspici possit, multo sapientius esse, praesentis temporis, quod certissimum sit, usura, quantam largiatur maximam, frui, quam in crastinum, quod admodum incertum sit, eam differre. Eminet hoc carmen cum elocutionis ornatu, colorumque vigore, tum sententiarum in tanta brevitate excellentia. E v. 5. colligere possis, Leuconoën villam habuisse in ora maris Tyrrheni, ibique et ipsam; et Horatium quoque, nunc forte fuisse: quanquam non opus sit hac suspicione, si mare Tyrrhenum solius ornatus caussa, (uti Statio Theb. VI. 20. Tyrrhena hiems) positum existimes.

AD LEVCONOEN.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Di dederint, Leuconoë; nec Babylonios
Tenta-

v. 1 *sqq.* *ne quaesieris*, noli quaerere, inquirere, sollicita esse. Propert. II. 20. 60. *At vos incertam, mortales, funeris horam* quaeritis, *et qua sit mors adeunda via.* Quaeritis *et caelo Phoenicum inventa sereno, quae sit stella homini commoda, quaeque mala.* v. ad I. 9. 13. — *scire nefas*, impium enim est, ea scire conari, scisciari, quaerere. Stat. Theb. III. 562. *quid crastina volveret aetas, scire nefas homini.* Mar. Victor ad Salm. v. 45. (in Wernsdorf. Poet. min. T. III. p. 108.) *Quaeque deo tantum sunt nota, recondita cunctis, scire volunt, heu grande nefas, et scire videntur.* — *quem mihi* suaviter declarat Leuconoës adversus Horatium benevolentiam. — 2. *quem finem* vitae, qualem vitae exitum, quod genus mortis, ut in Propert. l. l. *qua sit mors adeunda via.* Nisi forte praestat, quot vitae annos *dii dederint*, constituerint, decreverint, nobis vivendum tribuerint, propter v. 4. *seu plures* caet. *Dare* verbum proprium de fato. Tibull. IV. 5. 4. ubi v. Heyn. — 3. *numeri* sunt computationes ex ephemeridibus s. tabulis astrologicis, in quibus coniunctiones planetarum, positiones siderum ad quemvis diem descriptae erant. In his exputationibus quum tota horoscopi ratio esset posita, docte hanc artem poeta per numeros indigitat. Quo eodem modo *numeros Thrasylli* dixit Iuvenal. VI. 576. et *numeros astra moventes* Lucan. I. 641. ubi plura congessit Oudend. — *Babylonios* vocat, quia astrologia ex illis terris Romam advecta erat. Hinc ii, qui hanc artem profiterentur, Chaldaei simpliciter dicti: tanquam Iuvenal. VI. 553. — *tentaris*, tenta, exporire, futura inde explorare conare. Proprium verbum hac de re.

Tentaris numeros. Vt melius, quidquid erit, pati!
Seu plures hiemes, ſeu tribuit Iupiter ultimam,
Quae nunc oppoſitis debilitat pumicibus mare Tyrrhe-

v. 3 ſqq. Vt melius, ὡς, ὅσον βέλτιον, quanto melius, quanto ſatius eſt, *pati*, aequo animo ferre, aequi bonique conſulere, in hoc acquieſcere, *quidquid erit*, quodcunque tandem accidere rit, quaecunque fato nobis impendeant, quum ſollicitudo futuri praeſentem quoque laetitiam turbet, vitaeque fructum intercipiat. Forte tamen ſtrictiori ſenſu accipiendum propter ſequentia, et explicandum, *quidquid* annorum *erit*, quantulamcunque vitae portionem ſors nobis fruendam dederit. — 4. *Seu plures* annos Iupiter ſ. fatum tibi *tribuit*, adſignaverit, quos vivas, ſive hunc ultimum eſſe iuſſerit, ſeu longum, ſeu breve vitae tibi datum ſit ſpatium. Docto hoc atque ab ipſo, quo ſcriptum eſt hoc carmen, anni tempore petito ornatu poeta extulit. Pro annis enim ſunt *hiemes*, et pro ea, *quae nunc eſt*, procellarum hibernarum imago egregie elaborata. — *mare Tyrrhenum*, maris Tyrrheni fluctus, qui *debilitantur* per hiemem, ad ſaxa alliduntur, franguntur, et inde fracto impetu relabuntur. Quo ſenſu *fluctifragum litus* dixit Lucret. I. 305. Sed ornatius hic *hiems* eſt ſubiectum agens, et ipſa fluctus debilitat. — *pumicibus* docte pro, ſaxis cavis, exeſis. v. Virg. Ge. I. 44. et 374. item Lucret. I. 326. *veſco ſale ſaxa pereſa*. — *oppoſitis*, qui obiecti ſunt fluctibus, προβλῆτες σκοπέλοις, (Homer. Il. β. 396.) qui praetenduntur mari, ad eos frangendo: adpoſito epitheto. *Villam ad Auſtri flatus oppoſitam* pariter Catull. LXII. 2. *Rupes expoſitas*, quae in mare procurrunt, dixit Stat. Ach. I. 449.

v. 6 ſqq. Quin tu potius laeto atque ſecuro animo fruere hoce, quod tibi datum eſt, vitae tempore, cuius ſpatium et per ſe ſatis circumſcriptum ſit, et hoc ipſum cito elabatur. Vide quam graviter et exquiſite poeta vulgarem hanc ſententiam expreſſerit. Eſt adeo corrigentis τὸ ſapias, h. meliorem vitae rationem, quaeſo, ineas, vita rectius utaris, fere ut I. 7. 17. *ſic tu ſapiens finire memento triſtitiam* caet. Itaque feminam, ut iucunde praeſens vitae tempus

Tyrrhenum. Sapias, vina liques, et ſpatio brevi
Spem longam reſeces. Dum loquimur, fugerit invida
Aetas.

pus transigat, hortaturus, iubet eam *vinum liquare*, h. percolare, ſicque bibendo aptum reddere. Quum enim vini defaecandi artem parum cognitam haberent veteres, oportebat eos vinum annoſum aut fumo maturatum (v. ad III. 8. 11.) et ſic turbidum ac ſpiſſum per ſaccum, e tenui lino confectum, tenuique vimine rarius contextum (Colum. IX. 15. 12.) colare ſ. transmittere, ut purgaretur a faecibus, et liquidius fieret. Id dicebatur, ὑλίζειν, σακκίζειν, ἐξητριάζειν· v. Heringa Obſſ. c. XX. p. 168. Antiquiſſimum hunc morem confirmat etiam inſcriptio Sigea, qua dedicantur κρατὴρ, ἐπίστατον, et ἠθμός. Iam etſi hoc muliebre eſſet negotium; poeta tamen non tam hoc agere videtur, ut Leuconoën ab aſtrologicis rationibus ad operas femineas traducere velit, quam potius, ut futuri ſollicitudinem miſſam faciat, eamque, vinum bibendo, animo eiiciat. Eadem loquendi ratio in Martial. VIII. 45. 3. in amici reditu: *Defluat, et lento ſplendeſcat turbida lino amphora centeno conſule facta minor.* Neque vero morari quemquam debet, quod feminae hoc poeta praecipiat. Vide vel I. 17. 21. et III. 12. 1. 2. — *ſpatio brevi*, quum breve ſit vitae ſpatium, in hac vitae brevitate, *reſeces*, reſcindas, ne longe nimis porrigas, ne alas, imo contrahas, *ſpem longam*, longioris aetatis, longe porrectae. Praeclare ſibi opponuntur *ſpatium breve* et *ſpes longa*. Eadem ſententia eodem ornatu eſt I. 4. 15. *Vitae ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam. Reſecamus ſpem vitae*, quam, ultra eius terminum porrectam, in fines ſuos cogimus, contrahimus, ita ut ſpem vitae ne ulterius producamus, quam per eius brevitatem licet. Virgilii locus Aen. X. 107. *quam quisque ſecat ſpem*, a noſtro alienus videtur. — *dum loquimur*, quin adeo, dum haec ita loquimur, *fugerit*, fit, ut effugiat *aetas*, aliquantulum aetatis. Hinc *invida* ea dicitur, quae tam cito elabendo ſui fructum nobis invidere videtur. Similis color in Iuvenal. IX. 126. et Perſ. V. 152. *Vive memor leti, fugit hora, hoc, quod loquor, inde eſt.* adde Incerti Idyll. in Roſam v.

35 —

Aetas. Carpe diem, quam minimum credula postero.

35 — 38. in Anthol. Lat. Burm. T. I. p. 705. de brevissimo temporis spatio adhibuit Petron. c. 99. *ubi ex aratro domefacta tellus nitet*, dum loqueris, *levis pruina dilabitur.* — 8. *carpe diem* hodiernum, καιρὸν λάβε, (e. g. Aeschyl. Sept. adv. Th. 65.) praesenti, quod vivendum tibi datum est, tempore utere, fructum eius ne intercipi atque elabi tibi patiare. Ad verba et sensum III. 8. 27. *dona praesentis cape laetus horae.* Nec abludit Terentianum Adelph. II. 4. 23. *hilarem hunc sumamus diem.* Male comparant Epicureorum καρπίζειν. cf. ad III. 29. 42. — *quam minimum credula*, parum fiduciae collocans in *postero*, crastino, quum admodum incertum sit, an crastino vivas.

CAR-

CARMEN XII.

ARGVMENTVM.

Carmen hoc, quod est e genere gravi atque magnifico, tantam in adornando atque pertractando argumento artem ostendit, tantaque augustissimarum imaginum dignitate, orationisque ornatu, atque elocutionis vi conspicuum est, ut ipsam lyricae poeseos maiestatem repraesentare, omninoque splendidissimis Horatii operibus adnumerandum videatur. Sed in eius descriptione admodum haerere videas Intpp., quod non mirum, cum singularis omnino illius ingressus sit. Putant fere, Horatium enumerare Deorum, heroum, et magnorum Romae virorum multitudinem, quos nolit canere, et tamen breviter canat, tum ad Augustum venire, quem proprie voluerit canere. Sed cum sic ieiunam admodum rationem secutus esset poeta, tum ne secutus est quidem; nam omnes, quos memorat, canere se velle nimirum ait. Cumque et hymnorum et odarum genus fuisse constet apud veteres, quod plurium laudes complecteretur, Horatius, Augustum celebraturus, eam rationem sed novo artificio imitatur ita, ut Deos, heroas, magnosque Romae viros enumeret, et brevi elogio decoret, istique splendidae seriei ad extremum adnectat et adsociet Augustum, neque solum sic illis parem, sed uno Iove inferiorem ponat. Quo quam splendidum atque excelsum Augusti elogium contineatur, quis non videat? Igitur ita informemus animo progressum carminis. Poeta enthusiasmo excelsiore, et impetu, magni alicuius argumenti canendi, correptus, plenus sublimium sensuum ipse

ambigit,

ambigit, quod illud argumentum sit. Quare exemplo et imitatione Pindari e Musa scisitatur, quis ille sit vir, aut heros, aut Deus, quem se canere velit. A Iove igitur, Musarum principio, Deorum maximo, exorsus, ad eius liberos transit. Memorantur adeo Pallas, a Iove secunda, Bacchus ἐνυάλιος, Diana ἰοχέαιρα, eiusque frater Apollo ἑκηβόλος; tum ex heroibus Hercules victor, monstrorum domitor, σωτὴρ, et Dioscuri, σωτῆρες iidem etiam et tempestatum pacatores. Deinde ad viros progressus, ut ad primarium carminis argumentum transitum sibi pararet, in summis suae gentis viris commemorat Romulum, urbis conditorem, et Numam efferati militia populi per quietem formatorem, religionum, morum, legumque institutorem. His subiungit Tarquinium Priscum, fasces, trabeas, curules, omnia denique decora et insignia, quibus imperii dignitas eminebat (Flor. I. 5.) ab Etruscis, a se subactis, ad Romanos transferentem, et Catonem Vticensem. Tum sequuntur priscae aetatis venerabiles viri nonnulli, Regulus, Scauri, Paullus, Fabricius, Curius, Camillus, fortitudine bellica, patriae caritate, generoso spiritu, gravitate et constantia clarissimi, disciplinae antiquae continentiaeque ac morum severitatis servantissimi; Camillus etiam Romae conservator ac restitutor, ac velut alter conditor. Facta dehinc magnifica transitione ad Marcellum iuvenem, Augusto et populo R. carissimum, gentemque Iuliam, inde ad ipsum Augustum a Iove secundum, divisumque cum eo imperium habentem, enthusiasmi impetus defertur. Scriptum autem est h. c. a. V. DCCXXXI. vivente adhuc Marcello, bellumque Augusto contra Parthos parante. Comparetur cum eo Pind. Ol. β. et Nostri III. 25.

A D A V G V S T V M.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia ſumis celebrare, Clio?
Quem Deum? cuius recinet iocoſa
Nomen imago,
Aut

v. 1 *ſq.* Prima exordii atque totius fere carminis ſtamina ducta a Pind. Ol. *β.* pr. Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, τίνα θεὸν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν; in quo adumbrando et amplificando poeta doctrinam atque artem, qua a Diis exorſus ad Auguſti laudes progreditur, haud vulgarem oſtendit. Multo tamen ſimplicior Pindarici exordii ratio videtur; nam laudes θεοῦ, h. Iovis (v. 4.) et herois, Herculis (v. 5.) haud alienae erant a carmine, quo Theronis victoria in ludis Olympicis celebraretur. — *Viri*, qui virtute ac meritis reliquos homines antecellunt, *heroes*, ἡμίθεοι ex his Alciden et Dioscuros memorat; ex iſtis vero Romulum, Numam Pompilium caet. Nam Romulum *viris* adcenſeri a poeta, e v. 33. Rom. *poſt hos* caet. clare patet. — *lyra vel tibia*, carmine, quod ad lyram vel t. canatur, lyrico-inde appellato. Vtrumque coniunxit etiam Pindarus Iſthm. *ε.* 33. κλέονται δ' ἴν τε φορμίγγεσσιν, ἐν αὐλῶν τε πολυφώνοις ὁμοκλαῖς, et Ol. *γ.* 13. 14. φόρμιγγα ποικιλόγαρυν καὶ βοὰν αὐλῶν, ἰκείων τε θέσιν. et Ol. *ι.* 113. τὶν δ' ἀδυεπὴς τε λύρα γλυκύς τ' αὐλὸς ἀναπάσσει χάριν. cf. III. 4. 1 ſqq. — *acri* ὀξεῖ, acuto et gravi ſono, qualis eſt buccinae noſtrae aut tubae. Hinc Pind. l. l. βοὰν αὐλῶν, et Auct. Ep. 174. (Br. Anal. III. 184.) αὐλοὺς dixit βαρυφθόγγους. — 2. *ſumis*, eligis *celebrare*, graece, pro, celebrandum, canendum. *Sumere* ſaepius de eligenda carminis materia, ut Ep. I. 3. 7. A. P. 38. Quod Muſae canendi partes delegat, hoc cum per ſe plus dignitatis habet, tum accommodatius eſt propter ſeqq.

v. 3 — 6. *Cuius nomen*, laudes *recinet*, cum dilectu pro, referat, reddat *imago* ſc. vocis, Echo. Eſt adeo docta ſuperioris ſententiae amplificatio. Echo paulo audacius *imago* ſimpliciter dicitur, ut I. 20. 7. Sed haud dubie antiquus et doctus is vocabuli uſus erat; nam ſic habet et

Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidove in Haemo?
Vnde vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
Arte

et Cic. Tusc. III. 2. Plenius Virg. Ge. IV. 50. *vocisque offensa resultat imago.* Similiter παντοίων στομάτων λάλον εἰκόνα Echo vocat Archias XIV. 3. (Anal. Br. II. p. 95.) Horatium secuti sunt Stat. Silv. I. 3. 18. *fallax responsat imago.* et Valer. Flacc. III. 597. *responsant silvae et vaga certat imago.* — *iocosa* ę natura rei, quatenus Echo fallit et ludit nos. Lucret. IV. 574. *frustratur imagine verbi. fallax* Stat. l. l. — 5. 6. Ad exornandam Echus imaginem montes poeta memorat, a quibus lyrae ac vocis sonus reflectatur. Quumque Musae canendi partes iniungat, ex montibus cum dilectu ponit Heliconem et Pindum, Musis sacros; Haemum vero, quod is olim nobilissimorum poetarum, Lini, Musaei, maxime vero Orphei cantibus insonuisset; qua ipsa de causa adiectos puta vv. 7 — 12. *Helicon* Boeotiae mons, Phocidi adiacens, Musarum sedes. Iuga eius nemorosa docte declarat poeta per *oras umbrosas. Helicona virentem* Ep. II. 1. 218. δένδρων ἀνάπλεως adeo audit Pausan. IX. 28. res satis nota. v. Passerat. ad Prop. III. 1. init. *Pindus* Thessaliae mons, et ipse Apollini et Musis sacer. *Haemus*, Thraciae m. *gelidus* dictus ob silvas, ut sup. 1. 30. inf. 21. 6. Virg. Ge. II. 488. *o qui me gelidis in vallibus Haemi sistat et ingenti ramorum protegat umbra.*

v. 7 sq. In Haemo monte, Orphei cantu celebratissimo. Vide, quam docte atque ornate pedestre hoc poeta extulit! — *vocalem Orphea*, φωνήεντα, cantantem, vel lyram pulsantem. Sic *vocales chordae* Tib. II. 5. 3. Seneca Agam. 326. *resonetque manu pulsa citatu vocale chelys.* Hinc omnino de poesi; ut *vocales undae* Stat. Silv. I. 2. 6. Iuven. VII. 19. *nectit quicunque canoris eloquium vocale modis.* Silvae s. arbores secutae sunt lyrae sonum, appropinquarunt ei *temere*, nullo ordine, confuse, uti promiscue antea steterant. Nihil amplius.

v. 9 sq. Arte materna, quae matri eius, Calliopae, propria est, vel, quam mater eum docuerat, τέχνῃ μουσικῇ. *Cirrhaeas artes* vocat Claudian. Praef. v. 23. ad R. P. l. II.

Seneca,

Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.

Quid

Seneca, h. l. forte ob oculos habens, Herc. Fur. 573. *Quae silvas et aves saxaque traxerat ars, quae praebuerat fluminibus moras.* — *rapidos lapsus*, concitatum cursum *fluminum*, rapidissimos fluvios *morantem*, inhibentem, sistentem. *Labi* iam per se citatum cursum innuit. v. II. 14. 2. cf. Heyn. ad Tibull. I. 8. 48. Omnino haec per suppressum fluviorum cursum ventorumque silentium declarata summa per rerum naturam tranquillitas prisca atque augusta imagine vim poeseos ac musices egregie repraesentat. Conferri omnino velim Orph. Argon. 259 sqq. et 431 sqq. Apollon. Rh. I. 23 sqq. Antip. Sid. c. LXVII. (Anal. Br. II. p. 24.) Virg. Ge. IV. 454 sqq. Ovid. Met. X. init. Senec. Herc. f. 572 sqq. Claudian. Praef. ad l. II. de R. Pros. — *blandum . . . quercus*, quique tam blandus esset in tractandis fidibus, qui tam blande, tam suaviter lyra caneret, ut quercus hisce cantus blandimentis permulsae atque illectae eum sequerentur. θελγομένας δρύας eadem in re dixit Orph. l. l. Caeterum graecam structuram, *blandum — ducere*, pro, blanditiis suis, blande ducentem, facile animadvertas. Eandem Markl. ingerere conabatur Stat. V. Silv. 5. 84. *blandique — excepisse genas.* Sed de hoc suo loco. — *auritas*, audacter et lyrice, pro, auscultantes, cantus suavitate delinitas. Imitatus est h. l. Sidon. c. II. 71. *qui cantu flexit scopulos, digitisque canoris compulit auritas ad plectrum currere silvas; quum starent Hebri latices, cursuque ligato fluminis attoniti carmen magis unda sitiret.* et XXIII. 190. *aurita chelyn expetente silva.* Id. XVI. 4. de Amphione: *Ogygiamque chelyn, quae saxa sequacia flectens cantibus, auritos erexit carmine muros.*

v. 13 sqq. Quid prius . . . laudibus? quem prius celebrem, quam Iovem? Ab hoc initium carminis facere decet; huius laudes primum dicendae sunt. Respexit Horatius haud dubie antiquiorum poetarum, quique eorum carmina recitarent, sollennem morem, quo carminibus prooemio aliquo, in Deorum, maxime Iovis, laudibus occupato, praeluderent. Notus satis

Quid prius dicam ſolitis Parentis
Laudibus? qui res hominum ac Deorum,
Qui mare ac terras, variiſque mundum
Temperat horis?

Vnde

eſt locus Pind. Nem. II. pr. Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὶ ἄρχονται Διὸς ἐκ προοιμίου. Hinc Iovis laudes *ſolitas* vocat, quae primo loco a poetis memorari ſolent. — *Parens* ſc. hominum ac Deorum, Iupiter, abſolute ſic dictus, ut *Pater* Virg. Ge. I. 353. et ſic ſaepiſſime. — 14. Summus rerum arbiter, qui univerſum numine ſuo regit. — *res hom. ac Deor.* τὰ τῶν ἀνθρώπων καὶ θεῶν, qui homines ac Deos regit, iis imperat, iuxta Homericum: ἄναξ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Similiter Virg. Aen. I. 229. *o qui res hominumque Deumque aeternis regis imperiis et fulmine terres*, de eodem. — 15. Vniverſum declarat poeta per *mare, terras*, et *mundum* h. caelum, ſolem et lunam, quorum curſum ita *temperat*, moderatur, regit, *variis horis*, ut inde anni partes, viciſſitudinesque temporum procedant; qua fere ratione Sol et Luna *annum caelo ducere* dicuntur Virg. Ge. I. 6. Hinc Διὸς μεγάλου ἐνιαυτοὺς vocat Homer. Il. β. 134. et ipſae Horae filiae Iovis et Themidis audiunt, veluti Orph. H. in easdem, v. 6. Speciali igitur notione poeta curam, qua Iupiter univerſum continet, expreſſit per anni tempora, certo quodam ordine ab eodem diviſa atque diſtincta; nam haec ipſa evincunt *certa ratione geri rem atque ordine certo* iuxta Lucret. V. 1453. cuius adeo Iupiter auctor eſt.

v. 17 *ſqq. Vnde*, quare, ſc. quum in Deos hominesque imperium exerceat, univerſumque terrarum orbem regat, *nihil generatur*, οὐ μεῖζόν τι γίγνεται, nihil exiſtit, eſt, quod *maius*, praeſtantius, potentius ſit, *ipſo* Iove: οὗ καὶ φέρτατός ἐστι θεῶν κράτεΐ τε μέγιστος Heſiod. Theog. 49. Eſt adeo Ζεὺς ὕψιστος, πάντων μέγιστος (Aeſchyl. Choëph. 202.) παντοκράτατος (Callim. H. in Iov. 91.) et Latinis *Invictus*, *Exſuperantiſſimus*, *Maximus* et ſim. *Nil maius*, nemo maior, ut Ovid. Met. II. 60. *vaſti quoque rector Olympi — non agat hos currus, et quid Iove maius habemus?* et Faſt. V. 125. *Ille ubi res caeli tenuit, ſolioque paterno ſedit, et invicto nil Iove maius erat.* Alii h. l. ſic accipiunt: *Vnde*, ex quo Iove *nihil*, nulla proles *generatur*,

gigni

Vnde nil maius generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

Proeliis

gigni potest, quae maior sit *ipso:* putantque respici fabulam, qua Iupiter Thetidis coniugium ideo respuerit, quod in fatis esse sciret, eum, quem Thetis editura esset filium, patre praestantiorem futurum. Sed haec longius petita videntur, et sententia, quae inde procedit, et parum congrua est h. l., et laudem satis ieiunam, ipsoque Iove indignam continet. — 18. *Nec quidquam* ei *simile*, nemo aequalis ei, *viget*, floret dignitate atque potentia, nemo par ei est; — *aut secundum*, quod statim eum sequatur, quod eius potentiam prope attingat: imo omnes reliqui Dii Iove longe inferiores sunt. Imitatus est h. l. Martial. de Roma, XII. 8. *Terrarum dea gentiumque, Roma, cui par est nihil, et nihil secundum.* — 19. 20. Proxima tamen, quamvis longo intervallo, ei est Pallas. Adposite Virgil. Aen. V. 320. *Proximus huic, longo sed proximus intervallo.* Quinctil. Iust. Orat. X. 153. *Quamvis ei* (Antimacho) *secundas fere Grammaticorum consensus deferat; et affectibus, et iucunditate, et dispositione et omnino arte deficitur, ut plane manifesto appareat, quanto sit aliud, proximum esse, aliud secundum,* h. Antimachum secundum quidem esse, longissimo tamen intervallo priori proximum. Contra *Virgilius* eidem l. I. §. 86. *secundus* dicitur, *propior tamen primo quam tertio.* — *Honores occupavit*, τιμὰς ἔχει, ἔμμορε τιμῆς, sortita est munera, quibus proxime ad Iovem accedit, quae ei proximum a Iove locum vindicant. Nimirum potestas aliqua, singulare aliquod munus, imperium, quo Iupiter unumquemque Deum ornavit, quod adeo ei proprium est, poetis dicitur τιμὴ, γέρας et sim. *Honorem* eodem sensu adhibuit Statius Silv. III. 2. 14. *divae Nereides, — quis honor et regni cessit fortuna secundi.* Sortita est adeo Pallas *honores*, munera, non quidem tam ampla, quam Iovis: caeterorum tamen Deorum τιμαῖς insigniora. Ad sensum Callim. Lav. Pall. 131. μόνος Ζεὺς τόγε θυγατέρων δῶκεν Ἀθηναίῃ, πατρώια πάντα φέρεσθαι. In monumm. antiquis eadem cum Iove ideo sociata conspicitur, e. g. Mus. Capitol. T. IV. t. 8. Hinc et proximum

Proeliis audax, neque te filebo
Liber, et saevis inimica Virgo
Belluis: nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.

Dicam et Alciden, puerosque Ledae,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobi-

mum a Iove locum in Deorum concilio occupat. v. Spanhem. ad Callim. H. Apoll. 29. adde Homer. Il. ω. 131. Quo respectu poeta Palladem proximos honores *occupasse* videtur dixisse, fere ut *Homerus priores sedes tenere* dicitur IV. 9. 5.

v. 21 *sqq.* Vulgaris continuandae orationis ordo ferebat: canam etiam Bacchum, Dianam, Apollinem; sed docte hunc variavit poeta, orationique, ad Deos ipsos, e priscorum hymnorum forma, eam convertendo, novum vigorem adiecit. *Proeliis audax*, audacter pugnans; ferox, bellicose. Orph. H. 44. 3. ὃς ξίφεσιν χαίρεις, ἠδ' αἵμασι, ad Bacchum — *bellorum potentem* iuxta Macrob. Sat. I. 19. Praecipuae ei partes datae in Gigantomachiis. cf. II. 19. 21. Celebratur quoque eius expeditio adversus Indos suscepta. Hinc armatus in monumm. antiquis conspicitur. v. Winkelman. Monum. ined. p. 67. et Allegor. p. 41. — 22. *Virgo*, Κόρη, Παρθένος absolute dicta Diana; nam in muneribus a Iove ipsi tributis erat et παρθενίη iuxta Callim. H. in eandem v. 6. — *inimica belluis*, ornate, quae persequitur belluas, *belluarum agitatrix*, ut dicitur Arnob. IV. p. 241. ex emend. Markl. ad Stat. p. 99. dea venatrix, θηροκτόνος, ἐλαφηβόλος, εὔσκοπος, ἰοχέαιρα, quae sunt Homerica Dianae epitheta. — 23. *metuende sagitta*, qui sagittam iacis, (ut *metuende thyrso* II. 19. 8.) sed alterum cum vi, propter adi. *certa*, quae scopum attingit, quae nunquam aberrat, quae *praedae certa* est, ut Senec. Herc. Oet. 1655. Idem de Diana Hippol. 57. *cuius certis petitur telis fera*, quocum ἀφύκτους ἰοὺς Sophocl. Philoct. 105. comparavit Valken. ad Eurip. Hippol. v. 1416. Sic *certi venatus* Claudian. in Probi Cons. 187. et in Nupt. Honor. 2. *Parthis sagittas tendere certior.*

v. 25 *sqq.* Iam ad heroum laudes descendit poeta. Memorat ex his *Alciden*, Herculem, Alcaei nepotem, et *pueros*, παῖδας, filios

Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,

Defluit ſaxis agitatus humor;
Concidunt venti, fugiuntque nubes;
Et minax, nam ſic voluere, ponto
Vnda recumbit.

Romu-

filios *Ledae* et Iovis, Dioscuros, Caſtorem et Pollucem. Eosdem coniunxit III. 3. 9. *Hunc*, alterum, Caſtorem, *nobilem ſuperare*, ἔνδοξον νικᾶν (v. Toup. Curae noviſſ. in Suid. p. 151.) graeca ſtructura, pro, nobilem ex eo, quod *ſuperavit*, ſuperior fuit *equis*, equo, equeſtri certamine victor fuit. — *illum*, alterum, Pollucem, quod victor disceſſit *pugnis*, pugnorum, caeſtuum certamine, πυγμαχίῃ, in qua Amycum necavit. v. Apollod. I. 9. 20. Eadem de utroque comprehendit notiſſimus Homeri locus Il. γ. 237. Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα. Sed et uterque cum equo occurrit in Monumm. antiquis; item apud poetas, ut Pind. Pyth. α. 127. λευκοπώλους eos vocans: adde Eurip. Hel. 1680. Lucian. T. I. p. 282. ed. Reiz. et Ovid. Metam. VIII. 372. — Sequitur eorum vis benefica, quae iis inter Deos relatis muneris loco a Iove obtigit, ut hominibus in mari periclitantibus ſuccurrant: τιμὰς σωτῆρας βροτῶν ἐν ἁλὸς ῥοδίοις vocat Eurip. Electr. 991. v. ad IV. 8. 31. Ratio huius figmenti in eo quaerenda videtur, quod duae flammulae in malo navis apparentes nautis indicio ſunt, tempeſtatem mox ſedatum iri. His vero Dioscurorum praeſentiam et auxilium manifeſtari perſuaſum ſibi habebat antiquitas. *Simul* ac eorum *ſtella*, ſidus, ut Virg. Ge. I. 222. nam de duabus ſtellis intelligendum. — *alba*, lucida, clara, ut de iisdem I. 3. 2. et IV. 8. 31. Sic λευκὸν Ἀοῦς πρόσωπον Eurip. Elect. 730. *albus Lucifer* Ovid. Met. XV. 149. Poteſt et eſſe, caelum purum reddens, adpoſito h. l. et exquiſito vocis uſu. Sic *albus Notus* I. 7. 15. — *refulſit*, apparuit, in conſpectum venit.

v. 29 *ſqq.* Statim tempeſtas ſedatur, et mare tranquillum fit. Inſigniter hoc et graphice exornatum. Ante oculos fuit Theocrit. κβ'. 19 ſqq. ἀλλ' ἔμπης ὑμεῖς τε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νῆας αὐτοῖσιν ναύταισιν ὀϊομένοις θανέεσθαι· αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι,

Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquinî fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.

Regu-

ἄνεμοι, λιπαρὴ δὲ γαλήνα ἀμπέλαγος, νεφέλαι τε διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι. *Defluit*, demanat, relabitur de *saxis humor*, νοτὶς, unda, fluctus *agitatus*, scopulis superiectus, ut in Virg. Aen. XI. 625. *pontus* — *scopulosque superiacit undam spumeus*. Mare adeo subsidit, sternitur, ἐπορέννυται, quae poetis sollennia sunt hac in re. — 30. *concidunt*, subito cadunt, stare desinunt, ut Virg. Ecl. IX. 57. *Et nunc omne tibi stratum silet aequor et omnes, adspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae*: contra surgit ventus, ὤρορε. — *fugiunt nubes* cf. Theocr. l. l. et Virgil. Aen. V. 820 sq. — 31. *minax*, quae exitium nautis minatur, seu simpliciter alta, erecta, sollenni poetarum usu. — *ponto* casu tertio, in pontum recumbit, mare adeo explanatur, fluctibus non amplius movetur. Magnificum est illud, *nam sic voluere*, solo eorum nutu haec omnia fiunt.

v. 33 *sqq.* Sequuntur *viri*, qui Romam magnam reddiderunt; quorum multitudine ita obruitur poeta, ut, quem maxime laudet, nesciat, et sic praetereundo omnes extollat. Imitatus est locum Auson. Prof. VIII. init. sed admodum ieiune. — *quietum Pompili regnum*, Numam Pompilium, qui partum armis imperium pacis artibus, legibus ac religionum cura corroboravit. Liv. I. 21. *maximum eius operum fuit tutela per omne regni tempus pacis.* — 35. *Tarquinii* Prisci *fasces*, regni insignia, quae ille ab Etruscis petiit. — *superbos*, splendidos (ut I. 35. 3.); pertinebant enim ad magnificum regis apparatum. Tarqu. adeo Priscum *pace et bello promtissimum* (Flor. I. 5.) laudat maxime a regiae dignitatis ac potestatis augendae studio. Tarquinio Superbo, quem nonnulli intelligi volunt, in hoc carmine omnino locus non erat. Virgilio quidem Aen. VI. 818. uterque T. memoratur; sed is animarum, Noster vero summorum virorum, quibus Augustum subiicere poterat, recensum agit. Multo magis a consilio carminis abhorrere arbitror, Tarq. Superbi tyrannidem a poeta ideo memorari, quod ista mutandi imperii regii in liberam civitatem caussa extitisset, utque adeo poeta imperii Romani con-

Regulum, et Scauros, animaeque magnae
Prodigum Paullum, superante Poeno,
Gratus insigni referam Camena,
Fabriciumque.

Hunc,

conversionem sub eo factam solummodo innuere voluisset. — 35. *Catonis* Vticensis, ultimi libertatis defensoris *letum*, quod sibi ipse paravit, ne in manum Caesaris veniret, sicque ei tyranni vultus adspiciendus esset. v. Cic. Off. I. 31. hino *nobile*, quod, cum in republica ei amplius vivere non liceret, mori decrevisset. Atque hunc inter magnos viros memorare poetam nihil vetuit, cum et Augustus libertatis propugnatores magni faceret, seque amicum pristini reipublicae status profiteretur. Conf. Virg. VIII. 670. et ibi Heyn.

v. 37 *sqq.* De *Regulo* vide inf. III. 5. — *Scaurorum* gens multos dedit Romanae reipublicae magnos ac nobiles viros, in quibus eminent M. Aemilius Scaurus, vir gravissimus, et princeps Senatus; eiusque filius M. Scaurus, aedilitatis magnificentia clarus; uterque consilio, gravitate, constantia clarissimus. vid. Cic. Fontei. 7. Muren. 8. — 38. *Paullus* Aemilius Cos. in funesta, vitio collegae Terentii Varronis, Cannensi clade cum fortissime pugnasset, nolens tantae ignominiae, cuius unus insons erat, superstes esse, se perimendum hostibus dedit. v. Liv. XXII. 49. Flor. II. 6. 16. Hinc *prodigus*, contemtor ac profusor *animae*, pro vulgari, vitae. — *magnae*, quatenus generosum sic animum suum prodebat. Imitati sunt hunc splendidum verbi *prodigus* usum Ovid. Am. III. 9. 64. Sil. I. 225. Stat. Theb. III. 603. VIII. 406. et Claudian. in Ruf. II. 183. Ridicule quidam in anima *magna* et *Paullo* oxymoron videbant. — *Poeno*, Hannibale. — 39. *gratus*, grata pietate illorum memoriam recolens, *insigni Camena*, carmine *referam*, quo ipsi insignes reddantur, ipsorum virtus posteris innotescat. Sic malim, quam simpliciter, eximio, sublimi. Conf. I. 1. 5. Sequuntur sancta exempla antiquae integritatis, frugalitatis, continentiae, ac laborum patientiae. C. *Fabricius* Luscinus, quum contra Samnites et Pyrrhum bellum consul gereret, munera hostium sprevit, et difficilius ab honestate quam sol a cursu suo averti potuit. v. Cic. Off. III. 22. Val. Max. IV. 3. Hinc *parvo*

Hunc, et incomtis Curium capillis,
Vtilem bellò tulit, et Camillum,
Saeva paupertas et avitus apto
Cum lare fundus.

Crescit,

potens Virgilio dictus Aen. VI. 845. cf. Claudian. de IV. Cons. Honor. 413 sqq.

v. 41 *sqq.* Iam ea, quae sequuntur, praeclare frugalitatem et continentiam, quibus res Romana in tantum fastigium excrevit, exprimunt. *Hunc* Fabricium. *Additionem* hanc dicendi rationem vocat Quinctil. IX. 3. 18. — De M. Curio Dentato v. Valer. Max. IV. 3. Quum eius aetate Romani coepissent tonderi atque comi: Plin. VII. 59. ipse retinuit morem veterem, crinesque *incomtos*, intonsos atque impexos aluit. Hinc ipse perfectissimum antiquae morum severitatis exemplum Romanis habebatur. v. vel. Iuven. II. 3. Adlusit ad hunc locum Martial. I. 25. et IX. 28. Observa exquisitiorem continuandae orationis normam. Pedestre fuerat: referam Fabricium, Curium, et Camillum, quos paupertas utiles bello tulit. *Paupertas*, sensu Romano, non egestas, et omnium rerum inopia, sed fortunarum mediocritas ea, unde dure et parce vivere fit. Illa et corpus robustum, et animus roboratur (v. II. 2. pr.) et sic magni ac fortes viri finguntur. Lucan. I. 166. *paupertas fecunda virorum.* Contra cf. Iuven. VI. 293. — *saeva*, *δεινὴ*, *χαλεπὴ*, *ἀργαλέη*, quae ad quaevis dura, ac perpessu gravia nos impellit, *μόχθοις διδάσκαλος* Theocr. XXI. 2. — *avitus fundus*, agellus a maioribus acceptus, nullis accessionibus dilatatus. cf. I. 1. 11. et V. 2. 3. adde Burm. Anthol. Lat. I. p. 497. — *apto cum Lare*, cum tecto, quod *aptum* erat, conveniebat fundi exiguitati, adeoque modico, exiguo. Aliter Iusti Spec. Obss. crit. c. 9. Iam haec paupertas atque continentia istos viros *tulit*, protulit, atque finxit *utiles* bello, *χρησίμους*, *χρηστοὺς ἐς πόλεμον*, bello idoneos, laboribus quippe a pueris adsuetos, iisque induratos.

v. 45 *sqq.* Excellentissimi versus: quibus M. Marcellum iuvenem, Octaviae, Augusti sororis, filium, Iuliae, eiusdem Augusti filiae, coniugem adoptatum ab Augusto (quod Sanad. contra Massonum docet e Plut. vit. Anton. p. 952.) et haud dubium illius successorem (v. Dio

Crescit, occulto velut arbor aevo,
Fama Marcelli: micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Gentis

Dio LIII. 30.) splendidae illi summorum virorum seriei subito et ex improviso, ingenti quasi saltu facto, adsociat: quo maxime et feriri et oblectari Augustum populumque R. oportebat. Nam erant in illo Marcello, licet vix annum XVII. attigisset, splendidissimae virtutes, summaque de eo et Augusti, et omnium Romanorum, quorum delicias eum fuisse constat, exspectatio, ut eius mortem a. 731. insecutam universus populus communi luctu prosequeretur. Cf. Virgil. Aen. VI. 861 sqq. et Vellei. II. 93: Tantas de eo conceptas spes summa et ingenii et iudicii venustate poeta expressit. — *fama*, laudes eius ac virtutes *crescunt*, continuo augentur. Exquisite pro his *fama* poterat poni, quatenus per eas Marcellus in ore omnium erat, ab omnibus collaudabatur. — *occulto aevo*, tempore, non animadversis incrementi temporibus, et momentis, i. sensim et occulte; sic ut, quoties adspiciamus arborem, nova germina ac folia, novos ramos emicuisse videamus. Ducta haec praeclara comparatio e Pind. Nem. 7. 68. αὔξεται δ' ἀρετὰ, χλωραῖς ἐέρσαις ὡς ὅτε δένδρεον ἀΐσσει, σοφοῖς ἀνδρῶν ἀερθεῖσ' ἐν δικαίοις τε πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα. cf. et II. 30. 7. Virg. Ecl. X. 73. ad sensum comparationis Sil. VI. 63. de Regulo: *qui, longum semper fama gliscente per aevum, infidis servasse fidem memorabere Poenis.* et Avien. Descr. O. 258. *Musis intermina vita permanet, et memori laus semper pullulat aevo.* — 46 *sqq.* Iam a Marcello transitus erat facilis ad familiam Iuliam, unde ille per matrem ortus erat; inque eam postea etiam insitus. Vulgaris sententia erat: omnino gens Iulia ad summum nunc gloriae fulgorem pervenit. Id splendide ornavit, dum pro gente Iulia est *sidus Iulium*; quemadmodum *sidera* gentis dicuntur singuli, qui eam illustrant, viri: v. Ovid. Trist. II. 167. Pont. III. 3. 2. — *inter omnes* sc. caeteras stellas, h. familias Romanas emicat gens Iulia. Assumendum hoc e sq. *ignes*, h. stellas, quas luna obscurat. Cf. V. 15. pr. et Sapph. apud H. Steph. fragm. lyr. T. II. p. 36. ἀστέρες μὲν ἀμφὶ καλὰν Σελάναν ἂψ ἀποκρύπτουσι φαεινὸν

 εἶδος,

Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data; tu secundo
Caesare regnes.

Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho,

Sive

εἶδος, ὁππόταν πλήθοισα μάλιστα λάμπῃ. De aliis difficilioris huius strophae interpretationibus, de quibus dicere hic non vacat, v. Sanad. ad h. l. Masson. vit. Hor. p. 226. et Ouwens. Noct. Hag. p. 360.

v. 49 *sqq.* Vulgaris sententia erat: atque ex hac gente Iulia est, eamque fulgentissimam fecit Augustus, terrarum dominus, quem tueatur Iupiter, quaesumus. Sed nihil sublimius et augustius esse potest illa Iovis subita et splendida invocatione, quae pro transitu est, pleno iam erumpente animi affectu ad primarium carminis argumentum, partemque illius haud dubie magnificentissimam. Sensus: o qui generis humani pater, eiusdemque conservator cluis, maxime vero regum tutelam geris: fac itaque, o Iupiter, ut Caesar regnet secundus a te. *Orte Saturno* e gr. Κρονίων, Κρονίδης. — *cura*, tutela *Caesaris*. — *magni*, ut dicitur *egregius* I. 6. 11. III. 25. 4. *altus* III. 4. 37. cf. Burm. ad Prop. p. 258. — *data*, iniuncta est *tibi* a *fatis*. Splendida rei imago! ad quam devenit poeta, quod omnino reges in Iovis tutela esse dicantur, διοτρεφεῖς inde Homero dicti. v. Callim. H. in Iov. 79. et ad III. 1, 5. — *Fatis*, per fata; nisi forte iungere praestat: fatis Caesaris tibi cura data est, graeca structura. — 51. *tu regnes C. s.* docta inversione pro, fac ut Caesaris imperium secundum a tuo sit, ut te solo minor (v. 57.) terrarum orbi imperet.

v. 53 *sqq.* Graviter preces in vaticinationem transeunt. Quemadmodum tu in caelo, ita is in terra regnabit. Sed exquisitius invertitur hoc. Sententia ipsa sollennis et usitata poetis eius aetatis, ut III. 5. pr. Virg. Ge. IV. 560 sqq. Ovid. Met. XV. 857. Fast. II. 130. Manil. I. 197. Iam vv. 52 — 57. exprimitur illud: Caesar orbem terrarum reget, subactis eius reliquiis. Hoc posterius splendide extulit, dum, quod ipsum etiam sollenne erat, Augusto Parthorum

Sive ſubiectos Orientis orae
Seras et Indos,

Te minor latum reget aequus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parum caſtis inimica mittes
Fulmina lucis.

thorum atque Indorum, extremorum terrae populorum debellationem pollicetur; quod et per ſe magnificum eſt, et ex eo, quod tum ſuſpicio erat, Auguſtum bellum in Parthos, quibus Indi finitimi, ſuſcepturum. v. Dio LIII. 33. — *Latio*, docte et graviter, pro, Romano imperio. — *imminentes*, illius fines continuo lacesſentes. v. I. 2. extr. — *Seres* et *Indi*, extremi Aſiae populi, hinc *ſubiecti*, ſubiacentes, habitantes ſub *ora*, plaga *orientis* ſc. ſolis. — *domitos*, ſubactos, devictos *egerit* ante ſe *triumpho*, pro vulgari, ubi de iis triumphaverit. — *iuſto*, quo vindicentur iniuriae Romano imperio ab ipſis illatae. Nolim hic reſpici ad triumphum, cuius omnes conditiones impletae ſint, magnum, quod nimis pedeſtre. — 57. *te minor*, ſecundus a te, at ſe ipſo ſuperiorem agnoſcens te: ut III. 6. 5. *Diis te minorem quod geris, imperat*. — *Aequus* tanquam de Deo, propitius, almus: nam tanquam Deus Auguſtus totius orbis tutelam ac curam, e poetae mente, gerere putandus eſt; adeoque benigna dominatione *reget* terrarum *orbem*. — *latum*, qua late patet, adeoque totum terrarum orbem.

v. 58 — 60. Tu autem in caelo regnabis. Auguſta ſpecie hoc extulit poeta: tu tonabis in caelo, et pro hoc gravius, tu tonitru caelum concuties: plane ut III. 5. pr. Tonitru enim ac fulmen pro ſymbolo imperii Iovis habitum. Iam pro *tonitru* eſt *currus Iovis*, v. I. 16. 12. et ad I. 34. 8. — *gravis*, Deo, Iove gravatus, cui Iupiter inſidet. Ita accipiendum ex Hom. Il. ε. 838 ſqq. hinc apte *quaties*, concuties, tremefacies *Olympum*: latius haec exornata v. I. 34. 9. — 59 ſq. tu fulmina *mittes*, iaculaberis. nihil amplius. Nam reliqua ad ornatum pertinent. — *inimica lucis*, damnoſa, exitioſa lucis, quae petere ſolent lucos, Diis conſecratos, quod *parum caſti* h. polluti eſſent adulterio. Ob hoc enim luci fulmine tangi putabantur. Ad legem Iuliam multo ſerius ab Auguſto latam haec referri nequeunt.

CAR-

CARMEN XIII.

ARGVMENTVM.

Quum Lydia, quae saepius a poeta inducitur, Telephum, pulchrum iuvenem, quem amatorem haberet, Horatio, ut eum ureret, semper commemoraret, eiusque pulchritudinem extolleret; poeta, non, ut alias solet, irrisione aut probris eam lacessit, sed vero atque acerrimo zelotypiae sensu perturbatus, eumque dolenter professus Lydiam sibi ita reconciliare studet, ut Telephi mores tanquam parum commodos, eiusque in amore delicias parum elegantes delineet atque perstringat, fidemque eius et constantiam in amore suspectam faciat: suum contra amorem, si secum in gratiam redire velit, nonnisi morte depositum iri, seque in eo continuato mortalium felicissimum putare spondeat atque profiteatur. — Eminet hoc carmen cum mira affectuum, vividissimis coloribus delineatorum varietate, tum orationis doctrina atque cultu exquisitissimo. Graecum poetae exemplar ob oculos fuisse, cum universus carminis habitus, tum v. 16. satis luculenter ostendit. Caeterum Sanadonus hanc oden, castitati haud dubie timens, praetermisit.

AD

A D L Y D I A M.

Cum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas

v. 1 *sq.* *Quum tu*, a qua solum me amari credidi, *Telephi* pulchritudinem laudas. Pro hoc generali pulchre ostenduntur partes aliquae, cervix et brachia; nam et nuda ea gerebant veteres, et ex iis decor formae, ac vigor iuvenilis inprimis elucescebat. — 2. *cervicem roseam*, αὐχένα ῥοδόεντα, floridi coloris, splendidam, pulchram. Virg. Aen. I. 402. *rosea cervice refulsit*, de Venere. *roseum verticem* dixit Catull. LXIV. 310. et Noster IV. 10. 4. *nunc et qui color est puniceae flore prior rosae.* cf. Schrad. ad Mus. Animadv. p. 177. — *cerea brachia*, quo sensu dixerit poeta, dubitari potest. De colore fere accipiunt Intpp., qui in oculos cadit, ut cerea brachia sint *candida* (uti iam Serv. ad Virg. Ecl. II. 53. *brachia cerea*, candida sicuti cera.) quod et rosea cervix ad aspectum pertineat, et, si alio sensu accipiatur, Horatius sibi non constet. Quae tamen ratio nullius plane momenti videtur, etsi de re dubitari nequeat. Nam candidam ceram veteribus cognitam atque in usu fuisse, omnino negari nequit. Sic Theocr. VIII. 19. describit σύριγγα λευκὸν κηρὸν ἔχουσαν. Ovid. A. A. III. 199. *scitis et inducta candorem quaerere cera*, si lectio sana. conf. Plin. XXI. 14. Maxime tamen iisdem flavus color memoratur, isque in comparationibus, inde desumtis, unice fere intelligitur. v. Virgil. Ecl. II. 53. Calpurn. II. 91. et sic passim. Possis etiam de colore cerae splendido interpretari, ut brachia intelligantur laevia, rotunda, polita, in quibus nullum os promineat. Quo sensu pingues turdi clunes *cereas* dictas puto Ausonio Epist. I. 3. 2. Exquisitior tamen ratio videtur, si *brachia cerea* interpreteris flexilia, mollia, ῥαδινά, ἁπαλά, a natura cerae. Plin. Ep. VII. 9. *ut laus est cerae, mollis cedensque sequatur.* A. P. 163. *Cereus in vitium flecti.* Atque haec in delicatioribus apud veteres memorantur, atque in pretio habentur. Spectat huc epigr. Antipatri c. XXXII. (Anal. Br. II. 117.) ὑδατίνους φορέουσα βραχίονας· ἡ μόνη ὀστοῦν οὐ λάχεν· ἦν γὰρ ὅλη τοῦν ταλάροισι γάλα, laudatum iam in hanc rem Dorv.

ad

Laudas brachia, vae, meum
Fervens difficili bile tumet iecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa

ad Charit. II. 2. p. 163. — *Telephi* nomen suaviter et cum vi repetitum: Nam id semper crepabat Lydia, ut Horatium ureret. Adposite Terent. Eun. I. 3. 50. *ubi nominabit* Phaedriam, *tu* Pamphilam *continuo: si quando illa dicet*, Phaedriam *intromittamus comissatum, tu*, Pamphilam *cantatum provocemus.*

v. 3. 4. *Meum . . . tumet iecur*, docte atque ornate, pro vulgari, indignor, ira exardeo, summaque aegritudine adficior; ut mox v. 9. *uror*. Quum enim Empedocles sanguinem, maxime *περικάρδιον*, mentis sedem statueret; (*τῇ δὲ νόημα μάλιστα κικλήσκεται ἀνθρώποισιν, αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα*, apud Stob. Excerpt. Grot. de rer. nat. p. 167.) in hepate autem vel iecore, quod est viscus maximum abdominis in dextro hypochondrio, totius sanguificationis principium prisci homines ponerent, in promtu est intelligere, cur praecordiis, cordi, iecori, quae poetis fere sunt *συνώνυμα*, omnino cogitandi vim, prudentiam, omnesque adeo affectus, atque cupiditates attribuerint. Hinc animo quocunque demum affectu commoto cor sanguine aestuare, impleri, exundare, tum fervere, ardere, uri, torreri et sim. dicitur. In ira iecur bile dicitur oppleri, (*γέμειν ἀγρίας χολῆς* Lycophr. 1115. *ἔζεσε φοίνιον αἷμα, χολὴ δ' ὑπερέβλυσεν αἰνὴ* Quint. Cal. V. 323.) aestuare, (V. 11. 22.) fervere et sim. Ita iam dixit Homer. Il. *δ'*. 513. *χόλον κίεσθαι* et inde Sil. It. II. 327. *immites iras coquere*. Tum et ipsum cor tumere dicitur, quatenus illud per iram et indignationem angustari ac comprimi sentimus. Homer. Il. *l.* 642. *οἰδάνεται κραδίη χόλῳ*. Aeschyl. Choëph. 181. Apoll. Rh. I. 1260. et sic saepius. v. Bentl. ad A. P. 197. In Nostro observa copiam poetae. *Fervens tumet*, *ἥπαρ ζέον οἰδάνεται*, quum alterum sufficisset. Attius apud Scriv. Collect. Trag. p. 89. *fervit pectus iracundia*. Vtrumque pariter cumulavit Plaut. Cas. II. 5. 17. *Tota in fermento est, ita turgescit mihi. — difficili, ἀργαλέῳ χόλῳ* Il. *σ*. 119. *αἰνῇ χολῇ* Quint. Cal. l. l. h. morosa, iracunda, quae morosum, iracundum me facit.

v. 5 *sqq.* Locus hic haud dubie est ex elaboratissimis poetae atque

Certa ſede manet: humor et in genas
Furtim labitur, arguens,
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Vror,

atque pulcherrimis. Praeclare enim atque excellenter prorſus ad animi ira, indignatione, quod alium ſibi praeferri videt, amoris ſimul priſtini igniculis, acrius ideo urentibus, turbati atque incenſi ſtatum declarandum attemperata atque ex natura ducta omnia. Ante oculos autem poetae fuit in his nobile Sapphus carmen illud apud Longin. X. 2. *φαίνεταί μοι τῆνος ἴσος θεοῖσιν* caet. — *Mens non certa ſede*, eodem loco *manet*, agitatur, commovetur. Sollenne hoc de quacunque graviore animi commotione. Nota Tibulli: *namque agor ut per plana citus ſola verbere turbo.* Sic et cor *πάλλεσθαι, δονεῖσθαι, ἐκπηδᾶν* graecis dicitur. Plaut. Aulul. IV. 3. 3. *Continuo cor meum coepit artem facere ludicram, atque in pectus emicare.* res nota. — *Color* continuo variatur, vultu nunc rubente, nunc pallente. Furorem Medeae e zelotypiae ſenſu iisdem lineis duxit Seneca Med. 858. *Flagrant genae rubentes, pallor fugat ruborem; nullum vagante forma ſervat diu colorem.* Idem Herc. Oet. 250. de Deianira: *nec unus habitus durat, aut uno furit contenta vultu; nunc inardeſcunt genae, pallor ruborem pellit, et formas dolor errat per omnes.* Iam Apollon. Rh. III. 296. *ὑπὸ πραδίῃ εἰλυμένος εἴθετο λάθρῃ οὖλος ἔρως· ἀπαλὰς δὲ μετετρωπᾶτο παρειὰς ἐς χλόον, ἄλλοτ' ἔρευθος, ἀκηδείῃσι νόοιο.* De timore eadem praedicat Seneca ep. 22. *non animus nobis, non color conſtat: lacrimae nihil profuturae cadunt.* — 6. Aeſtuantis animi habitum amplius poeta declarat per *humorem*, lacrimas, *in genas furtim*, ipſo non advertente, *labentes*, recurſantis amoris indices. Infra IV. 1. 33. *Sed cur heu, Ligurine, cur manat rara meas lacrima per genas?* Adpoſite Meleag. LIII. 2. (Br. Anal. I. 16.) *ὄμμα τε σίγα πόθοις τὸ γλυκὺ δάκρυ φέρει.* Quanquam et de ſudore per corpus manante, qui et ipſe amoris index eſt, non male accipias; ut in illo Sapphus: *κοὐδ' ἱδρὼς ψυχρὸς χέεται*, et, qui inde profecit, Theocrit. II. 107. de Simaetha Daphnidis amore perculſa: *ἐκ δὲ μετώπου ἱδρὼς μευ κοχύεσκεν.* Alciphr. II. ep. 2. p. 220. *ἄρτι ἀπέψυγμαι, καὶ ἱδρῶ καὶ τὰ ἄκρα καὶ ἡ καρδία μου ἀνέστραπται*, ubi corr. *καὶ κατ' ἄκρα ἡ κ. μ. α.* Valer. Aedituus apud Gell. XIX. 9. *Dicere quum conor curam tibi, Panphila, cordis:*

Vror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicae mero
Rixae; sive puer furens

Impres-

dis: quid mi abs te quaeram verba labris abeunt. Per pectus miserum manat subito mihi sudor. et sic saepius. Priorem tamen rationem praetulerim propter adi. *furtim*, quod igniculos amoris, quem poeta, rivali sibi inducto, exstinctum putarat, subsilientes, lacrimis, ipso quasi invito, caussamque ignorante manantibus, proditos egregie depingit. Clarius haec indicant seqq. — 7. *arguens*, qui argumento est, manifestat: praeclare, quasi hoc ipso demum indicio convincatur, se adhuc amore teneri. cf. V. 11. 9. 10. — 8. *penitus*, κυρόθι, intime, *macerer*, conficiar, consumar. cf. V. 14. 16. — *ignibus* aut omnino amore, aut, quod aptius videtur, aegritudine ex amore suppresso, quae animum *lente*, paullatim, edit atque absumit. Senec. Hippol. 279. de Phaedra: *Labitur totas furor in medullas igne furtivo populante venas. Non habet latam data plaga frontem, sed vorat tectas penitus medullas.* adde v. 376. Nimirum sollennes de amore parum prosperi successus locutiones sunt, *peredi amoris tabe* (Virg. Aen. VI. 442. et IV. 66.) *lento igne torreri* (Ovid. A. A. III. 573. *Ignibus his lentis torretur, ut humida taeda.* Tibull. I. 4. 81. *Eheu quam lento Marathus me torret amore*) ut Graecorum δάκνεσθαι (v. Stanl. ad Aeschyl. p. 733.) ὀκνᾶσθαι (ut Theocr. VII. 51. et XXIII. 33.) τήκεσθαι (ut in nobilissimo Pindari fr. apud Athen. p. 602. et alibi) et sim.

v. 9 *sqq.* *Vror*, indignor, excrucior, ut Terent. Eun. III. 1. 47. *si quando illa mentionem Phaedriae facit, aut si laudat, te ut male urat*, quem locum excitavit iam Heynius ad illa Tibulli IV. 13. 19. *Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures.* — *turparunt*, foedarunt, lividos fecerunt (sic *ianua rixis saucia* Propert. I. 16. 5.) *tibi humeros*, humeros tuos paullo invenustius apprehendendo, ac vexando. In quo doctius *rixae* id facere dicuntur, quod facit rixans Telephus. — *immodicae* factae *mero* hausto, inter compotationem, seu, quod doctius est, ortae a mero immodice hausto. Livoris signa in hac re saepius memorata, veluti Tibull. I. 6. 14. I. 8. 37. Ovid. Am. I. 7. 41. *Aptius impressis erat os livere labellis, et collo blandi dentis habere notam.* v. Burm. ad Propert. III. 6. 21.

De

Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Laeden-

De pulsatione inter amantes exasperatos facta quo minus capias, vetat omnino sententiarum nexus. Multo minus *mero* cum quibusdam trahendum ad *turparunt*, quasi Telephus inter altercationes mutuas vinum, in Lydiae humeros effudisset, sicque polluisset. Egregie vero ad animum Lydiae recuperandum a poeta adornata omnia; hinc rusticitas Telepho in amando obiecta, uti saltem videbatur Horatio; nam ipsa forte de hoc minime conquerebatur; tum pulchritudinis puellae laus (*candidos humeros* et mox *dulcia oscula, quae Venus* caet.) temere quasi adtexta. — 11. *puer furens*, amore nimio incensus. — *impressit notam labris*, infixit, fecit notam, maculam *memorem*, memoriam osculi diutius servantem. Sic *memores fastus* IV. 14. 4. *memores notae* Claudian. Id. VI. 6. Hoc loco ornat simpliciter. Est adeo: os impresso dente lividum fecit, *χείλεα ἄμυξε* Theocr. 27. 18.

v. 13 *sqq.* Vulgare erat: Audi me et ne spera Telephum constanter ac perpetuo te amaturum: nam quo vehementior nunc eius amor est, eo citius remittet, atque exstinguetur. Praeclare hoc, quod rivalis fidem elevando constantiorem in amore se futurum tacite innuit; puellaeque animum sic ab eo abalienando eundem sibi conciliare studet. — *satis audias*, si me omnino audire velis, si me eum iudicas, cuius coniecturae aliquid tribuas; blande admodum. — 14. *non speres*, *οὐκ ἐλπίσειας ἄν*, non sperabis, ne in animum tibi inducas, illum *perpetuum* in amore fore, te perpetuo ab illo amatum iri, qui tam *barbare*, more parum delicato *laedat* morsu, impresso dente, *oscula*, suaviter pro, os tuum, labella tua. Stat. Theb. III. 294. de Marte Venerem amplexo: *clypeoque receptam laedit in amplexu*: cave ibi Barthium audias. Apulei. *ἀνεχόμ.* 6. 7. *Olli purpurea delibantes oscula clemente morsu rosea labella vellicent. Oscula dulcia* declarat poeta amplius per, *quae Venus . . . . imbuit*: quibus oscula ipso melle dulciora a poeta innui, satis obvium quidem hoc; sed de elocutionis ratione recte quaeras. Nimirum oris suavitatem inprimis ex osculis perceptam communis fere totius antiquitatis usus melli comparabat. Sic, qui statim succurrit, Silentiarii locus II. 5. (Br.

Laedentem oscula, quae Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.
Felices ter et amplius,

Quos

Anal. III. p. 71.) τὰ φιλήματα μαλθακὰ Δημοῦς ἔγνως καὶ δροσερῶν ἡδὺ μέλι στομάτων. Similiter στόματα μελισταγῆ dixit Leont. I. 1. (ib. p. 103.) Iam quum nectar ipso melle dulcius statuerent, melque tantum partem aliquam nectaris (ἔνατον μέρος τῆς ἀμβροσίας mel vocat Ibycus apud Athen. II. 2. extr. Schol. Pind. Pyth. ϑ. 116. τὸ μέλι τῆς ἀϑανασίας δέκατον μέρος ᾠήϑησαν εἶναι, quo haud dubie veteris alicuius poetae figmentum respexit) efficere existimarent; sane satis proclive erat, ut, quo magis suavitatem oris extollerent, illud nectare imbutum, nectar stillare et similia dicerent. Meleag. c. XXI. 4. Ζεῦ πάτερ ἄβρα φίλημα τὸ νεκτάρεον Γανυμήδους πίνεις — — καὶ γὰρ ἐγὼ τὸν καλὸν ἐν ἠιϑέοισι φιλήσας Ἀντίοχον ψυχῆς ἡδὺ πέπωκα μέλι. Pariter de Ganymede Lucian. T. I. p. 214. καὶ φίλημα σὸν ἥδιον τοῦ νέκταρος. In ἀδεσπότ. ep. LV. (Br. Anal. III. 161.) κούρη τις μ' ἐφίλησεν — νέκταρ ἔην τὸ φίλημα, τὸ γὰρ στόμα νέκταρος ἔπνει. Alciphr. I. 38. ὡς δὲ ἡδύ τι καὶ ἀκήρατον ἀπὸ τῶν φιλημάτων νέκταρ ἔσταζεν. Adde M. Argentarium II. 3. (Anal. Br. II. 266.) *Quintam* vero *nectaris partem* poeta omnino pro multo posuit, quo *Venus* Lydiae labia *imbuit*, dulcissima illa voluptate perfudit. Prisca autem notione hoc Veneri iniunxit, cuius omnino dona essent venustas, formae gratia atque illecebrae; quo sensu δῶρα Ἀφροδίτης dixit Homer. Il. γ. 54. cf. Stat. Silv. I. 2. 110 sqq. *Sine hac* enim *neque fit laetum neque amabile quicquam*, iuxta Lucret. I. 24. Simili ornatu Stat. Silv. I. 3. 10. in descriptione villae Tiburtinae: *Ipsa manu tenera tectum scripsisse Voluptas — Tunc Venus Idaliis unxit fastigia succis.* Piget Intpp. deliria super h. l. aliis de quinto Aristotelis elemento, aliis de quinta essentia Paracelsi: aliis denique de quinque gradibus amoris cogitantibus, pluribus referre atque exagitare.

v. 17 *sqq.* Praeclare atque ex animi natura poeta, amore infelici excruciatus, felicitatem secum reputat, quae sibi obtigisset, si Lydiam in amore constantem expertus fuisset. Generali hoc includit sententiae, felicissimos eos praedicans, quorum amor nonnisi morte finiatur. *Felices ter et amplius*, τρὶς μάκαρ ὅς τοίοισι, φίλη, δεσμοῖσιν

Quos irrupta tenet copula, nec malis
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

σιν ἐλίχθη, τρὶς μάκαρ· ἀλλ' ἡμεῖς ἄνδιχα κοιόμεθα. Silentiar. VII. extr. (Br. Anal. III. p. 75.) quanquam paullo diverso sensu. — *irrupta copula*, irruptum amoris vinculum, amor non mutatus. *Copula*, *vinculum*, *iugum*, δεσμοὶ, sollennia de amore mutuo. — *tenet*, coniungit, coniunctos tenet. — 19 sq. Continuatur allegoria, quae est in *copula*. Verba ita expedienda: et quos *non citius suprema die*, non prius, quam quum morientur, *solvet*, dissolvet, seiunget *amor*, haud *divulsus* (utroque enim referenda negatio) ante id tempus *querimoniis*, iurgiis, dissidiis, h. quorum amor ad mortem usque durat. Docte ipse amor *divelli* dicitur (quemadmodum amicitia, foedus) cum amantes divelluntur, et *solvere* hos vinculis suis, et quasi disiungere, cum ipse morte solvitur. — *malis*, amori infestis, quae amorem exstinguunt; ornat.

CARMEN XIV.

ARGVMENTVM.

Monet atque obtestatur hoc carmine Romanos Horatius, ne denuo in bella civilia irruant: id quod perpetua allegoria persequitur. Scilicet rempublicam iam tot tantisque calamitatibus labefactatam et convulsam navi, procellis laceratae, omnibus praesidiis orbatae, ac nihilominus mare iterum ingredi paranti comparat, eamque, ut portum attingere studeat, enixe rogat. Mala illa varia et innumerabilia, quibus civitas laborabat, quibusque omnes eius partes adflictae erant, et pericula, quibus eam nova bella civilia obiectura essent, gravissima ornatissimaque copia extulit, enumerandis singulis quassatae navis partibus; in quibus tamen exigendis non ita haerere debet interpres, ut singulas ad rem significatam applicare ac pertrahere sibi sumat. Vsus autem est Horatius hac allegoria cum prudentia, in tam ancipiti rerum statu rem suspicandam magis Romanis ostendens, quam plane ac disertis verbis exprimens; inductus maxime exemplo Alcaei, cuius et multa carmina, quod aperte in tyrannos invehi non posset, allegorica fuisse constat, et fragmentum exstat apud Heraclidem Pont. de alleg. Homer. p. 13. ed. Schov.

* * * *

Τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται,
Τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον
Ναῦ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ,
Χειμῶνι μοχθεῦντες μεγάλῳ· καλὰν

Πάρ

Πάρ μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει·
Λαῖφος δὲ πᾶν ἄδηλον ἤδη,
Καὶ λακίδες μεγάλαι κατ' αὐτό.
Χαλᾶσι δ' ἀγκύραι . . . . .

Fecit carmen, cuius haec pars est, Alcaeus occasione tumultuum Mitylenaeorum temporibus Myrsili tyranni; atque Horatium ex illo suum totum expressisse dubitare vix licet. Vnde simul, totum hoc carmen ἀλληγορικῶς *accipi debere, recte statui posse arbitror. Sed accedit etiam Quinctiliani auctoritas, qui non suspicatur, esse in hoc c. allegoriam, sed illud ut illustre ac notum eius exemplum ponit. Ita vero ille Instit. Or. VIII. 6. 44. At allegoria, quam inversionem interpretamur, aliud verbis, aliud sensu ostendit; ac etiam interdum contrarium. Prius, ut, O navis referent in mare te novi fluctus caet. totusque etiam ille Horatii locus, quo navim pro republica, fluctuum tempestates pro bellis civilibus, portum pro pace atque concordia dicit. Verum hoc tam acris iudicii viro, qui Romae viveret, qui tam prope aetatem Horatii attingeret, et sic, quomodo hoc carmen acceptum esset a Romanis, optime nosset, illo scilicet meliora se videre primus putavit Muretus, eiusque sententiam exornavit inprimis T. Faber (Epist. I. 54. et ad Horat. p. 300.) quem sequuti sunt Dacierius, Bentleius, alii. Putant nimirum, si pro allegoria habeatur carmen, hanc nimis anxiam et subtilem esse, dum ad minutias, ad vela, antennas, latera, malum caet. descendat. Tum indigne ferunt, comparari sic rempublicam R. navi Ponticae; mallent Idaeae,*

ob Romam Troia oriundam. Denique vv. 17. 18. intelligere se non posse clamant, si allegorice carmen interpretari oporteat. Itaque proprie accipiunt totum carmen, illudque scriptum esse putant ad navim, qua poeta a. U. DCCXIII. cum amicis post cladem Philippensem in Italiam venerit, et qua amici, quibus non tam benigna sors, quam Horatio, in Italia adfulserit, mare iterum ingredi paraverint, Aegaeum Asiamque petituri. Illis igitur abeuntibus hoc ad navim, tempestate ad Palinurum promontorium laceratam, carmen scripsisse Horatium; ut supra tertium, abeunte Athenas Virgilio. Sed cum navis lacera admodum humile profecto carminis lyrici argumentum esse videtur, indignum certe tanta copia, gravitate, ornatu, qualem nostrum c. habet: tum, si vel verissimum esset illud narrationis somnium, quid tandem consilii Horatio in ea canenda propositum fuerit, non apparet. Voluitne amicis dissuadere abitum? an suadere, ut ante reficerent navim? Tum, cur ad mare Aegaeum redire voluit amicos, cum in vicina Sicilia esset Sex. Pompeius? Et, si in Siciliam eos transmittere cupit, cur a Cycladibus eos cavere iubet? Denique dum poeta hoc agit, ut singularum partium commemoratione rem oculis quasi subiiciat, dum ornatu exquisitissimo doctrinaque haud vulgari allegoricae carminis formae, quae per se legentium animos non admodum tenere potest, gratiam atque vigorem conciliare studet, num sic minutias putido studio captasse dicendus est? Plura vide apud Masson. vit. Hor. p. 58. et Sanad. h. l. — Caeterum ipsa reipublicae cum navi, eiusdemque quocunque modo periclitantis cum hac fluctibus oppressa naufragiumque

giumque factura satis frequens est comparatio. De republica a potentioribus occupata praeclari vv. extant in Theognideis 679 sqq. οὕνεκα νῦν φερόμεσθα, καθ' ἱστία λευκὰ βαλόντες Μηλίου ἐκ πόντου νύκτα διὰ δνοφερήν· ἀντλεῖν δ' οὐκ ἐθέλουσιν, ὑπερβάλλει δὲ θάλασσα ἀμφοτέρων τοίχων· ἢ μάλα τις χαλεπῶς σώζεται· οἱ δ' εὔδουσι· κυβερνήτην μὲν ἔπαυσαν ἐσθλόν γ' ὃς φυλακὴν εἶχεν ἐπισταμένως· χρήματα δ' ἀρπάζουσι βίῃ, κόσμος δ' ἀπόλωλε· δασμὸς δ' οὐκ ἔτ' ἴσος γίγνεται ἐς τὸ μέσον· φορτηγοὶ δ' ἄρχουσι, κακοὶ δ' ἀγαθῶν καθύπερθε· δειμαίνω, μή πως ναῦν κατὰ κῦμα πίῃ. Cic. ad Div. XII. 25. quam ob rem, mi Quinte, conscende nobiscum, et quidem ad puppim; una navis est iam bonorum omnium. et loc. notiss. ad Div. IX. 15. sedebamus in puppi caet. cf. II. 7. 15. Quemadmodum autem maxime dubia ac formidolosa tempora fuisse oportet, cum scribebat carmen Horatius; ita forte optime referas ad a. DCCXXII. quo inimicitiae inter Octavianum et M. Antonium, magnis utrimque apparatibus ad atrocissimum bellum spectarent. cf. Virg. Ge. I. 509 sqq. Porphyrion et plurimi recentiores ad M. Brutum, bellum post prius Philippense praelium reparantem, multi et cum Acrone ad Sex. Pompeium, Magni F. in Sicilia res novas molientem, referunt. Ingeniose vero Sanadonus cogitabat de a. DCCXXVI. quo tempore de principatu deponendo deliberabat Augustus: quare Horatium, ne id eum sineret respublica, et sic novis malis ac bellis locum daret, hortari voluisse. Eadem iam ante Sanadonum sententia fuit Torrentii, quod dubium esse non potest ei, qui notam

eius recte legerit et expenderit: item Massoni vit. Hor. p. 66. *Sane Maecenas in oratione, qua suadet Augusto, ut imperium retineat (Dio LII.* 16.) *eadem reipublicae cum navi comparatione utitur. Sed forte ab ipso Dione ista exornatio est, omninóque atrociores pro rerum a. DCCXXVI. statu nostri carminis imagines videntur; neque ulla tunc allegoriae necessitas erat. Omnium vero, si Dis placet, ingeniosissime Io. du Hamel putat, Horatium patrem hac allegoria alloqui filium, ut Bruti partes deserat. Caeterum comparetur cum eo V.* 7.

AD

AD REMPVBLICAM.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus? O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus,

Et

v. 1. 2. Praeclare poeta, periculi metu perculsus, subita exclamatione orditur: *o navis*, ergo altum repetes, in altum provehes, ut iterum tempestatem experiaris? At gravius poeta: *fluctus novi* h. fluctus iterum, demio *te referent*, abripient in altum *mare:* quoniam navis, remis velisque priore naufragio destituta, aegre cursum ad litus dirigere poterat, quo minus in altum referretur. Eodem ornatu ac vi II. 7. 15. *te rursus in bellum resorbens unda fretis tulit aestuosis.* Est igitur, ergo abripi te patieris, nec summis, quae tibi, naufragio adtritae, supersunt, annitere viribus, ne iterum fluctibus in altum abripiaris, sicque funditus pereas. — 2. *quid agis?* quae ista est temeritas, amentia, mari se iterum credere velle, unde tanta calamitas acciderit. Imo *fortiter*, summa virium contentione hoc age, ut *portum occupes*, attingas, adeoque in tranquillo ac tuto loco sis. Monet adeo poeta rempublicam, ne bellis civilibus, a quibus nondum satis convaluisset, iterum sese immergat. Male alii de portu iam capto et constanter obtinendo accipiunt. Nam respublica nondum satis confirmata erat; navis adeo nondum securam stationem tenebat. Vt taceam e verbis hanc sententiam parum commode elici.

v. 3 — 10. Rempublicam bellis civilibus plane exhaustam, praesidiisque suis orbatam servata allegoria declarat poeta per navem tempestate graviter afflictam. Hoc, Alcaei exemplum secutus, exquisito ornatu ac copia specialibus ideis expressit, remos excussos, malum et antennas fracta atque labefactata, funes amissos, vela denique lacerata memorando. Nugas igitur agunt, qui has singulas navigii partes ad allegoricam rationem revocant, et quae eae sint in republica, putido atque inani studio extricare conantur.

Et malus celeri ſaucius Africo
Antennaeque gemant? ac ſine funibus
Vix

— 4. *latus* navis *nudum*, nudatum, orbatum ſit *remigio*, remos amiſerit vel fluctibus (ut Valer. Fl. I. 618. *excuſſi* procella *manibus remi*) vel ad ſcopulos alliſa. Proprie ita dicebantur remi, *detergi*, *παρασύρεσθαι*. v. Heyn. ad Virgil. Aen. I. 104. Poſt *latus* adſumendum e v. 6. *gemat*, unde per zeugma eliciendum *ſit*, vel proprie accipiendum de fluctuum, qui latus feriunt, fragore. Valer. Flacc. I. 619. *Puppis in obliquum reſonos latere accipit ictus.* — 5. *ſaucius*, laeſus, fractus, ut *trabs ſecuri ſaucia* Ovid. Met. X. 372. *ianua rixis ſaucia* h. *pulſata*, ut ipſe expedit Propert. I. 16. 5. adde Claudian. de VI. Conſ. Honor. v. 138 ſqq. *ſciſſis velorum debilis alis, orba gubernaclis, antennis ſaucia fractis, ludibrium pelagi vento iactatur et unda.* qui totus locus e noſtro fluxiſſe videtur. Procellas innuit poeta per *Africum* (v. ad I. 1. 15.) *celerem*, *ὀξὺν*, rapidum, praeeipitem. — 6. *gemere* praeclare de ſtrepitu rerum, quae vi aliqua incumbente graviter adfliguntur (ſic Charonis *cymba gemit ſub* Aeneae *pondere* Virg. Aen. VI. 413.) futuris ſuis aut compagibus ab ea emotae ac ſolutae. — *ac ut carinae*, carina tua *ſine funibus*, fune amiſſo, *aequor*, aſſilientes fluctus *vix durare*, aegre ſuſtinere poſſit. Variatam a poeta orationem facile deprehendas; nam vulgare erat, neque funes habes, quibus te ſuſtentes. Quod qui non animadverterent, et carinas ac funes de una navi dici poſſe negarent, habuere hos vv. pro ſententia generali: naves, quae inſtar tui ſine funibus ſunt, mare durare nequeunt. Magis in diverſa abit Bentleius, qui in ipſo portu tantam tempeſtatem coortam a poeta deſcribi ait, ut malus navis antennaeque gemant, et *caeterae* naves, quae in eodem portu ſunt, ſtationem tenere non poſſint, *ſine funibus*, niſi ancoris iactis. Sed generalis iſta ſententia, hic importune intruſa, admodum ingrata foret elegantiae ſenſui, et Bentleii ratio ſeu potius commentum ſatis contortum eſt, et plus una parte laborat. Navis enim ex Horatii ſententia nondum in portu eſt; (male enim hoc ponitur ex v. 2.) ſed fac ibi ſit, quis non exſpectaſſet, poetam de hac, non de caeteris, quas in portu ſtare comminiſcuntur, dicturum fuiſſe, quod ſine ancora durare nequeat? Ne illud dicam, carinas et funes aliarum navium inter unius navis partes enumeratas admodum dure interiecta videri. Accedit, quod, ſi allegoricam huius carminis rationem

Vix durare carinae
Possint imperiosius
Aequor?

nem spectes, non assequi licet, cur tandem aliarum navium mentionem poeta iniecerit. Alii denique navem in altum iam provectam intelligunt, ventisque ac fluctibus penitus disiectam atque divulsam, adeo, ut funibus opus sit, quibus constringatur, ne prorsus dissolvatur, utque adeo sola funium ope mare duret. Expediunt igitur illa verba, *sine funibus*, nisi funibus constringatur. De re quidem dubitare non licet. v. Propert. III. 5. 23. et ibi Passerat. Atqui ex Horatii mente, totaque carminis oeconomia navis nec altum tenet, neque iam portum attigit; sed huic proxima conflictatur cum fluctibus, eam retrorsum agere conantibus. Hortatur adeo eam poeta, ut iis omni opera obnitatur, portumque attingere studeat, ne, in altum relata, certissimum naufragium faciat, funibus quippe s. ancora, qua se utcunque sustentare posset, destituta. Mirandum sane, Intpp. in tanta luce verum perspicere non potuisse. Neque vero offendere debebat, quod carinae et funes de una nave dicerentur, quum numeri confusio poetis admodum familiaris sit. Virgilius quoque Aen. IV. 580. habet *retinacula* unius navis. Proprie vero *carinae*, nam ex ea navis parte *funes* demittebantur. Erant ii proprie vincula, sive retinacula, quibus naves antiqua aetate ad litus alligabantur, πείσματα. v. Serm. I. 5. 18. Virgil. Aen. IV. 575. cf. Burm. ad Prop. III. 5. 23. Sed postero tempore ancora etiam inducta, qua vel in alto mari naves tenerentur. Hom. Il. α. 436. Virg. Aen. I. 169. Igitur h. l. ancoram declarant *funes*, retinacula eius. — 7. *durare καρτερεῖν*, perferre, quin, fluctibus iactata navi, dissiliant, carina penitus solvatur. Cum dilectu hoc verbum posuit, propter epith. *imperiosius*; nam tyrannidem aegre sustinemus. — *aequor imperiosius*, imperiosum, quod in navem crudele imperium exercet, eam hinc inde iactando; adeoque violentum, impetuosum.

v. 9 sq. Lintea, λίνα, vela *tibi non integra sunt*, tempestate partim lacerata, partim amissa. — 10. Deos quoque tutelares tempestas deiecit. Pers. VI. 30. *iacet ipse in litore et una ingentes de puppe dei*. Habebat nimirum quaeque navis deum aliquem tutelarem, cuius simulacrum cum ara in puppi solebat statui, absolute inde *navis tutela* dictum; res notissima. Est igitur: *non Dii tibi*

amplius

Aequor? Non tibi sunt integra lintea,
Non Di, quos iterum pressa voces malo:
Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,

Iactes

amplius *sunt, quos voces*, invoces, quorum auxilium implores, qui tibi periclitanti subveniant, *iterum pressa malo*, novis malis oppressa, ubi iterum cum tempestate colluctandum tibi sit. Bellum civile est scelus, ἄγος, quo tota civitas obstricta est. Aversantur illud Dii, adeoque urbem, scelere isto contaminatam, relinquunt, donec expietur. v. ad I. 2. 21. Praeclare igitur, servata allegoria Deos, qui urbem intestinis *malis*, calamitatibus bello civili iterum *pressam*, oppressam (nam ad hoc *pressa malo* magis spectare videntur, quam ad tempestatem) erigere atque servare possent, aversos esse ob prius scelus, poeta innuit.

v. 11 — 13. Oratio horum vv. ita prisca ac generosa est, ut ad verbum e graeco exemplo expressi videantur. *Quamvis*, quantumvis, utcunque *tu iactes*, glorieris, efferaris; pro tenui, *tu*, ornate atque cum dilectu, *Pontica pinus*, quippe e *pinu Pontica* fabricata, et tanquam *filia*, quae originem ducis e *nobili silva*. Deberet proprie esse, Ponticae silvae filia nobilis, sed docte hoc disiunxit, ne *pinus* nude posita esset. Ornatus hic poeticus imposuit omnino Intpp., ut, quae vera esset verborum structura, minus accurate perspicerent. Duo fere faciunt orationis commata: quamvis *sis* Pontica pinus, et silvae f. nobilis; *et iactes* etc. suppleto *sis* in priore commate. Alii eandem hanc rationem secuti, in posteriore *tamen* supplent, hocce modo: *quamvis sis* caet. *tamen iactes*, quo quid sibi velint, non assequor. Omnino hic locus docere potest, quantum ligata oratio cum ornatiore dictione tum structura orationis, verborumque collocatione a soluta recedat. Si enim prima h. loci stamina retexas, facile videas, nihil amplius poetam voluisse, quam: etsi e satis firma materia compacta sis. Pro hoc eam dicit e pinea Ponti, quae navibus fabricandis aptissima esset, materia constructam; tum, re sub sensus revocata, atque ut ita dicam, animata, navem genus suum deducere ait a silva Pontica tanquam stirpe, adeoque eam esse Ponticae silvae filiam. Cum in hoc semel incidisset poeta, ut navem silvae

filiam

Iactes et genus et nomen inutile.
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit.

filiam diceret, proclive satis erat, ut eidem sensus atque animum tribueret, eamque genus suum *iacture* diceret. Iam observa copiam poetae in ipsa elocutione. Sententia enim absoluta erat, si dixisset: Quamvis pinus sis Pontica, aut paulo ornatius, etsi sis Ponticae silvae filia, etsi iactes genus Ponticum, aut denique, genus atque nomen tibi inutile est: sed haec omnia cumulate adfudit huic loco, miroque artificio contexuit. *Pontus*, s. Ponti regio cum praestantissima navibus exstruendis abundabat materia, tum eximia ibi erant navalia. cf. Catull. IV. 9 sqq. *silvae filia*, quae in ea prognata est, prisco sermone. Martialis imitationem XIV. 90. *non sum Muurae filia silvae*, de acerna mensa notarunt iam alii. *Nobilis* cum vi adiectum, nam iactabat *genus* nobile, antiquissimam et nobilissimam silvae Ponticae stirpem se aiebat. Sic phaselus Catullianus IV. 15. *se ultima ex origine stetisse dicit in cacumine Cytori.* v. ibi Doctiss. Doering. — *nomen*, gloriam, famam celeritate ac periculosa loca traiiciendi dexteritate olim partam. Idem de se gloriatur phaselus Catull. l. l. v. 2. 3. et 6—9. — *inutile*, quod tibi nunc parum prodest. Docte hoc epith. τῷ nomen adiunxit, quod ad totam fere sententiam spectat. Nimirum vulgare erat: inutiliter, nequidquam iactas genus et nomen tuum, non incolumem ista tua nunc te praestat generis iactantia. Si haec ad rempublicam transferas, erit: Non augusta tua atque ab ipsis Diis, Marte et Venere, deducta origo, quam iactas, neque vetusta gloria tot rebus praeclare gestis parta prohibebit, quominus novo bello civili prorsus intereas.

v. 14. Variavit orationem poeta, quae ita continuanda erat: quamvis iactes et genus et nomen et picturas in puppi: vel, neque ornamenta tua in puppi, quibus admodum fidis, te ab interitu servabunt. Instantem tempestatem docte poeta innuit per *nautam timidum*, qui tum *nil fidit*, nullam spem salutis reponit in *pictis puppibus*, picturis, quibus navis sua decorata est. More enim antiquo naves, inprimis puppes, encausto sive coloribus ustis speciose pictae atque ornatae erant extrinsecus, puppes etiam intus. v. Virg. Aen. V. 663. Ovid. Fast. IV. 276. *picta coloribus ustis puppis.* Apte ad

rem

Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.

Nuper

rem Seneca ep. LXXVI. *Navis bona dicitur, non quae pretiosis coloribus picta est . . . . nec cuius tutela ebore caelata . . . sed stabilis et firma.* Innuit vero poeta reipublicae opes ac splendorem, aedificiis, templis, ac luxurioso vitae genere proditum.

v. 15. 16. Quum igitur, remis excussis, malo fracto, antennis labefactatis, ancora perdita, velisque diruptis s. amissis, nihil prorsus in te amplius habeas praesidii, quo te adversus tempestatem tuearis; *cave*, tibi prospice, adeoque altum ne pete, mari te iterum ne committe, *nisi debes*, debere vis, debere mavis, h. tam emotae es mentis (hoc enim involvit τὸ *nisi*, quod eleganter sic argumentationibus subiicitur, ubi alterius sententiam, nostrae contrariam, eo consilio adducimus, ut absurditatem istius breviter perstringamus. v. vel Gesner. Th. L. L. h. v.) tam vecors es, ut propositi (sc. altum petendi) tenax ventorum ludibrium esse s. ventis ludibrio esse velis; seu, ut aliis verbis idem eloquar, cave, ne iterum mare ingrediaris; summae enim temeritatis foret, se ventis, quibus amplius resistere nequeas, ludibrio s. diripiendam dare. Altera ratio est, si verba ita iungas, *cave, nisi* h. ne *ventis ludibrium debeas*, φυλάττου, εἰ μὴ, pro ὅπως μὴ satis frequentato Graecis more, quibus εἰ, ἐὰν pro ἵνα, ὅπως ponitur. Tertia denique, nisi omnino in fatis est, fatale tibi est, naufragio perire. Ex his omnibus teneo equidem priorem explicandi rationem, facilem eam, atque h. l. satis commodam; e reliquis enim altera quidem paullo reconditior est, altera sententiam infert cum tota carminis oeconomia parum consentaneam, simulque ambiguitatem (nam *debere ludibrium* et *debere aliquid fato*, diversa prorsus sunt loquendi genera) quae facile vitari poterat. Sed forte iis, qui hoc amplecterentur, non satis expedita erat ratio, qua ludibrium ventis debere simpliciter dici possit pro, ludibrio iis esse, nulla fati notione adiecta. Nimirum is, qui vel facit, vel dicit aliquid, unde necessario aliquod vel malum vel commodum in se redundet, is id debere, ὄφλειν, dicitur. Sic *poenas marito adulter debet* (Iuvenal. X. 312.) commisso adulterio; *risum debet* (γέλωτα ὀφλισκάνει, ut passim Graeci) alteri, cui ridendi materiam antea dederat:

Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium, curaque non levis,
Inter-

derat: βλάβην h. δίκην βλάβης ὀφείλει (Eurip. Androm. 360.) ei, quem prius laeserat: ζημίαν ὀφλισκάνει (Id. Medea 589.) ὁ ζημίας ἄξια, s. ἀξιόποινα δράσας. Lambinus laudat hunc Platonis locum Apol. Socr. T. I. p. 90. ed. Bip. qui optime hanc loquendi rationem illustrat: νῦν δὴ ἐγὼ μὲν ἄπειμι ἀφ' ὑμῶν θανάτου δίκην ὄφλων· (mortis poenam debens, dictis meis factisque, e iudicum sententia, promeritam) οὗτοι δὲ (accusatores) ὑπὸ τῆς ἀληθείας ὠφληκότες μοχθηρίαν καὶ ἀδικίαν, propter nefarias machinationes digni, qui puniantur. *Navis* igitur, ut haec ad nostrum locum transferam, *ventis ludibrium debet*, quae ita comparata est, ut ventorum ludibria eam pati oporteat, quae adeo remis, velis caet. destituta, ventis ludibrio est, ab iis huc illuc iactata.

v. 17. 18. *Quae mihi nuper* eras *taedium, nunc* es *desiderium* et *cura*, pro vulgaribus, taedio, desiderio, curae. *Taedium*, aegritudo cum satietate. — *sollicitum*, ornate, quae sollicitum faciebat. Taedebat eum navis, quam naufragio perituram putabat, misera navis conditio ei erat taedio, molesta, sollicitum eum faciebat; nunc vero, eam, utcunque adfectam, naufragium evasisse videns, iterum eius desiderio tenebatur, eam iterum amare occepit. *Desiderium, cura*, de re amata, cui bene cupimus, cuius commodis studemus. Sic Catull. II. 5. Lesbiam *desiderium nitens* vocat. adde Cic. ad Div. XIV. 2. — *cura non levis*, maxima, gravissima, de qua maxime sollicitus esset, quam admodum amaret. Fatendum, hos vv. ad reipublicae declarandam conditionem, et quo poeta erga eam adfectus sit animo, magis pertinere, quam ad navem, et allegoriam hactenus a poeta non accurate satis esse servatam. Taedebat eum vivere in republica, ubi omnia omnium miseriarum essent plenissima (uti Cic. ad Att. II. 24. eadem de re cf. V. 16. 21 sqq.) nunc, quum sub Caesare Octaviano iterum florere inciperet, renovabatur eius desiderium, iterum curae cordique ei erat, timebat de ea, ne novis intestinis motibus iterum labefactata penitus prosterneretur.

v. 19. 20. *Vites*, vita *aequora*, quae *fusa* sunt, pro quae sunt *inter* C. mare, quod ambit *Cycladas* insulas, mare Aegaeum: cum dilectu hoc pro quovis mari ponit, quod ea

per

Interfusa nitentes
Vites aequora Cycladas.

per se procellosum, et propter vada et scopulos est periculosissimum. Valer. Flacc. II. 622. *Pariumque infame fragosis — vadis.* Antip. Sid. c. CVIII. (Anal. Br. II. p. 37.) πᾶσα θάλασσα, θάλασσα· τί Κυκλάδας, ἢ στενὸν Ἕλλης κῦμα καὶ ὀξεῖας ἠλεὰ μεμφόμεθα; — *nitentes*, ut *fulgentes* III. 28. 14. propter marmor candidum. Sic *Paros nivea* Virgil. Aen. III. 126. et Stat. Theb. V. 182. *Et Paros et nemorosa Thasos, crebraeque relucent Cyclades.* Caeterum vix dubium esse potest, quin color hic ductus sit ex illo, quod expressit poeta, carmine Alcaei, cui, ut Lesbio, vicinae essent Cyclades.

CAR-

CARMEN XV.

ARGVMENTVM.

Nullus excelsior enthusiasmus est, aut sublimitati atque adeo audaciae lyricae accommodatior, quam vatis futura praedicentis, qui universo carmini augustiorem speciem et omnino diviniorem spiritum dat. Vnde hoc artificio permulti graeci ac latini poetae usi sunt, ut, si vaticiniis in ipsorum carminibus locus daretur, hanc partem inprimis exornarent, ingeniique vim ostenderent. Sed fuere etiam, qui vaticinia totius carminis argumentum facerent; velut est ex eo genere Lycophronis Cassandra. Eiusdem generis fuit Alexandri Aetoli carmen Apollo inscriptum, quantum ex ipsa hac epigraphe, et e particula, quam Parthen. ἐρωτ. παθ. c. XIV. servavit, colligere licet. Maxime vero huc spectare debuit Bacchylidis carmen in excidium Troiae, ad quod se totum composuisse Horatium in pangendo hoc carmine satis diserte Porphyrion testatur, qui hac ode inquit, Bacchylidem imitatur; nam ut ille Cassandram facit vaticinari futura belli Troiani, ita hic Proteum. Porphyrionis testimonio accedit Lutatii auctoritas. Ita enim ille ad Stat. Theb. VII. 330. Ithone, (corr. Itone, Ἰτώνη) civitas Boeotiae est. Hinc Bacchylides Minervam Ithoniam dixit, et Alcomenem (scr. Alalcomenen) ipsam significat, quem imitatus est Horatius in illa ode, in qua

Proteus Troiae futurum narrat excidium. Quibus vero rationibus inductus C. Barthius (ad Stat. Ach. I. 33.) carmen hoc elaboratissimis versibus proditum bonam partem Alcaeo cuipiam deberi suspicatus sit, equidem ignorò; nisi omnino Alcaeum pro Bacchylide memoriae lapsu posuerit. Ad idem hoc carmen respexisse videtur Quinctil. III. 7. 19. Praeclare verb vaticinium eo temporis momento a Deo marino edi fingitur, cum Paris Helenam per mare abduceret. — Caeterum fuere, qui forte superioris carminis spiritu pleni, in hoc etiam allegoriam sibi reperisse viderentur, illudque referrent ad M. Antonium et Cleopatram; in quibus sunt Locher. Landinus, Baxterus, atque inprimis Sanadonus. Et iam olim sic accepisse multos oportet: v. Variet. Inscript. Sed cum difficile fuerit, similitudinem Paridis cum Antonio, Helenae cum Cleopatra satis ostendere; tum nullum prorsus talis allegoriae indicium est. Caeterum comparetur imitatio nostri carminis, Stat. Ach. I. 20 sqq.

NEREI

NEREI VATICINIVM DE EXCIDIO TROIAE.

Pastor quum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,

Ingrato

v. 1 *sq.* *Pastor*, Paris, cui, si vulgarem rationem sequi poeta voluisset, adiiciendum erat epith. *Idaeus*; sed docte hoc cum *navibus* coniunxit, et sic alteri aliud epitheton dari poterat, quod magis ad rem spectaret. Sollennis vero haec Paridis appellatio, ubi rem aliquam, quae primam eius aetatem, quam pastoritiam egit, attingit, poetae in medium proferunt: veluti in iudicio de Deabus habito, Eurip. Androm. 280. Hec. 646. Senec. Agam. 731. et in raptu Helenae, Eurip. Iphig. A. 280. Virgil. Aen. VII. 363. Stat. Achill. I. 20. et sic saepius. In Homero igitur ei locus non erat. — *raperet*, tanquam praedam secum abduceret, nota loquendi ratione, ut ἄγειν καὶ φέρειν Graecorum. Ad rem Eurip. Troad. 865. de Paride: ὃς ἐξ ἐμῶν δόμων δάμαρτα ξυναπάτης ἐλῃστατο, quem locum forte respexit Virgil. Aen. X. 92. *Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?* Propius Stat. Achill. I. 20. *pastor Dardanus incautas blande populatus Amyclas* et II. 348. *Hospitis Atridae — spoliat thalamos, Helenaque superbus navigat, et captos ad Pergama devehit Argos.* et inde Sidon. Apoll. IX. 119. *Nec Phryx pastor erit tibi legendus — quum iussu Veneris — hospitales raptor depopulatus est Amyclas.* Helena igitur, etsi Paridem sponte secuta, Menelai tamen respectu, cuius uxor esset, tanquam praeda abducta, et ipsa Lacedaemon a Paride depopulata recte dici poterat. Alii longinquae navigationis notionem τῷ trahere iniunctam volunt. Sed Ovidiani loci Met. VII. 67. de Medea, Iasonem sponte secuta: *per freta longa trahor*, eadem, quae huius loci, ratio. — *navibus Idaeis*, nave Idaea, cuius materies in Ida monte excisa esset, et ad hanc navem exstruendam, adhibita. — *perfidus*, laesa fide, s. iureiurando per Iovem ξένιον dato. Stat. Ach. I. 403. eadem de re: *Iura, fidem, Superos una calcata rapina. Hospitii temeruta sacra* similiter in Helenae Ep. Ovid. Her. XVII. 3. — *hospitam* proprie ad Menelaum spectat, qui Paridem hospitio

ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera

Nereus

excepisset. Observent tirones exquisitam epithetorum collocationem, *perfidus hospitam*, quae duo uno verbo comprehendit Eurip. Troad. 866. Paridem ξεναπάτην appellans. ἀπατήλιον ἄνδρα dixit Colutli. R. H. 370.

v. 3 *sq.* Pedestris ratio ac simplicior narrationis ordo ferebat: Nereus, ventis silere iussis, haec vaticinatus est. — *Obruit otio ventos*, in profundum eos otium coniecit, sopiit eos, κατεύνασεν (uti Homer. Il. ε. 524. εὕδῃσι μένος Βορέαο) h. flatus ventorum repressit, quiescere, silere iussit. *Otium, pax, quies* de intermisso motu, sollennia poetis vocabula; et *obruere* adiunctam notionem habe: profundae tranquillitatis, altissimi silentii, ventis necopinantibus impositi. — *celeres*, ornat: nisi ad augendam Nerei, ventos in medio cursu opprimentis, potestatem pertinet. Sed hoc subtilius forte. Caeterum Dacer. negat, Nereum esse ventorum dominum. At est maris Deus, qui adeo ventos, mare turbantes, recte compescere possit. Quae potestas ideo vel Nereidibus tributa ab Hesiod. Theog. 253. Κυμοδόκη θ' ἣ κύματ' ἐν ἠεροειδέϊ πόντῳ, πνοιάς τε ζαθέων Ἀνέμων — — ῥεῖα πρηΰνει. — *ingrato*, molesto, non Paridi, ut vulgo accipiunt, sed sibi ipsis, restricta, qua gaudent, flandi libertate. v. Virgil. Aen. I. 55. Praeclare vero poeta hic antiquo illo utitur phantasmate, quo in Deorum ἐπιφανείᾳ, vel insigni aliquo vate canente (de Orpheo supra I. 12. 10. adde Claudian. Praef. in L. II. R. Pr. 17. *Vix auditus erat, venti frenantur et undae*) ipsa natura audientiam quasi facit, ventos ac fluctus comprimendo. Aristophanis locum Thesmoph. 43. 44. ἐχέτω δὲ πνοιὰς νήνεμος αἰθὴρ, κῦμα δὲ πόντου μὴ κελαδείτω adduxit iam Spanhem. ad ista Callimachi (H. Apoll. 18.) εὐφημεῖ καὶ πόντος, ὅτε κλείουσιν ἀοιδοὶ ἢ κίθαριν, ἢ τόξα, Λυκωρέος ἔντεα Φοίβου. Alia loca adlata vide a Valken. ad Theocr. II. 38. et Wernsd. ad Calp. II. 17. (in Poett. min. II. 92.) — 4. *ut caneret*, vaticinaretur Paridi *fera*, audacius pro, saeva, i. horrenda, *fata*, excidium Troiae. Caeterum Nereo vaticinandi partes a poeta datae sunt, quatenus inter deos maris antiquissimos habitus est, quibus omnino vaticinandi peritia a poetis attributa est, veluti Proteo Homer. Od. δ. 384 sqq. Virgil. Ge. IV. 387. Glauco, Apollon. Rh. I. 1310. de Nereo iam Hesiod. Theog. 233. et Eurip. Hel. 15. Nimirum

Nereus fata: Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite
Coniurata tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.

Eheu,

rum quum antiquitas vatem appellaret eum, qui *quae sint, quae fuerint, et quae ventura trahantur* (Virgil. Ge. l. l. coll. Homer. Il. *α*. 70. Orph. H. XXIV. 4. 5. et Eurip. Hel. 13. 14.) animo complecteretur, eaque notio in senilem prudentiam, de praesentibus recte monentem (hinc *εὔβουλος* Nereus Pind. Pyth. 3. 163. et Proteus *πολύβουλος* Orph. l. l.), praeterita cum praesentibus componentem, et inde futura coniectantem unice cadat; ratio in promtu est, cur Diis marinis, qui e quorundam placitis, aquam rerum omnium originem statuentium, antiquissimi habebantur, haec divinandi facultas attributa fuerit. Cum dilectu vero Nereo hoc vaticinium iniunxit poeta, sedem quippe suam in mari Aegaeo, quod transeundum erat Paridi, inprimis habenti. v. Apollon. Rh. IV. 772.

v. 5 sqq. Mala avi, infausto omine, infortunio tuo: *δύσορνις* ut Eurip. Hipp. 759. vel, ut Pind. Nem. 9. 44. *αἰσιᾶν οὐ κατ' ὀρνίχων*. Contra apud Catull. LXI. 20. *bona cum bona nubit alite virgo*. cf. III. 5. 61. et V. 10. 1. adde Lamb. — *ducis domum*, velis tecum in patriam feminam, *quam* tota *Graecia repetet*, vindicabit, reddi sibi postulabit, *multo milite*, magno exercitu, multis copiis adductis. — 7. *Coniurata rumpere*, graece pro, quae coniuravit, se rupturam, dissoluturam *tuas* cum Helena *nuptias*. Rem futuram tanquam gestam narrat, ut vates. Respicit vero poeta iusiurandum, quo se Graeciae principes, in Aulide iam congregati, nonnisi Troia eversa, receptaque Helena se redituros mutuo devinxerant. cf. Stat. Ach. I. 455. Sed et Tyndareo Helenae procí iam fidem, interposito iuroiurando, dederant, se ei, quem Helena maritum sibi elegisset, opitulaturos, *εἴ τις ἐκ δόμων λεβὼν εἴχοιτο, τόν τ' ἔχοντ' ἀπώσασθαι λέχους, καὶ πιστρατεύειν, καὶ κατασκάπτειν πόλιν*, iuxta Eurip. Iph. Aul. 60 sqq. — 8. *et* ipsum *regnum Priami*, Ilium *vetus* adeoque nobile, *Πριάμου πόλιν γεραιάν*. Aeschyl. Ag. 719. Pariter *Troiam antiquam* Virg. Aen. I. 375. et *veterem* dixit Ovid. Fast. III. 423. — *Rumpere nuptias* s. connubii vincula usitato more dici-

Eheu, quantus equis quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae
Genti!

dicitur; at alterum, *rumpere regnum* est paullo exquisitius, et plane Homericum, Il. π. 100. ὄφρ' οἶοι Τροίης ἱερὰ κρήδεμνα λύοιμεν. Plenior adeo oratio esset, urbis moenia, seu vincula (uti plane muros Troiae vocat Catull. LXIV. 368. *Vrbis Dardaniae Neptunia solvere vincla*) rumpere, dissolvere, adeoque urbem destruere, evertere. Sic et πόλιν ἄῤῥηκτον idem Homer. Il. φ. 447. dixit. Supersedere igitur possumus zeugmatis figura, qua generalis verbi notio posteriori commati adcommodetur.

v. 9 *sqq.* Insurgit cum vaticinantis spiritu et ipsa oratio, ad enthusiasmi naturam praeclare attemperata. Quum enim vates, futurarum rerum cogitatione defixi, easdem, abrepti phantasiae vi atque impetu, tanquam in praesens tempus adductas, oculisque suis subiectas per singula momenta persequantur, iisque ipsi interesse videantur; poetae, qui vaticinia eloquuntur, et ex ipsius vatis persona ea repraesentant, fieri non potest, quin eodem spiritu, eodemque imaginum vigore eadem enuntient, ac lectorum quasi oculis subiiciant, cf. Pind. Ol. η. 55. 56. Virgil. Aen. VI. 86. VIII. 537. Lucan. I. 679. Sil. I. 126. III. 701. Petron. de Mut. R. 111 sqq. Stat. Theb. III. 210. et Achill. I. 34. — 9. Ad *grave Martis opus*, s. labores bellicos declarandos memoratur *sudor*, quo perfusi sunt *viri*, milites et *equi* currui iuncti: quae imago petita videtur ex Homer. Il. β. 388 sqq. Ἱδρώσει μὲν τευ τελαμὼν ἀμφὶ στήθεσσιν ἀσπίδος ἀμφιβρότης, περὶ δ' ἔγχεϊ χεῖρα κάμῃσι· ἱδρώσει δέ τευ ἵππος ἐύξοον ἅρμα τιταίνων. Quem locum ob oculos habuit Valer. Flacc. V. 288. *manet ingens aegida sudor, et nostros iam sudor equos.* Nostri vero locum sublegit Stat. Theb. III. 210. *quantus equis quantusque viris in pulvere crasso sudor, io quantum crudele rubebitis amnes!* — 10. Ingenti clade affligetur res Troiana, graviter pro hoc ac cum indignatione poeta, cladem istam ad Paridem, tanquam ultimam belli caussam referens, *quanta funera moves*, quantorum funerum, quantae caedis auctor es *genti Dardanae*, Dardaniae, a Dardano rege sic dictae, Troianis tuis. — 11. Ad augendum belli terrorem praeclare poeta adiunxit phantasma e summa antiquitate petitum, qua *saepe in letifero belli certamine Mavors, aut rapidi Tritonis hera — armatas hominum est*

Genti! Iam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.

Nequidquam, Veneris praesidio ferox,
Pectes caesariem, grataque feminis
Imbelli

est praesens hortata catervas iuxta Catull. LXIV. 395. quo artificio inprimis Homerus usus est, quo maiorem rei gestae dignitatem inferret, sicque fortius legentium animos feriret. Ex eodem notae sunt Palladis partes, ubi saepe ipsa etiam adversus Troianos pugnat. Homericum ἦθος servavit poeta etiam in hoc, quod Minervam non armatam, sed arma sibi aptantem exhibeat, singulaque eius arma, quae sibi induat, ob oculos ponat. Homeri loca, quae huc faciunt, Il. ε. 722 sqq. et β. 446 sqq. adtulere iam alii. Adde Hesiod. Scut. 197 sqq. — *Parat*, aptat, imponit capiti *galeam*. — *Aegis* non de thorace, sed clypeo h. l. intelligenda, cui maxima vis ad terrorem hostibus incutiendum inesse credebatur. Hinc Virgil. Aen. VIII. 435. *aegida* vocat, *horriferam, turbatae Palladis arma*. cf. Lucan. VII. 149. Senec. Herc. fur. 901. et Agam. 530. Valer. Flacc. VI. 174. et v. ad III. 4. 67. Est adeo, *parat*, vibrat, intentat *aegida* in Troianos, qua eos in fugam coniiciat; quod idem Iovis aegidi tribuitur apud Homer. Il. ρ. 596. — 12. *currus parat* est pro, iam conscensura est currum, quod patet ex imitatione Silii III. 701. *coepta aspera cerno, Gradivumque patrem currus iam scandere*. Petita autem haec de curru pugnandi ratio ex aetate heroica, ut ex Homero satis notum. — *rabiem parat*, ira se exacuit ad bellandum. Virgil. Aen. XII. 107. *maternis saevus in armis Aeneas acuit Martem et se suscitat ira*. Ovid. Met. XIII. 544. de Hecuba: *seque armat et instruit ira*. Senec. Med. 51. *Accingere ira, teque in exitium para furore toto*. *Rabidam Pallada* dixit nostri forte loci memor, Valer. Fl. V. 627. Omnino poetae ad declarandam pugnandi cupiditatem maximam ab ira colores desumunt; neque hinc iram Palladis Paridis iudicio offensae traxerim.

v. 13 sqq. Οὐκ ἄν τι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης, ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης. Homer. Il. γ. 54. 55. Vide quomodo haec poeta exornarit. Pro vulgari, nequidquam pulchritudinem tuam iactabis s. pulchritudo te tua tutum non praestabit, ornatius

Imbelli cithara carmina divides:
Nequidquam thalamo graves

Haſtas, et calami ſpicula Gnoſii
Vitabis, ſtrepitumque, et celerem ſequi
Aiacem:

tius erat, parte tantum pulchritudinis memorata, coma tua pulchra ſuperbies, et pro hoc, *caeſariem* tuam *pectes*, ornabis, eleganter compones. Suavis imago hominis imbellis, ac in medio belli tumultu deſidentis et de coma fingenda ſolliciti. — *ferox*, fretus, πίσυνος, ſatis praeſidii in Venere, tibi fore exiſtimans; fere ut Virg. Aen. XII. 52. *Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem feminea tegat.* — 15. *carmina divides*, numeris ſuis dimetieris, docte pro, canes. Cantus enim certis quibusdam rhythmi legibus, pedumque menſuris dividitur, ac diſpeſcitur. Male huc trahunt μελίσδειν ὕμνους σύριγγι e Theocrito Ep. 2. Baxterus cum Lambino explicat: tactis hinc inde fidibus modulos leges. Paullo ſubtilius, Geſnerus vero de cantu per vices inſtituto, ſ. amoebaeo cum Voſſ. ad Catull. p. 239. accipiebat, quem nuper ſecutus eſt Wernsdorf. ad illa Calpurn. VI. 31. (Poett. min. T. II. p. 153.) *quam tibi certanti partem committere vocis*, h. partiri tecum canendi vices, quae tamen ratio paullo longius petita videtur. Neque magis arridet aliorum commentum, qui Paridem in feminarum circulo ſedentem, modo huic, modo illi dulcem cantilenam, quam cuivis maxime placere ſciat, ludentem h. v. repraeſentari, dictumque adeo *dividere carmina feminis* volunt, ut I. 36. 5. *oſcula amicis dividere*, in quo tamen paullo diverſa ratio. Simplicioſſimum forte fuerit, *dividere carmina*, eadem ratione dictum accipere qua ἐνδατεῖσθαι Graecorum, veluti Eurip. Herc. fur. 218. λόγους ὀνειδιστῆρας ἐνδατούμενος, *dividens, ingerens probra.* cf. Brunk. ad Sophocl. Trach. v. 791. Atque hac generali notione accepiſſe videtur Auctor Epigr. IX. (in Anthol. Lat. T. I. p. 4.) *Cygneas genitor geſtans prò fulmine pennas dulcia diffundit carmina virginibus.* — *grata feminis*, adeoque ἐρωτικά amatoria; hinc et ipſa *lyra*, quae ea refert, *imbellis* dicitur, rebus bellicis canendis non apta.

v. 16 *ſqq.* Vtcunque praelium vites, bello te ſubducas, mortem tamen non effugies, aliquando ſuccumbes. — *Nequidquam vitabis*, declinabis, fuga te eripies

Aiacem: tamen, heu, ferus adulteros
Crines pulvere collines.

Non Laërtiaden, exitium tuae
Genti, non Pylium Nestora respicis?

Virguent

eripies *thalamo*, in thalamo te abscondens: praeclare hoc ad mollitiem Paridis declarandam adiectum. Homer. Il. ζ. 80. λαὸν ἐρυκάκετε πρὸ πυλάων — πρὶν αὖτ' ἐν χερσὶ γυναικῶν φεύγοντας ποσέων. Respexit vero poeta Homericam de Paride narrationem Il. γ. 380 sqq. Pugnam exornavit per ideas speciales, *hastas graves*, ἔγχος βριθὺ, στιβαρὸν, quippe ἐνδεκάπηχυ Il. ζ. 319. vel omnino exitiosas, mortiferas: et *spicula calami*, sagittas. — *Gnosii*, Cretici, tanquam e genere praestantiori: ut *Cydonium arcum* dixit IV. 9. 17. , — 18. *strepitum*, stridorem ac conflictum telorum, δοῦπον ἀκόντων Homer. Il. λ. 364. nisi omnino de strepitu pugnantium intelligere malis, ut φλοῖσβος Il. ε. 322. ὅμαδος, κυδοιμὸς et alia apud Homerum. — *celerem sequi*, celerem in persequendo, fortem; ex antiqua pugnandi ratione. Ὀϊλῆος ταχὺς Αἴας pariter Homero audit Il. β. 527. — 19. Observa poeticam orationis structuram: *nequidquam — vitabis: tamen — collines*, etsi diu vitaveris, effugeris mortem, *tamen ferus*, fero, aliquando *crines adulteros*, eleganter comtos, unguentis delibutos, hominis quippe mulierosi *collines*, contaminabis, foedabis *pulvere* ac cruore, h. ocoumbes; nota ex Homero loquendi ratione. Il. γ. 55. ὅν' ἐν κονίῃσι μαγείης. et π. 795. μιάνθησαν δὲ ἕθειραι αἵματι καὶ κονίῃσι. Pind. Nem. I. 102. βελέων ὑπὸ ῥιπαῖσι — φαιδίμων γαίᾳ πεφύρωσθαι κόμαν. Cum dilectu hic ad partes vocata a poeta propter v. 14. Similiter Virgil. Aen. XII. 99. *Semiviri Phrygis — foedare in pulvere crines vibratos calido ferro myrrhaque madentes.*

v. 21 *sqq.* Nam cum fortibus viris tibi depugnandum erit, viros videbis, qui te longe fortiores sint. Sed pro hoc continuat poeta picturam hominis imbellis, certamen devitantis, et fuga unice salutem quaerentis; et altera ex parte duces aliquos Graecorum in persequendo eo occupatos exhibet. Oratio in his vv. admodum vivida, atque ornata e variata hac loquendi forma, *non respicis? urgent te, nosces, furit te reperire. — non respicis?* summum Paridis timorem arguit, in fuga

Vrguent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus ſciens

Pugnae, ſive opus eſt imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen quoque
Noſces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides, melior patre:

Quem

ne reſpicientis quidem hoſtes ſibi inſtantes. — *Laertiaden*, Vlyſſem, Laertis f. — *exitium tuae genti*, docte et graece pro gentis. Vulgare eſſet: qui erit exitio tuae genti. Eadem ratio in Heſiodi loco, qui nunc ſuccurrit, Theog. 326. Φῖκ' ὀλοὴν — Καδμείοισιν ὄλεθρον. Exitium vero Troianis Vlyſſes parabat ſurrepto Palladio, equique lignei aedificandi conſilio dato. — *Neſtora Pylium*, Pyli, antiquae Peloponneſi civitatis in Tryphalia, Elidis parte, regem, conſiliis magis, quam armis, Graecos iuvantem, et ſic interitum Troianis parantem. Hinc decem viros, qui Neſtori ſimiles ſint, Agamemnon ſibi dari cupit, quibuscum Troiam facile expugnaturus ſit. Il. β. 372. — 23. *urgent te*, inſtant tibi *Teucer* Telamonis, regis Salaminis, filius; et *Sthenelus* Capanei f. *ſciens pugnae*, graece et antiquo ſermone, de forti, bellicoſo. Eſt Homericum εἰδὼς μάχης, vel ut Heſiod. Scut. 351. πόνου καὶ ὀιζύος ἴδρις et inde Sil. IV. 532. *gnaros belli veteresque laborum*. — 25. Plenior oratio eſſet: ſciens pugnae, ſive pedes cum hoſte congrediatur, ſive de curru pugnet, in utroque pugnandi genere verſatus, μάχης εὖ εἰδότα πάσης Homer. Il. ε. 11. Prius comma omiſit poeta, ex altero facile eliciendum. — *ſive opus eſt*, ſi res ita fert, *imperitare equis*, ut currum regat, adverſus hoſtes dirigat. Equis et currui imperat, dum eos regit, currum, quo velit, flectit auriga: contra currus obſequium praeſtat, audit habenas regentis, ἅρμα πειθιχάλινον, ſollemni loquendi ratione. — *non piger*, non ignavus, ſtrenuus *auriga*, qui adeo in mediam hoſtium aciem currum immittat. Erat vero Sthenelus Diomedis auriga, quod ex Homero ſatis notum. — *Merionen* v. ad I. 6. 15. — *noſces*, malo tuo experieris, ſenties, qui vir ſit. Cum vi dictum, ut Homer. Il. σ. 269. εὖ νύ τις αὐτὸν γνώσεται. Eadem ſimplici gravitate Pindar. Nem. II. 21. ἐν Τροίᾳ μὲν Ἕκτωρ

Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor
Sublimi fugies mollis anhelitu;
Non hoc pollicitus tuae.

Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei:
Post

Ἔκτωρ Αἴαντος ἄκουσεν, h. Hector ad Troiam expertus est, quanta Aiacis virtus esset. *Cognita bellis nomina* Valer. Fl. I. 789. — *furit te reperire*, furenti animo te requirit, ardet tecum congredi, μεμαὼς κυδιάνειρα Homeri. — *Tydides*, Diomedes. *atrox*, saevus, ἄγριος, ut de eodem Homer. Il. ζ. 97. tum omnino bellicosus, fortis. — *melior patre* Tydeo, πατρὸς ἀμείνων, κρείσσων, h. fortior. res nota.

v. 29 *sqq.* *Quem tu* vel e longinquo conspicatum ea virium, quas in pedibus habes, contentione fugies, ac si iam tuo tergo immineret. Sic egregie respondet v. 27. quo et tendit tota, qua h. l. exornavit, comparatio. Paridem enim cum cervo comparat, qui statim in pedes se coniicit, ubi lupum, non ad se accedentem sed tantum e longinquo, in extrema vallis parte, ipsi ne visus quidem, conspicit. — 30. *graminis*, pastus *immemor*, prae timore, solique fugae intentus: suaviter hoc adiectum. — 31. *fugies cum anhelitu sublimi*, e sublimi ducto, spiritu ex alto tracto, ac pectore elato, graviter anhelans, μέγ' ἀσθμαίνων, nihil amplius. — *mollis* hoc ipso, quod tam cito aufugis, Diomede vel procul conspecto, adeoque ἄναλκις, μαλθακὸς, timidus: cum dilectu hic positum. Nam et ferae, natura timidae, sollenni more poetis, inprimis Statio, *molles* audiunt. — 32. *hoc*, ut fugeres, timidum te gereres, pollicitus tuae, Helenae, uxori tuae, cui insignem tuam virtutem bellicam, ipsa Menelai praestantiorem, iactasses. *Tua* ut Tibull. I. 9. 65. et passim. Ad sententiam Homer. Il. γ. 430. ἦ μὲν δὴ πρίν γ' εὔχε' ἀρηϊφίλου Μενελάου, σῇ τε βίῃ καὶ χερσὶ, καὶ ἔγχεϊ φέρτερος εἶναι. et Ovid. Her. XV. 355.

v. 33 *sqq.* Moram quidem excidio patriae tuae faciet Achillis ob ereptam sibi ab Agamemnone Briseidem ira, qua aliquantisper a pugna abstinebit; tamen

Post certas hiemes uret Achaïus
Ignis Pergameas domos.

tamen aliquando igni comburetur, atque vastabitur. Pro ira Achillis est iracundus Achilles, tum pro hoc *iracunda classis* h. exercitus, qui classe Troiam appulerat, et ad naves castra habebat; nam et is, cessante Achille, a bello abstinebat. — *proferet*, differet aliquamdiu *diem* istam fatalem, excidium, *μόρσιμον ἦμαρ*, *αἴσιμον ἦμαρ* Il. Θ. 72. Virgil. Aen. II. 324. et X. 467. Stat. Th. III. 666. — *matronis Phrygum* diem, quae iis servitutem parat, *δούλειον ἦμαρ*, Il. ζ. 463. Eurip. Hec. 52. — 35. Post certas, fato constitutas *hiemes*, annos *uret*, comburet, vastabit *ignis Ach.* Graecorum *Pergameas domos*, Pergamum, adeoque Ilium.

CAR-

CARMEN XVI.

ARGVMENTVM.

Puellae, quam iambis prosciderat, excusat se hoc carmine Horatius, istamque excusationem ab ira, qua abreptus hanc ei iniuriam intulerit, unice repetit. Argumento huic, quod per se nos non magnopere tenere potest, maximam virtutem conciliat cum ipsa descriptio carminis, et conversio, tum elocutionis poeticae doctrina atque ornatus. Facti se nunc poenitere, ipsique puellae iambos istos, quos iratus olim scripsisset, abolendos tradere statim in fronte carminis declarat. Tum omnem de ira locum poetice pertractat. Ira nimirum nihil esse vehementius, praepedire eam atque conturbare penitus sanae mentis statum, adeo, ut furorem, quem Cybele Gallis, Apollo sacerdotibus, Liber Maenadibus et Corybantes pulsis tympanis immittant, longe superet; nullo adeo eam terrore, neque obiectis ensibus, neque mari procelloso, ne vel Iovis fulmine cohiberi, atque ab ulciscendi studio posse reprimi. Nec mirum, quum animus humanus natura ad iram tam propensus sit (vide, quam gravis excusatio, et arguta huic sententiae insit conversio!) ut vel invitus ea corripiaris, eiusque explendae quovis modo vel cum maximo tuo malo cupiditate incendaris maxima. Hinc enim repetendum Thyestae exitium, tot hominum caedes, tantarumque urbium ruinae. Eadem adeo irae insania me, ipsa aetate iuvenili ad eam proniorem,

rem, ad istos iambos scribendos impulit, quos nunc, ut amica mihi iterum sias, omni modo deletos cupio. De puella, in quam olim Horatius contumeliosum carmen composuerit, et cuius animum hac palinodia recuperare voluerit, quum eius nomen consulto omiserit, certi quid statuere vix tuto licet; neque sane multum refert. Doctam eam fuisse, facile tractatio loci de ira nobis persuadet. Acron et Porphyrion eam Tyndaridem appellant, haud dubie ex antiqua fama, quam non possis sic simpliciter spernere, etiam ob inscriptiones veteres huius et sequentis carminis. Commentator Cruquii Gratidiam illam Neapolitanam, quae sub Canidiae nomine V. 5. et 17. laceratur, intelligit. Quam opinionem tuetur etiam duorum Torrentii Codd. inscriptio: Palinodia Gratidiae h. in Gratidiae gratiam, ad Tyndaridem amicam. E recentioribus peculiari libello de Tyndaride Horatii (Conjectures on the Tyndaris of Horace, 1777. 4.) egit Io. Whitfeld. Is Thraciam ei patriam adsignat, Romamque in comitatu Rhoemetalcis, Thraciae regis, cuius liberta esset, eam pervenisse contendit ex inscriptione apud Fabrett. IVLIA. TYNDARIS. C. IVLI. REGIS. RHOEMETALCAES. L. FECIT. SIBI. ET. SVIS. ET. LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQVE. EORVM. in. FR. P. XII. IN. AGRO. P. XII. unde colligit, et Rhoemetalcen, qui insigni apud Augustum floreret gratia, et e comitibus eius nonnullos, in his libertam eius, Tyndaridem, in nomen et gentem Iuliam adoptatos fuisse. Eandem vero esse, quae Horatio Thressa Chloë, Venus marina, et Sidonia Chloë audiat; eidemque adscribendum esse carmen, Erinnae vulgo adtributum:

butum: Χαῖρέ μοι, Ῥώμη, θυγάτηρ Ἄρης. *Sed ipsa argumentorum ratio, vana ea, atque temeraria, nos his excutiendis atque refellendis immorari vetat. Caeterum graecam et doctrinam et rationem per universum carmen facile deprehendas. Hinc aliquam veri speciem habet Acronis sententia, Horatium hac ode imitatum esse Stesichorum, qui cum in Helenam, a qua ipsum Tyndaridis nomen petitum putant, probrosum carmen scripsisset, et ob id ipsum oculorum lumen amisisset, palinodiam in eam confecisse; et sic visum recepisse narratur. Adfert eius initium Plato in Phaedro (Opp. T. III. p. 243.)*

Οὐκ ἔστ' ἔτυμος ὁ λόγος οὗτος, οὐδ' ἔβας
Ἐν νηυσὶν εὐσέλμοις, οὐδ' ἵκεο Πέργαμα
Τροίας.

Contra Ptolem. Hephaestio apud Phot. Cod. CXC. p. 482. ex Archelao Cyprio refert, Stesichorum Helenam, Himerensem puellam, Micythi filiam, amicam suam, cum se relicto, ad Bupalum quendam se contulisset, carmine lacerasse, sic incipiente:

Ἑλένη ἐκοῦσ' ἀπῆρε.

Atque haec quidem narrationis diversitas forte ita componi potest, ut Stesichorum, dum puellam Siculam carmine isto proscindere in animo haberet, totam carminis rationem ad personatam illam Helenam, quae eodem perfidiae crimine teneretur, adtemperasse atque transtulisse, adeoque sub huius nomine alterius perfidiam perstrinxisse existimemus.

PA-

PALINODIA.

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cunque voles modum
Pones iambis; sive flamma
Sive mari libet Hadriano.

Non

v. 1. Praeclare orditur poeta a primaria carminis sententia, qua iambos illos se scripsisse nolle, deletosque omni modo velle statim declarat. Praeclare et hoc, quod eos ipsi puellae, et quo ipsa velit modo, abolendos permittat. Nam hac ratione puellae animum facilius sibi reconciliatum iri sperare poterat. Quod ut omnino assequeretur, ad hoc a poeta attemperata omnia. Quo eodem consilio puellae pulchritudo, ipsa matris, etsi pulcherrimae, praestantior in limine statim extollitur. Ad verba Ovid. Met. IV. 211. *quam mater cunctas, tam matrem filia vincit.* Illos vero, qui carmen illud contumeliosum similiter incepisse, *o matre turpi filia turpior*, temere ponunt, ipsa metri ratio admodum diversa satis refellit. Maiore veri specie nonnulli existimant, Stesichorum eodem modo Helenam Leda pulchra pulchriorem dixisse.

v. 2 *sqq. Iambis criminosis*, carmini iambico, quo Archilochus, auctor eius, ad alios maledictis proscindendos usus est. A. P. 79. *Archilochum proprio rabies armavit iambo.* Quo genere et alii deinceps usi iambos contumeliosis carminum argumentis proprios fecere. — *criminosis*, qui te criminati sunt, quibus probra tibi ingessi, contumeliosis, iniuriosis; *e natura iamborum*, qui ideo *truces* Catull. XXXVI. 5. et in Anthol. Gr. III. p. 330. ἐφυβριστῆρες dicti. — *pones*, ponas licet, constituas *modum*, finem (ut III. 15. 2. *nequitiae fige modum tuae*) *quemcunque voles*, h. dele, abole eos, quacunque ratione tibi placuerit. — 3. Sive igne, sive aqua eos abolere placet. Pro *aqua* paullo tenuiori, dixit *mare* et quidem *Hadrianum*, Hadriaticum, tanquam impetuosius. v. III. 9. 29. quod adeo iambos istos oculis statim subducat. Est vero proverbialis locutio, ut

Graec.

Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem ſacerdotum incola Pythius,
Non Liber aeque, non acuta
Si geminant Corybantes aera,

Triſtes

Graec. βάλλ' εἰς ὕδωρ. v. Schott. Adag. p. 47. cf. ad III. 24. 45. Ad ſenſum Tibull. I. 9. 49. *Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma torreat, et liquida deleat amnis aqua.*

v. 5 *ſqq.* Doctus transitus, quum naturalis ordo carminis hoc ſententiarum nexu procedere deberet: Ira abreptus eo inſaniae proceſſi, ut carmen iſtud in te facerem; at quanta irae eſt vehementia, quanta eius vis, vel maximam inſaniam exſuperans! Μαινόμεθα πάντες, ὅπόταν ὀργιζώμεθα, Philemon apud Stob. Grot. Flor. p. 105. cui concinunt illa Eveni: πολλάκις ἀνθρώπων ὀργὴ νόον ἐξεπάλυψε κρυπτόμενον, μανίας πολὺ χερειότερον, apud Stob. l. l. Docte hoc per comparationem extulit poeta, furorem a Cybele vel Apolline vel Corybantibus immiſſum minus vehementem eſſe dicens, quam ab ira effectam inſaniam. — *Dindymene*, Δινδυμήνη, *Dea Dindymi* (Catull. LXII. 91.) Phrygiae montis, Cybele. Sacra eius erant enthuſiaſtica, cum tripudiis, diſcurſibus inter tympanorum, cymbalorum, tibiarumque ſonos, quibus in furorem agerentur ſacerdotes, celebrari ſolita. v. Lucret. II. 616 ſqq. Catull. LXIII. Virgil. Aen. IX. 617. Cir. 166. Valer. Flacc. III. 233 ſqq. Deorum vero ipſorum vi credebantur talia effici, quae in eorum ſacris fiebant. — *adytis*, in adytis, templi penetralibus, quae ipſum Apollinem praeſentem inhabitare, ibique ſacerdotem numine ſuo replere, et inde reſponſa dare credebant: res ſatis nota e Virgilio. — *quatit*, violenter de ſua ſede ac ſtatu demovet, percellit, conturbat *mentem ſacerdotum*, furore iis immiſſo. Sacerdotes vero Cybeles ſunt Galli; Apollinis, Pythia et Sibyllae; nam ad utrumque referri debet. — *incola Pythius*, qui Pytho, Delphos inhabitat; Apollo; frequentata poetis ratione, qua Dii regiones, urbes, templa inviſere, frequentare, incolere dicuntur, quae ſibi conſecrata ſunt. v. Heyn. ad Virgil. Aen. I. 16. Exquiſitior tamen eſt altera ratio, quam et orationis contextus ſuadere videtur, ut poeta *incolam Pythium* dixerit, Deum Pythium, Apollinem, qui ſacerdotes numine ſuo implet, in

Triſtes ut irae: quas neque Noricus
Deterret enſis, nec mare naufragum,

Nec

eos migrat, eorum mentem incolit. Deo enim recepto, mentes ſacerdotum turbantur, ac furore corripiuntur. Nota illa Virgilii de Sibylla: *At Phoebi nondum patiens immanis in antro bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit excuſſiſſe deum* Aen. VI. 77. — 7. *non aeque*, non ſic mentem Baccharum ad inſaniam adigit *Liber*, Bacchus: de cuius ſacris ſummo cum furore peragi ſolitis notiſſima omnia. — *non* ſc. mentem audientium aeque conturbant, feriunt *Corybantes*, *ſi geminant*, iteratis ictibus pulſant, collidunt *aera*, cymbala aerea. *Corybantes*, ſ. Curetes, Cybeles ſacerdotes cum eiusdem deae ſacris e Creta in Phrygiam traducti, tumultuoſam inter cymbalorum tympanorumque ſtrepitum inſtituebant ſaltationem. v. Callim. H. Iov. 52. ibique Spanh. Claudian. R. P. I. 207 ſqq. et in Eutrop. II. 281. Nonnulli *aera* h. l. de clypeis accipiunt; ſed iſti, enſe percuſſi, geminari dici nequeunt. Praeſtat adeo de cymbalis geminatis, invicem collisis intelligere. Ovid. Faſt. IV. 184. *Aeraque tinnitus aere repulſa dabant.* cf. et Metam. III. 532. Stat. Theb. VIII. 221. *gemina aera ſonant Idaeaque terga.* — *acuta*, acuti ſoni, tinnientia, *κύμβαλα ὀξύφθογγα*, uti eadem vocat Auctor Epigr. 174. in Brunk. Anal. III. p. 184. Ad ſententiam horum vv. Eurip. Hippol. 143. *σὺ γὰρ ἔνθεος, εἴτ' ἐκ Πανὸς, εἴθ' Ἑκάτας, ἢ σεμνῶν Κορυβάντων, ἢ ματρὸς οὐρίας φοιταλέου.* — 9. *ut irae*, ira ſc. ut quatit, insanum facit animum. — *triſtes*, qualis eſt irati vultus, adeoque ſaevae, vehementes. Irae affectum nulla re ne vel maxime terribili coerceri aut reprimi poſſe, quo minus vel cum ſummo vitae periculo exſatietur, poeta ornate ac graviter declarat per enumerationem rerum, quae ſummum alias terrorem iniiciunt, enſes oppoſitos, procelloſum mare, ignem ac tonitru. *Διὰ μαχαιρῶν καὶ πυρὸς ῥίπτειν δεῖ*, ſimilis eſt Graecorum de proiectae audaciae hominibus proverbialis locutio. v. Zenob. Cent. III. 19. Iratum adeo *neque enſis*, ſtrictus in ſe, ſibi oppoſitus *deterret* ab ulciſcendi ſtudio, h. in medios enſes ruit, caedem ſibi imminentem non curat. Seneca Med. 593. *ignis ſtimulatus ira — cupit ire in ipſos obvius enſes.* Senec. de Ira I. 1. *ſui negligens in ipſa irruens tela et ultionis ſocum ultorem tracturae avidus.* — *Noricus*, docte pro quovis praeſtantiſſimo. Praeſtantiſſimum enim erat ferrum Noricum et enſes inde cuſi. cf. V. 17. 71.

Hoc

Nec ſaevus ignis, nec tremendo
Iupiter ipſe ruens tumultu.

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique

Deſe-

Hoc loco ſimpliciter ornat. — *mare naufragum*, cum dilectu, in quo naufragia fiunt, adeoque procelloſum, impetuoſum, quod alias facile terreat. — 11. *ſaevus ignis*, πῦρ μαλερὸν, vaſtans omnia. Simpliciter quidem ignis accipi poteſt, ut et Graecis διὰ πυρὸς βαίνειν de re valde periculoſa adhibetur, v. ad II. 1. 6. ſequentia tamen ſuadent, ut de fulmine intelligamus. Tum vero *i. ſaevus* erit, a ſaevo, irato Iove demiſſus. v. ad I. 3. extr. — 12. *nec tremendo . . . tumultu*, nec tonitru. Graviter et magnifice hoc poeta elocutus eſt, adſumta illa antiquitatis opinione ſeu potius loquendi ratione, qua Iovem cum imbre (Virgil. Ge. II. 325. Ecl. VII. 60.) cum nive (V. 13. 2.) cum fulmine ac tonitru in terram deferri ſ. *deſcendere* dicebant. Vnde Ζεὺς καταιβάτης, de fulmine. v. Pauſan. V. 14. extr. et omnino Burmanni diſquiſ. de Iove Fulguratore. — Pro deſcendens gravius ad ſenſum ac terrorem, *ruens*. Similiter Sil. XVII. 52. *caelum ruere*. Valer. Flacc. I. 616. *ruit igneus aether cum tonitru* et VIII. 334. *ruina poli* eadem de re. — *tumultu*, fragore tonitruum. *Aetherios tumultus* dixit Ovid. Met. III. 308. *caeli tumultum* Stat. Theb. I. 372. et XI. 26. — *tremendo, quo maxima motu terra tremit — et mortalia corda per gentes humilis ſtravit pavor*, Virg. Ge. I. 329.

v. 13 *ſqq.* Ac in hoc quidem accuſare licet animi humani naturam atque indolem, ita comparatam, ut ira facillime commoveamur, atque excandeſcamus; unde maxima mala ac damna exoriantur neceſſe eſt. Iam vide quomodo poeta a pedeſtri ſcriptore differat. Pro vulgari, gravem nobis a natura inſitam eſſe iram, doctius erat, iram leonis nobis fuiſſe inditam; ſed hoc a mytho repetit doctus poeta, quo diverſos hominum affectus, eorumque cauſſas explicare conabatur antiquitas. Scilicet cum viderent unicuique animalium generi unam eandemque naturam ingenitam; in homine contra diverſos diverſorum animalium affectus, cupiditates coniunctas deprehenderent; proclive ſane erat, ut

Defectam, et insani leonis
Vim stomacho adposuisse nostro.

Irae

has ab iisdem repeterent, omnesque etsi diversissimas, in unum hominem congestas dicerent. Prometheum adeo fingebant, cum formam humanam e luto composuisset, neque amplius haberet, unde humanam indolem effingeret, hanc ex omnibus animalibus decerptam homini insevisse. Simile figmentum est Simonidis de diversa feminarum indole, cuius fragmentum περὶ γυναικῶν separatim edidit Koelerus V. D. Spectat etiam huc fragm. Eurip. p. 496. (ed. Lipsi.) quod apud Stob. (Grot. Flor. p. 13.) Philemoni tribuitur, unde haec tantum delibamus: τί ποθ' ὁ Προμηθεὺς, ὃν λέγουσ' ἡμᾶς πλάσαι καὶ τἄλλα πάντα ζῶα, τοῖς μὲν θηρίοις ἔδωκ' ἑκάστῳ κατὰ γένος μίαν φύσιν; — ἡμῖν δ' ὅσα καὶ τὰ σώματ' ἐστὶ τὸν ἀριθμὸν καθέκαστος, τοσούτους ἐστὶ καὶ τρόπους ὁρᾷν. — *fertur addere*, addidisse, vel potius, *fertur coactus* fuisse, *addere* caet. *Coactus*, materia omni in caetera animalia iam distributa, ob defectum materiae. — *limo principi*, quo primum homines efformasset; nisi potius sit, è quo tanquam materia primaria hominem formare instituisset. Dicti inde homines a Prometheo ficti πηλοῦ πλάσματα Aristoph. Av. 687. cf. Lucian. Prometh. §. 15. T. I. p. 195. et v. Hemsterh. ad eundem p. 185. et Stanl. ad Aesch. p. 736. — *addere*, admiscere *particulam*, partem animae *undique*, ex omnium animalium indole *defectam*, decerptam, desumtam, unde naturam humanam componerêt, eique affectiones insereret. — *et adposuisse*, observa iuncturam orationis paulo insolentiorem; nam in pedestri oratione illa, *addere . . . . defectam* per interiecta enuntiari debebant, hoc fere modo: fertur Prometheus, quum homini πηλοπλάστῳ affectiones animi ab animalibus, ob materiae defectum, desumtas inderet, iram a leone mutuatus esse. — *insani leonis vim* docte pro insanam vim, μένος, insaniam, iracundam indolem *adposuisse*, posuisse, indidisse nobis: pro hoc cum dilectu *stomacho nostro*. *Stomachus*, ut Gr. στόμαχος, proprie est canalis, per quem cibus defertur, oesophagus, orificium ventriculi, καρδία, v. Macrob. VII. 4. et 15. tum ipsa κοιλία ventriculi, propter irritabilitatem suam, inprimis ex infusa copiosiori bile, iracundiae sedes vulgo habita; hinc simpliciter pro θυμῷ, ira ponitur supra I. 6. 6. *gravem Pelidae stomachum*. Notae

Irae Thyeſten exitio gravi
Stravere, et altis urbibus ultimae
Stetere cauſſae, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hoſtile

tae quoque ſunt loquendi formae. *ſtomachari, ſtomachum movere* et ſim.

v. 17 *ſqq. Si effectus irae damnaque intueri velis, nulla peſtis humano generi pluris ſtetit. Videbis caedes ac venena — et urbium clades, et totarum exitia gentium. Aſpice nobiliſſimarum civitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Aſpice ſolitudines per multa millia ſine habitatione deſertas; has ira exhauſit.* Seneca de Ira, I. 2. Vide, quomodo haec poeta tractaverit. Generalem ſententiam, irae effectus eſſe perniciosiſſimos graviter declarat atque exornat fraterni diſcidii exemplo. — *Irae*, ira inter Atreum et Thyeſten, fratres, de regno orta — *ſtravere*, deiecere de ſtatu ſuo *Thyeſten*, atque immerſere *gravi exitio*, graviter afflixere Thyeſten, in caput eius redundarunt. — *altis*, eminentibus, ab excelſis domibus ac muris: e graecis αἰπὺ πτολίεθρον, πόλις αἰπὴ, αἰπεινὴ, *altae moenia Romae* Virg. Aen. I. 7. — *ultimae cauſſae*, ab ultimo initio repetitae, adeoque primariae, praecipuae, *ſtetere*, pro tenui, fuere, extitere: fore ut Virgilii Aen. VII. 735. *ſtant belli cauſſae.* Ira adeo cauſſa fuit, *cur* h. ut *funditus*, πρυμνόθεν (uti adhibuit Aeſchyl. Ἑπτ. ἐ. Θ. 71. πόλιν πρυμνόθεν ἐκθαμνίζειν, pro quo σύρδην Eurip. Rheſ. 58. et Pauſan. III. p. 224. ſimiliter προῤῥίζους τοὺς Ἀθήνας ἐκκόψας dixit) *perirent*, everterentur, ac ſolo aequarentur. Docte hoc exornatur v. 20 ſq. graphica everſionis deſcriptione. — 20. *imprimeretque muris aratrum* breviter dictum, pro, muros ſolo aequaret, iisque aratrum induceret, h. ſolum araret. Aratri uſus in condendis urbibus, iisdemque everſis ſatis notus. Propert. III. 7. 41. *Moenia quum Graio Neptunia preſſit aratro victor Palladias ligneus arcis equus.* Lucan. VII. 430. *Sarmaticumque premat ſuccinctus Conſul aratrum.* cf. Aeſchyl. Ag. 536. et Ovid. Her. I. 53 ſqq. — *hoſtile*, ab exercitu hoſtili inductum: ornat. — *exerc. inſolens*, inſolenter ſe gerens, elatus victoria parta, adpoſito epitheto: nam in hoc ipſo exercitus inſolentiam oſtendebat, victarum gentium urbes penitus evertendo, ipſarumque

Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem: me quoque pectoris
Tentavit in dulci iuventa
Fervor, et in celeres iambos

Misit furentem: nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia; dum mihi

Fias

memoriam, inducto aratro, delendo.

v. 22 *sqq.* Plenior esset oratio: *Compesce mentem* ἴσχε νόον (ut Theogn. 355.) ira effrenem, refrena irae impetum, καρτέρει δάκνων ὀργῆς χαλινὸν, uti simili modo extulit Theodectes apud Stob. de R. N. in Floril. Grot. p. 141. — *Me quoque* ira, qua iuvenilis aetas, in qua ego nunc constitutus sum, facilius excandescere solet, eo usque provexit, ut iambos istos insanus scriberem. — *fervor pectoris*, ira, ab effectu, nam iratis κελαινὸν ὑπὸ σπλάγχνοις ζεῖ αἷμα iuxta Apollon. Rh. I. 1262. — *tentavit*, invasit, occupavit me tanquam febris s. omnino morbus, qui *corpus tentare* dicitur Lucret. III. 148. Ep. I. 6. 28. *si latus aut renes morbo tentantur.* cf. Burm. ad Sammon. 28. — *in dulci iuventa*, ἐν νεότητι sc. ὄντα, iuvenem: Ab aetate igitur iuvenili simul irae excusationem petit. Claudian. de B. Get. 498. *calidae rapuit te flamma iuventae.* — *dulci* perpetuo epitheto, oppos. senectuti morosae, tristi, nihil suavitatis habenti. — 24. *in iambos misit*, abripuit, impulit me, ut iambos istos scriberem. De Archilocho, eadem loquendi ratione, Adrian. (in Anal. Br. II. p. 286.) Ἀρχιλόχου τόδε σῆμα, τὸν ἐς λυσσῶντας ἰάμβους ἤγαγε Μουσιδὴ Μοῦσα χαριζομένη. — *celeres*, proprie, nam *syllaba longa brevi subiecta vocatur Iambus, pes citus*, A. P. 251. Erat adeo hoc metrum huic carminum generi valde accommodatum; nam iracundis oratio praecipitatur. — 25. *furentem* ira, me; quasi ei, prae irae furore, quid ageret, nescio hi iambi excidissent.

v. 25 *sqq.* Cupio, nunc *tristia*, amara, iambos tristes, acerbos, acres, μοῦσαν πικρὴν — *mutare*, commutare *mitibus*, iambis substituere *mitia*, quae te mitem reddant, παλινῳδίαν,

Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

φδίαν, recantando iambos; sed docte hoc cum seqq. coniunxit. — *dum* modo, ut *mihi* iterum *amica fias*, *animumque*, a me isto carmine abalienatum, *reddas*, amore me tuo iterum amplectaris *recantatis* falsa declarando ista *opprobria*, iambos. Declarat adeo *recantare opprobria*, quae doctius enuntiaverat, *tristia mitibus mutare*, καλλιφδεῖν.

CARMEN XVII.

ARGVMENTVM.

Venustissima villae Horatianae in Sabinis commendatio: cuius amoenitates exprimit poeta insigni et suavi phantasmate, ex quo Faunus iis allectus regionem saepius invisit, relictis sacris sibi montibus, amatque eam inprimis ac tuetur: et sic praesentiae Dei attribuuntur, per eamque declarantur, agelli suavitates, caeli ibi serenitas mitisque temperies, puritas et salubritas aëris, omninoque regionis felicitas, tranquillitas, ubertas. Praeclara haec ratio est, cum, quod numen in picturam admixtum est (cf. I. 4. 5. I. 7. 12.) tum inprimis ex eo, quod priscorum hominum simplex pietas propinquos sibi ac praesentes esse putabat Deos, cum ipsis secure atque in omnium rerum abundantia vivere liceret. Accedit in nostro quidem carmine illud etiam, quod Faunus poetarum quoque custos est. v. II. 17. 29. Iam poeta illarum amoenitatum cupit participem esse Tyndaridem, puellam doctam praeclaroque ingenio ac delicato elegantiae sensu praeditam, quam et poetriam fuisse vv. 18 — 20. facile nobis persuadeant. Habuerat ea amatorem Cyrum, pulchrum et mollem iuvenem, sed eundem protervum, ebriosum ac suspicacem, a quo ideo saepius male habita fuisset. Itaque invitat eam rus suum poeta, quod eam a Cyri violentia tutam praestet, atque ubi otio atque securitate perfrui possit opta-

optatissima. Hanc enim quum puellae iucundissimam fore videret Horatius, omnes carminis ad eam vivide declarandam attemperavit colores, quo lubentius ea sibi obsequeretur. Elocutionis ornatus est exquisitissimus et cultissimus, imaginum color suavissimus, ita, ut universum carmen ad idyllii mollitudinem accedere videatur. Comparetur autem cum illius argumento Epist. I. 16. Denique Sivrius, nulla satis idonea ratione inductus, e Stesichori aliquo carmine nostrum latine versum esse contendit.

AD TYNDARIDEM.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus, et igneam
Defendit aestatem capellis
Vsque meis, pluviosque ventos.

Impune

v. 1 *sqq.* Amoenitates villae suae descripturus poeta, eas non a fontium praeterlabentium susurru, a nemorum umbris, vallium, gregumque ibi pascentium laeto adspectu, in quorum descriptione nostri fere poetae luxuriantur, repetit; sed, ut vividius eas declaret, totique picturae vitam quasi tribuat, exquisito utitur phantasmate, dum Faunum, villae suae deliciis invitatum, posthabito Lycaeo eam invisere, ibique saepius commorari dicit. Nimirum priscae aetati insidebat opinio, Deos loca, ipsis sacra invisere, ipsis sacrificiis interesse, quoque latius eorum cultus pateret, mox hanc, mox illam regionem, ut sacrorum participes fierent, petere, v. Virg. Aen. IV. 143 sqq. cf. Spanhem. ad Callim. H. Apoll. 13. Hinc saepius in invocationibus, veluti Stat. Th. I. extr. de Apolline: *Seu te Lycia, seu Delphi, seu Thymbra, seu Delos habet.* conf. Theocr. I. 123. Mox, neglecta illa prisca notione, poetae in hac fictione solummodo spectasse videntur hoc, ut quas amoenissimas describere vellent regiones, eas diis frequentatas dicerent. Hinc proclive erat, ut Faunum, deum agrestem, eundemque *Mercurialium virorum custodem* villam suam saepius invisere, diceret. — 1. *velox* perpetuo epitheto Fauni et Satyrorum. Sic *loves* I. 1. 31. Sil. It. XIII. 327. *pendenti similis Pan semper, et imo vix ulla inscribens terrae vestigia cornu.* adde Ovid. Fast. II. 285. — Pro villa posuit *Lucretilem*, montem in Sabinis, villae suae vicinum, respectu Fauni, qui deus est ὀρειβάτης, κρημνοβάτης. — *amoenum* ad totam villam pertinet. — 2. *mutat*, permutat *Lucretilem Lycaeo*, doctiore ratione, (fere ut II. 12. 23.) pro, Lycaeum permutat Lucretili, h. invisit Lucretilem, relicto Lycaeo. Lucan. VII. 852. *vos, quae Nilo mutare soletis Threicias hiemes.* Claudian. de bello Gild. 118. *Palatinis mutasti collibus Idam.*

Sidon.

Impune tutum per nemus arbutos
Quaerunt latentes, et thyma deviae
Olentis uxores mariti:
Nec virides metuunt colubras,

Nec

Sidon. Apollin. XV. 5. *Pallas Erechtheo Xanthum mutabat Hymetto.* — *Lycaeus* mons Arcadiae, Fauno vel Pani Graecorum consecratus. vide vel Theocr. I. 123. et Ovid. Fast. II. 424. — vv. 2—9. suaviter exornant generalem sententiam: et custodit, tutatur greges meos. — *igneam aestatem*, nimium aestum Solis, eiusque effecta, morbos. — 3. *defendit aestatem capellis* docta inversione pro, capellas ab aestate def. Nam *defendere* doctiore et plane graeco verbi usu est arcere, avertere, propulsare. Eurip. Suppl. 208. πρὸς δὲ τοῖσι χείματος προβλήματ' αὖθον ἐξαμύνασθαι θεοῦ. Eodem usu est ἀρήγειν, ἀλέξειν, ἀλαλκεῖν et στέγειν veluti Pind. Pyth. IV. 244. παρθαλία στέγετο φρίσσοντας ὄμβρους. Senec. de Prov. IV. *imbrem culmo aut fronde defendunt.* Stat. Silv. III. 1. 70. *patula defendimus arbore Soles.* adde eundem Theb. I. 409. VII. 244. et Claudian. de IV Cons. Hon. 340. — *ventos pluvios*, pluviam adferentes, tanquam caussas morborum. Declaratur autem salubritas istius regionis, quam e prisca religione Fauno acceptam refert poeta.

v. 5 sqq. Aliud praesentiae Fauni effectum, agelli securitas. Hanc speciali hac notione expressit: securae per nemus pascuntur caprae. Hoc insigni ornatu extulit. — *Impune* absque ullo periculo, — *tutum* Fauni praesentia; declarative adiectum τῷ *impune*. — *arbutos* (v. ad I. 1. 21.) *et thyma quaerunt*, pro generali, pascuntur. — *latentes*, cum dilectu ob *quaerunt*, quo quasi cupedia pingitur. — *deviae* docte et suaviter pro, huc illuc per nemus errantes. Securitatis simul notio huic v. inest. — *uxores mariti* male *olentis*, caprae, honestiore vocabulo, quod antiquum sermonem poeticum praeclare decet. Sic Virgil. Ecl. VII. 7. *Vir gregis ipse caper* ad imitationem Theocriti VIII. 49. τράγε λευκῶν αἰγῶν ἄνερ, quem *olidae marem capellae* vocat Sidon. Apoll. IX. 239. — 8. 9. *nec metuunt*, nec est quod metuant serpentes et lupos. *Colubras* feminino genere posuit, vulgari poetarum usu. — *virides* seu natura, seu, quum mala gramina

Nec Martiales haeduleae lupos:
Vtcunque dulci, Tyndari, fistula
Valles et Vsticae cubantis
Laevia personuere saxa.

Di

gramina pastae sint. — *haeduleae*, capellae. v. Obss. — *lupos Martiales* docto epitheto, Marti sacros. v. Virg. Aen. IX. 566. — 10. Dum Faunus eos custodit, praesens est. Pro hoc suaviori idea poeta, qui paulo ante gregis pascentis meminisset: dum Faunus fistula canit. De hoc enim accipi iubet summa carminis, et nexus loci. Notus est Pan *συρίζων*, *συριχτὴς* vel e Theocrito, et Lucret. IV. 590. Pastorum sane cantus parum hic opportunus esset, etiam propter seqq. — *dulci*, dulcis, suavis soni, quae suaves cantus edit. — *Vsticae saxa*, Vstica; sed illud declarat naturam montis. — *cubantis*, qui leniter adsurgit, qui molli est adscensu, neque altus, neque praeruptus. Sic *Nola sedens* Sil. It. XII. 163. *molle sedens Cithaeron* Stat. Theb. I. 330. cf. eund. Theb. II. 380. VI. 256. Pariter Apoll. Rh. I. 595. Ὀμόλην πόντῳ κεκλιμένην, uti Stat. Th. I. 331. *Cithaeron inclinat ad aequora montem.* πέτραι ἠρέμα νενευκυῖαι Lucian. T. I. p. 186. quae Virgilio Ge. II. 276. *colles supini* dicti. — *levia*, attrita: ornat.

v. 13 *sqq.* Egregii versus. De *pietate* h. integritate et innocentia poetarum, quae Diis curae cordique est, v. Argum. I. 22. Sententia v. 13. parat transitum ad sequentia. Diis nimirum acceptum refert, quod villa eius abundantia rerum omnium referta sit. Haec enim notio subest illis: Dii me tuentur, et, Diis ego, homo innocens et vates, curae cordique sum, amor ab iis. Sic infra de mercatore I. 31. 13. *Diis carus ipsis.* ubi v. not. — 14. *Hic* in meo agello omnium ruris fructuum ac deliciarum abundantia frueris. Ad uberes agri proventus designandos docte ad rem vocat cornu copiae: ἀγρὸν γάρ τι λέγουσιν Ἀμαλθείας κέρας εἶναι, ut Phocylides ait apud Grot. Floril. Stob. p. 215. — *copia opulenta*, abundantia, largus proventus *honorum ruris*, fructuum omnis generis *manabit tibi*, effundetur in te *ad plenum*, abundanter, ad satietatem usque, tanquam e *cornu* Amaltheae *benigno*, liberali. Copiosiori ornatu poeta agelli sui ubertatem descripsit, quo magis Tyndaridi, ut ad se secederet, persuaderet. Non igitur video, quo iure Homius

Dî me tuentur: Dîs pietas mea
Et Musa cordi est. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Hic

mius Elem. crit. II. c. 21. tautologiae poetam accuset: nam ordo verborum est: Copia honorum ruris opulenta manabit tibi ad plenum benigno cornu. — *Manabit tibi*, in te fluet, affluet tibi, cum abundantiae notione, graecae est elegantiae. Sic ὄλβος ἐπιῤῥύειν dicitur Eurip. Med. 1229. Long. IV. ἐμοὶ δὲ πλοῦτος ἐπιῤῥεῖ καθ' ἑκάστην ἡμέραν. Lucian. T. II. p. 719. τὸ μὲν χρυσίον καὶ τὸ ἀργύριον ἐξαντλεῖν σκάφαις τισὶ μεγάλαις εἰκυῖόν τε καὶ πολὺ ἐπιῤῥέον. Infra I. 28. 28. *Multaque merces — tibi defluat aequo ab Iove. — honores ruris* de proventu ruris, sollenni ornatu. Serm. II. 5. 13. *dulcia poma, et quoscunque feret cultus tibi fundus honores.* Stat. Silv. IV. 5. 1. *Parvi beatus ruris honoribus. Cereris honores* vocat Valer. Flacc. IV. 532. adde Grat. Falisc. Cyneg. 376. Alias de foliis, frondibus, quae arboribus decori sunt, in usu. Sic V. 11. 9. v. Burmann. ad Anthol. Lat. T. I. p. 704. — *ad plenum*, copiose, affatim; ut Virg. Ge. II. 244. *Huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undae ad plenum calcentur.*

v. 17 *sqq.* Vita tranquilla et iucunda declaratur, more Horatii, per locum amoenum, cantum, ac vinum. v. ad I. 1. 19. — *vallis reducta* dicitur, quae in longinquum recedit, seque retrahit, inflexa, sinuosa. v. Virg. Aen. VI. 703. et Nostr. V. 2. 13. Disertius illustrat Seneca Nat. Quaest. VI. 1. *Pompeios, Campaniae urbem, in quam ab altera parte Surrentinum Sabianumque litus, ab altera Herculanense conveniunt, mareque ex aperto reductum amoeno sinu cingunt* caet. Ovid. Her. II. 131. *Est sinus, adductos modice falcatus in arcus*, h. modice reductus, inflexus. — *vitabis*, effugies, non senties *aestus Caniculae*, Sirii, stellae notae, qua aestatis tempus fervidissimum declarari solet. v. III. 13. 9. Ep. I. 10. 16. — 18. *fide Teïa*, fidibus Teiis, lyra Anacreontis Teii, carmine Anacreontico. — *dices* canes ad lyram. Putarunt nonnulli, Tyndaridem hic iuberi carmen ab Anacreonte factum decantare: et sic iam olim acceptum esse locum docet scholion in Acronianis ad IV. 9. 9. quanquam id serius adsutum esse apparet.

Potius

Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus: et fide Teïa
Dices laborantes in uno
Penelopen vitreamque Circen.

Hic

Potius probabile est, ipsam Tyndaridem, ut poëtriam, carmina amatoria, Anacreonteis similia, scripsisse, et argumentum, quod sequitur, tali carmine persecutam esse; quod carmen ab ea decantari apud se nunc cupit. — *in uno laborantes*, unius, Vlyssis, amore flagrantes. *Laborare* exquisito usu est amare, ob aerumnas ac cruciatus, qui amorem comitantur, et *laborare in aliquo* dictum, ut *ardere*, *flagrare in aliqua*, et sim. — *Citeo*, Nympha, matre Perse, Nereide, et patre Sole edita, cuius amores ac veneficia ex Homeri Odyssea satis nota sunt. — *vitream* doete et audacter pro, marinam; nam erat Nereis, et mari vicina habitabat. Haud dubie ante oculos fuit graecus poeta. Nam ὕαλινος, ὑαλόεις proprie est *vitreus*, deinde, ob vulgarem apud veteres vitri colorem, *viridis*, *caeruleus*. Iam haec apud poetas perpetua fere sunt numinum marinorum epitheta, a colore maris translata, quatenus inde et ipsi colorem trahant necesse est, dum in illo aut per illud conspiciuntur: qua ratione et Dii inferi *nigri* vocantur. Sic *caerula Thetis* V. 13. 24. Tibull. I. 5. 46. et sic centies. Nihil est adeo, quod in hac ratione displicere possit. Vel sic tamen praeferam nonnullorum interpretationem, tanquam exquisitiorem, poetaque adeo digniorem, qua Circen a pulchritudinis splendore *vitream*, Graecorum exempla secutus, dixerit. Sic in Corinnae fragmento, quod est apud Phrynich. Ecl. p. 136. et emendatius exhibetur a Toup. Append. ad Theocr. p. 20. Καὶ Κόριννα τὸν ὑάλινον παῖδα φησί. Idem Toup. laudat Stratonis c. LXXXVIII. (Anal. Br. II. p. 379.) βουποιητὲ μέλισσα, πόθεν μέλι τοῦμὸν ἰδοῦσα παιδὸς ἐφ' ὑαλέην ὄψιν ὑπερπέτασαι; Adde Rufin. c. XXXVI. (ib. p. 398.) ὄμματα μὲν χρύσεια καὶ ὑαλόεσσα παρειή, καὶ στόμα πορφυρέης τερπνότερον κάλυκος. Splendoris notionem vitro poeta dat etiam III. 13. 1. et *Galateam* Ovid. Met. XIII. 792. *vitro splendidiorem* vocat.

v. 21 *sqq.* *Pocula Lesbii*, vinum Lesbium, quod erat e praestantioribus, ac dulcissimis. Gell. XIII. 5. Propert. IV. 8.

38.

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra: nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia: nec metues protervum
Suspecta

38. — *innocentis*, innoxii, caput non inebriantis, aut rixas excitantis: quod adeo puellam bibere deceret. Hinc οἰνάριον dictum Alexidi apud Athen. I. 22. quod natura lene esset. Similiter ἀμύμονα Χῖον ἄλυπον dixit Hermippus ap. Athen. I. p. 29. E. — 22. *duces*, bibes, simpliciter; non, quod intelligi nonnulli volunt, otiose, aut lente. Sic in Epigr. apud Toup. ad Suid. III. p. 285. λουσάμενοι, Πρόδικη, πυκασώμεθα, καὶ τὸν ἄκρατον ἕλκωμεν. v. III. 3. 34. *ducere Liberum* IV. 12. 14. — *Semeleius* Σεμελήϊος, Semeles filius, Bacchus, qui *Thyoneus* dicitur, a Thyone, quae et Semele. — 23. *confundet*, commiscebit, vel commutabit *proelia* sua *cum Marte* pro, cum Martis proeliis: eadem forma, qua I. 1. 23. *tubae sonus permixtus lituo*, sono litui. Igitur est: non excitabit proelia, similia Martis proeliis, vel, ut planius eloquar, lenioris vini haustus, isque modicus animum quidem exhilarabit, iocosque ac ludos producet, neque tamen pugnas, qui Thracum vino inebriatorum mos est. Aliter vero dicitur, proelia, manus miscere. Caeterum admovit hunc locum Valkenarius Euripideo (Phoeniss. 797.) de Baccho: Θήβας κῶμον ἀναυλότατον προχορεύεις. — 24. *nec metues*, non erit, quod hic metuas *protervum Cyrum*, impudentiam Cyri. — 25. *suspecta* ei, propter suspicionem, quam de tua fide concepit; docta verborum iunctura. Tyndaridem a Cyro olim *in convivio* paullo illiberalius tractatam fuisse, et sententiae cum anteecedentibus nexus et v. 27. aperte docet. Vulgarior vero forma erat, non metues, ne Cyrus caet. Sed et sic Terent. Eunuch. III. 5. 42. *metuo fratrem, ne intus sit*: et alii. — *male*, nimium, admodum *dispari*, impari viribus, imbecilliori; ornate et ad augendam invidiam pro tenui: *tibi*. — 26. *incontinentes*, suas hominis incontinentis, qui iram non continet. Ratio pedestris ferebat: ne Cyrus incontinens, sibi non temperans caet. Simili ornatu Tibull. I. 10. 56. *Flet teneras subtusa genas; sed victor et ipse flet sibi dementes tam valuisse manus*, h. sibi dementi. — *iniiciat manus*, te male tractet, pulset; quo facile ducunt

Suſpecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes iniiciat manus,
Et ſcindat haerentem coronam
Crinibus, immeritamque veſtem.

ducunt ſeqq. Quo magis mireris Interpretum, veluti Torrentii, de vindicatione per manuum iniectionem, et aliorum de laſciviori amplexu capientium hallucinationes. — 27. *ſcindat*, reſcindat, laceret *coronam* convivalem, *haerentem*, inhaerentem *crinibus*, capiti impoſitam; nihil amplius. — 28. *immeritam veſtem*, tuam, immeritae puellae. v. Burm. ad Prop. IV. 5. 16.

CAR-

CARMEN XVIII.

ARGVMENTVM.

Argumentum leve, ſed prorſus egregie et ſplendide tractatum. Laudem vini celebraturus poeta rem ſub ſpeciales notiones revocat, ita, ut Varum ad plantandas in agro Tiburtino, in quo is villam habebat, vites adhortetur, quum vini uſu vita demum ſuavis atque iucunda reddatur, nihilque ad curas animo expellendas eo reperiatur efficacius. Modice tamen eo uti oportere; effecta enim vini, immoderate poti, eſſe graviſſima atque perniciosiſſima. In hac exquiſita vulgaris ſententiae converſione tractatio ipſa valde magnifica et lyrica eſt cum ab ſententiarum et imaginum vel veritate ac ſuavitate, vel antiquitate, excelſitate, et ſanctitate, inprimis in altera parte, tum ab elocutionis ornatu reconditiſſimo. Sed eadem haec et in ideis et in oratione doctrina facile per ſe ipſa ſuſpicionem nobis iniiceret, graecum exemplum ante oculos fuiſſe Horatio, niſi iam certum id et indubitatum faceret fragmentum Alcaei, quod eſt apud Athen. X. 8.

Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλου.

A quo verſu, ad verbum latine converſo, quum noſtrum carmen incipiat, haud dubie univerſum illud ex Alcaei carmine, cuius haec particula exſtat, expreſſum eſt. v. et Franc. Robort. Adnotatt. I. 22. Eſt igitur luſus

ingenii sive periculum, alieni carminis suo sermone suoque more reddendi. Sed quod in eiusmodi periculis facile peccatur, ut nimio exempli sui repraesentandi studio vim sibi poeta faciat, et nimium presse illud sequendo torqueat se, eoque obscuritatem subinde vel duritiem aliquam et affectationem operi suo inferat, eius quidem vitii crimine Horatium quoque in altera huius odes parte, inprimis a v. 11. liberare omnino vix possis. Iam vero illud observent studiosi, quam diversus sit duarum carminis partium color. In laudibus vini modice sumti (v. 3—6.) mollis est ac lenis et placida oratio: sed inde a v. 7. de immoderato vini usu dicturus poeta subito incalescit, ipse quasi ebrius, et perturbatione quadam enthea corripitur, quae ad dithyrambum accedit. Denique Varum illum, ad quem haec ode scripta est, cum Torrentio multi putant esse L. Quinctilium Varum, in Germania cum legionibus caesum: sed eum ipsa temporum ratio excludit, quod ea clades in a. V. 761. incidit. Rectius, probabilius certe in re tam dubia, intelligunt L. Varum, Epicureum, amicum Caesaris, item Virgilii et Horatii, memoratum ap. Quinctil. VI. 3. 78. Cf. Masson Vit. Hor. p. 222. et inprimis Ill. Heyn. Exc. II. ad Virg. Ecl. VI. Caeterum comparent studiosi III. c. 21. et fragm. Mnesithei ap. Athen. I. p. 36. et in Grotii Exc. Stob. p. 903. cuius initium ita constituendum videtur:

. . . . . τὸν οἶνον θεοὶ
Θνητοῖς ἔδειξαν, τοῖς μὲν ὀρθῶς χρωμένοις
Ἀγαθὸν μέγιστον· τοῖς δ' ἀτάκτως, τοὔμπαλιν.

AD

A D V A R V M.

Nullam, Vare, ſacra vite prius ſeveris arborem
Circa mite ſolum Tiburis et moenia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus proposuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines.

Quis

v. 1 *ſq.* *Nullam arborem prius*, potius *ſeveris*, plantes, ponas in agro tuo Tiburtino, quam *vitem*, *ſacram*, deo consecratam, Baccho; res nota. *Solum mite*, ob aëris temperiem, quod ideo vitibus ſerendis idoneum ſit. Sil. It. V. 466. *Zephyro Surrentum molle ſalubri*, et *mitis Campania* VI. 651. — *moenia Catili*, docte, et copia poetica amplius declaratur Tibur, a Tiburno, Cora et Catillo, filiis Catilli, Amphiarai filii, conditum. Sil. VIII. 366. *Tibur, Catille, tuum.* cf. Virgil. Aen. VII. 671. ibique Heynii Exc. VIII. p. 151. adde Schrader. ad Muſaeum p. 240.

v. 3 — 6. Vino enim uti decet, ad animum exhilarandum, et ad curas abigendas. Ita enim natura comparatum eſt, ut abstemii gravius humanae vitae moleſtiis urgeantur, ac deprimantur. Prius comma omiſit, tanquam poeta; poſterius magna cum dignitate extulit. *Deus*, natura, ut I. 3. 21. Grat. Fabiſc. Cyneg. 513. Rectius tamen Bacchum intelligas, inprimis propter Tib. III. 6. 21. *Iam venit iratus nimium nimiumque ſeveris; qui timet irati numina magna, bibat. Quales his poenas qualis quantusque minetur, Cadmeae matris praeda cruenta docet. Propoſuit*, impoſuit, conſtituit, tanquam poenam; nam eſt verbum proprium de legislatore. *Omnia dura* graviſſima quaeque humanae vitae mala, *ſiccis*, ſobriis, ſeveris, qui vino abstinent; quibus opponuntur *madidi, uvidi*, IV. 5. 39. Ep. I. 19. 9. — *neque aliter* niſi vino hauſto: venuſte et cum vi. *Sollicitudines*, triſtitia, aegritudo, curae *mordaces*, θυμοβόροι, δακέθυμοι, θυμοδακεῖς, quae animum conſumunt, ſollenni idea.

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
At ne quis modici transsiliat munera Liberi, Centau-

conf. ad II. 11. 17. — *diffugiunt*, animo pelluntur, animus iis liberatur. Cogitandae vero tanquam comites, quae sobriis semper adhaerent. Eadem imago de *Cura* III. 1. 40.

v. 5. 6. Ea enim, quae vitam aerumnosam atque molestam efficiunt, leviora fiunt, vino hausto. Vivide hoc, et ornate per notiones speciales expressit poeta. *Post vina*, vino hausto, ut *post te*, III. 21. 19. *Militiam aut pauperiem crepat*, in ore habet, adeoque putat, sentit *gravem*, tanquam rem molestam, aerumnosam. *Crepare*, ut Ep. I. 7. 84. Serm. II. 3. 33. et A. P. 247. Ad sensum Theogn. 1125. *εἰ πίομαι, πενίης θυμοφθόρου οὐ μελεδαίνω.* — 6. Suavis est apostrophe ad Venerem et Bacchum, quorum beneficio vita iucunda ac suavis reddatur. De his adeo solis vino exhilaratus loquitur, omissis caeteris. *Pater*, communi Deorum epitheto. *Decens Venus*, ad gratiam, quae e decenti habitu, motu oritur, refer. v. ad I. 4. 5.

v. 7 *sqq.* Modus tamen in bibendo vino adhibendus est; quum innumera ex ebrietate oriantur mala, rixae, pugnae, arrogantia, insolentia, alia. In enuntianda atque exornanda hac sententia magnam, ac, paene dicam, nimiam doctrinam a poeta adhibitam facile agnoscas. Pro vino posuit *munera Liberi*, *δῶρα Διονύσου*, ut saepius, e. g. Hesiod. Ἔργ. 614. — *modici* inversione poetica, pro modica munera, vinum modicum, i. modice sumtum. Sic habes *modicos cantharos* I. 20. 1. et *immodicum Lyaeum* Ovid. ex P. II. 10. 29. *Non haec immodico contraxi damna Lyaeo.* — *transsiliat* docte atque audacter pro, modum in capiendis Bacchi muneribus, in bibendo vino excedat. Temeritatis esse verbum *transsilire*, vidimus ad I. 3. 24. Ad sensum ac verba Theogn. v. 471. *ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκ ἔτ' ἐκεῖνος τῆς αὐτοῦ γλώσσης κραστερὸς οὔτε νόου.* et Basilii Ep. 88. in Anthol. lat. Burm. I. p. 542. *Vina sitim sedent — hos fines transsiluisse nocet.* — 8. *Monet* eum, absterrere eum possunt illa, quae ebrietatem sequuntur, mala, a Baccho poenae

Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata; monet Sithoniis non levis Evius,
Quum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discer-

nae quaſi loco inflicta. Iam pedeſtris ſcriptor nude ea appoſuiſſet; ſed poeta exemplis deſungitur, ad rem vividius declarandam. *Rixa*, in pugnam verſa, pugna *Centaurea*, Centaurorum *cum Lapithis*, Theſſaliae populo, quorum rex Pirithous ad celebrandas ſuas cum Hippodamia nuptias Centauros vicinos invitaverat. De orta inter utrosque, incenſis vino animis, pugna, atque inſecuta Centaurorum clade, nota omnia. v. Heyn. ad Virg. Aen. VII. 304. Pugnam ipſam deſcripſit Ovid. Met. XII. 219. *debellata*, orta, atque proelio diiudicata *ſuper mero*, inter bibendum, cum ſeſe largius poculis invitaſſent. *Rixam debellare* dictum, ut bellum bellare, pugnam pugnare et ſim. Caeterum ſpectat huc aenigma de Vino c. XVIII. (Br. Anal. III. p. 322.) ἦν ὅτε σὺν Λαπίθαισι καὶ ἀλκίμῳ Ἡρακλῆϊ Κενταύρους διφυεῖς ὤλεσα μαρναμενος. adde Nicarch. c. XXII. 3. (Br. Anal. II. 354.) Alcaei Meſſ. c. XV. (Br. Anal. I. 490.) Baſil. in Anthol. lat. Burm. l. l. *Lapithas bello perdis, Iacche, gravi.* Cf. Propert. II. 24. 31. Ovid. A. A. I. 592. Fundus omnium apud Homer. Od. φ. 294 ſqq. Orph. Arg. 416. cf. Athen. XIV. 1. Pugnam hanc in templo Iovis Olympii expreſſam memorat Pauſan. V. 10. — 9 *ſq. Sithonii* hic univerſe pro Thracibus, quorum compotationes non niſi caede finiri ſolebant. Hinc *Evius* ſ. Bacchus iis *non levis*, gravis, graviter urgens eos, furore immiſſo; ſollenni imagine, qua ἐνθουσιῶντες numine premi, urgeri dicuntur. De Amore Tibull. II. 1. 79. *Ah miſeri, quos hic graviter deus urget.* Docte adeo hic poeta ebrietatem cum furore Bacchico confundit. — 10. Furoris ſ. ebrietatis effectus, ὕβρις, apud Thracas. *Avidi libidinum* (ita iunge), dediti libidini, ad omne libidinis genus proclives, ὑβρισταὶ, intemperantes, inſolentes. Nam eſt libido, ὕβρις, arrogantia in faciendo, quicquid libuerit, oppoſita menti ſanae. Eſt adeo gravius pro tenui: *illi.* — *fas atque nefas*, honeſtum et turpe. — *exiguo fine*, ita ut inter fas ac nefas *exiguum* modo *finem*, tenuem admodum limitem ponant, quem facile transgrediantur, h. nullum omnimo. Ad verba

Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,

Invi-

verba ac sensum Lucian. Nigr. 31. (T. I. p. 73. ed. Reiz.) μηδὲ χρῆσθαι ἴσασι ταῖς ἐπιθυμίαις, ἀλλὰ κἀν ταύταις παρανομοῦσι, καὶ τοὺς ὅρους συγχέουσι, πάντοθεν τῇ τρυφῇ παραδόντες αὐτῶν τὰς ψυχάς πατεῖν. Dictum adeo, *fas et nefas exiguo fine discernunt*, pro, confundunt, permiscent fas ac nefas. Et hoc in eos cadit, qui omnia sibi licere existimant, qui tanta sunt animi pravitate, atque amentia, ut honestum a turpi amplius discernere nequeant. Catull. LXIV. 405. *Omnia fanda, nefanda malo permixta furore.* Virgil. Ge. I. 505. *Quippe ubi fas versum* (confusum) *atque nefas.* Ovid. Met. VI. 585. *fasque nefasque confusura ruit.* Iam Eurip. in fragm. Inus IV. σύμμικτα μὴ δίκαια καὶ δίκαι' ὁμοῦ.

v. 11 *sq.* *Non ego* ita abutar vino, sed modice illud capiam. Nempe vulgare erat: non ego munera tua capiam *te invito*, ita ut iram in me tuam concitem; nunquam immoderate bibendo, et sic ut ad furorem adigar, quod tu fieri non vis, dona tua profanabo. Vt sequentia recte intelligantur, tenendum, poetam omnem ornatum ab orgiis seu sacris enthusiasticis Bacchi eorumque pompa repetiisse. Comparat adeo, seu, ut ita dicam, confundit potius eum, qui sacra Bacchi recte administrat, rite celebrat, cum eo, qui Bacchi munere, vino, recte, moderate utitur; contra eum, qui sacra eius contra ritum celebrat, ea adeo profanat, adeoque Bacchi in se iram concitat, cum eo, qui modum inbibendo vino excedit, eoque ipso Bacchum aeque sibi iratum habet. Iam Bacchi ira se exserit immittenda insania, tympanorum atque cornuum sonitu effecta; hanc adeo deprecatur poeta v. 13. Vniversum hunc locum in recondita et imaginum et verborum doctrina ac dithyrambica audacia obscurae aliquid affectationis habere, quod facile exemplum graecum prodat, anxie expressum, in promtu est videre. *Non quatiam te*, possit esse simpliciter, iram tuam excitabo, commovebo in me (de qua signif. v. Wernsd. Poet. min. III. p. 361.), sed ob apposita *te invito*, et sqq. de pompa et sacris Bacchi capiendum. Erit adeo: *quatiam te*, sacra tua quatiam, cum vi et audacter pro, movebo, de loco suo deripiam, pompam tuam ducam, sacra tua faciam, bacchabor *te invito* et abnuente, adeoque contra morem sacrorum, haud rite: quatenus et *quatere* est violenter movere, et ipsum numen loco

suo

Invitum quatiam: nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
Cornu

suo moveri videtur, cuius sacra moventur. Nam *movere*, vel *commovere sacra* est, vasis sacris sublatis initium pompae facere; v. omnino Virg. Aen. IV. 301. ibique Heyn. adde Valer. Fl. III. 232. — *Bassareus*, Bacchus, a voce Thracia vel Afra Βασσαρὶς, quam Suid. et Etym. M. explicant ἀλώπηξ. Item Hesych. βασσαρεῖα, τὰ ἀλωπεκεῖα οἱ Λίβυες λέγουσιν. Iam pelles, non solum hinnulorum, νεβρίδας, ut vulgo notum, sed etiam vulpium gestarunt et Bacchae, βασσαρίδες inde dictae, et ipse Bacchus. Hesych. βάσσαραι· χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν αἱ θρᾷκίαι Βάκχαι. Vide Voss. Etym. v. Bassareus, et Meurs. ad Lycophr. p. 342. — *Candidus* dicitur, ob perpetuam eius iuventam, orisque pulcritudinem. Tibull. III. 6. 1. *Candido Liber ades.* Argutantur h. l. intpp. Sequentia, *nec variis . . . rapiam*, exornant eandem sententiam, servata allegoria. In Bacchi pompa portabantur a virginibus, κιστοφόροις, κανηφόροις inde dictis, vasa s. cistae sacrae, hedera et pampinis velatae, in quibus essent res sacrae ac mysticae, quas praeter initiatos nemini videre licebat. Catull. LXIV. 259. Tibull. I. 7. 48. *occultis conscia cista sacris*, quam ideo *tacita formidine plenam* dicit Valer. Fl. II. 267. Locus class. apud Theocr. κσ. 7. cf. Dorv. ad Char. p. 264. Iam expende verborum vim atque ornatum. Res sacras, cistis abditas innuit poeta per *obsita frondibus*, quae tecta sunt, celantur frondibus hederaceis, et pampinis. — *Variis*, colore, vel, quod magis poeticum videtur, motu; adeoque mobilibus, vento agitatis. Nam *varius* et *variare* sollenne poetis de agitatione. V. Lectt. in Catull. p. 126. — *sub divum rapiam* graviter pro, ea profanis revelabo, retegam, in conspectum adducam, quae tegenda sunt; adeoque, mysteria tua profanabo.

v. 13. Noli me insanire ebrietate; sed et hoc per allegoriam ab orgiis ductam expressit poeta. Ne mihi furorem immittas, qualem ob sacra turbata Pentheo, qui σύν τ' ἐτάραξε ποσὶν μανιώδεος ὄργια Βάκχου, iuxta Theocr. l. l. Furorem expressit per pulsata tympana ac cornua, quibus iste in Bacchis excitatur. Eorum usus in Orgiis satis notus. *Tene tympana*, cohibe,

BODLEIAN MUSEUM OXFORD

Cornu tympana, quae ſubſequitur caecus Amor ſui,
Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem,
Arcanique Fides prodiga, perlucidior vitro.

cohibe, ne pulſari ſinas. *Saeva*, in furorem agentia, audito ſono. *Tympana cum cornu* exquiſitiori ratione dictum pro, tympana et cornua, ut Iuven. XIV. 200. *cornua cum lituis audita. Cornu Berecyntium* dictum a Berecynto, Phrygiae monte, ubi Cybeles ſacra eodem, quo Bacchi, furore peragi ſolebant. v. ad I. 16. 5.

v. 14 *ſq.* Nobiliſſimo phantaſmate effecta ebrietatis perſonas facit, ex iisque pompam quaſi conſtituit, quae tympanorum ſonum ſequatur. *Amor ſui*, arrogantia. — *caecus*, ſe ſolum reſpiciens, ſibi cum ipſis vitiis placens. — 15. *Gloria*, iactantia, inſolentia, vanitas, adeoque in malam partem. Nam alias eſt in Virtutis comitatu. Sil. XV. 97. *Mecum Honor ac Laudes, et laeto Gloria vultu.* — *plus nimio*, altius *tollens verticem*, nota imagine de ſuperbia. Rhian. (Br. Anal. I. 479.) v. 10 ſqq. ἐπιλήθεται, οὕνεκα γαῖαν ποσσὶν ἐπιστείβει. αὐχένα γαῦρον ideo ei tribuit Iulian. XII. 1. (Br. Anal. II. 496.) γαυρούμενον Meſomedes I. 10. (ib. p. 292.) μέγαν Rufin. 37. 3. (ib. p. 399.) cf. III. 16. 18. — *vacuum*, quatenus ipſa gloria vacua eſt, h. inanis, vana. Vividius tamen, poetaque dignius phantaſma oritur, ſi ipſum verticem vacuum cogitemus, cui nulla laurea, aut aliud honoris inſigne impoſitum ſit.

v. 16. Deſignatur loquacitas, inprimis damnoſa illa, quae ſilenda prodit, animi levitas, perfidia. Iam *arcana* dicuntur alicuius *fidei credi*, quae ipſa ideo, tanquam dea, *arcanis laeta* audit Sil. II. 481. *Fides* adeo ſ. is, cuius fidei arcana ſunt credita, *prodigus* eſt *arcani*, dum illud facile eloquitur, prodit. — *perlucidior vitro*, cuius pectus ipſo vitro perlucidius eſt, nihil absconditi habens. Praeclare hanc animi levitatem, ebrietatis comitem, expreſſit Pauſias pictor, Μέθην exhibens ἐξ ὑαλίνης φιάλης πίνουσαν· ἑῴοις δ' ἂν ἐν τῇ γραφῇ φιάλην τε ὑάλου, καὶ δὶ αὐτῆς γυναικὸς πρόσωπον apud Pauſan. II. 27. p. 173. Ad ſenſum V. 11. 19. *ſimul calentis inverecundus Deus fervidiore mero arcana promorat loco.* Similis gnome eſt apud Brunck. Gnom. gr. p. 234. Κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ' οἶνος δὲ νοῦ.

CAR-

CARMEN. XIX.

ARGVMENTVM.

Horatius, qui amori omnino finem sibi fecisse videbatur, eidem se denuo succubuisse, idque Glycerae pulchritudine effectum hoc carmine fatetur. Levissimum hoc argumentum, vide, quanta dignitate, doctrina, sententiarum affectuumque veritate exornaverit! Splendidum statim exordium: Deos ipsos, Venerem ac Bacchum suum de nuntio amori in perpetuum mittendo conturbasse consilium, vehementissimoque se in Glyceram amore iterum exarsisse. Sequuntur tum de puellae pulchritudine parvae sed vividissimis coloribus delineatae picturae. Ad Venerem igitur redintegrati huius amoris, qui se Glyceram solam cogitare sinat, ad aliaque omnia plane ineptum reddat, vehementiam referens, ut haec remittat, eam placare statuit. Suavissima vero conversio, quae amoris cruciatus fortius declarat, quam exactissima eorum enumeratio ac descriptio. Suspicantur fere e vv. 10 sqq. poetam hoc ipso tempore vel conatum esse vel iussum a Maecenate, Scythas coercitos et signa a Parthis recepta carmine describere, adeoque, quum res eae a. V. c. DCCXXXIV. gesta fuerint, hoc carmen in Horatii aetatis annum XLVI. incidere. Quod equidem ex istis vv. ponere non ausim; nam Scythas et Parthos posuit omnino pro gravioris carminis argumento, a quo nunc Glycerae amore avocetur; neque vix credere licet, Horatium, quo se excusaret, instanti Maecenati Glycerae amorem praetenturum fuisse.

DE GLYCERA.

Mater ſaeva Cupidinum,
Thebanaeque iubet me Semeles puer,
Et laſciva Licentia
Finitis animum reddere amoribus.

Vrit

v. 1 ſqq. *Saeva*, Κύπρις βαρεῖα (ut Theocr. I. 100.) χαλεπὴ, δεινὴ, quae ſaevum imperium exercet, quae invitum etiam amare cogit: unde mox praeclare *iubet*. Similiter IV. 1. 4. *define dulcium mater ſaeva Cupidinum — flectere mollibus iam durum imperiis*. adde I. 33. 10 ſqq. III. 9. 18. — *Mater Cupidinum* Venus, quatenus hominibus ac Diis ἐπὶ γλυκὺν ἵμερον ὤρσε Homer. H. in Ven. 2. hinc antiquo ſermone Πόθου ſ. Ἱμέρου mater dicta. Philodem. c. XXIV. 2. Anal. Br. II. 89. Κύπρι Πόθων μῆτερ ἀελλοποδῶν. Amplificata mox atque exornata hac a poetis idea, eadem dea Ἐρώτων, quorum innumerabilis eſt multitudo, mater habita. cf. Stat. Silv. I. 2. 62. Claudian. Nupt. Honor. 47 ſqq. — 2. *Thebanae Semeles puer*, παῖς, filius, Bacchus, qui amoris auctor h. l. dicitur, quatenus omnis perturbatior mentis ſtatus ad Bacchum auctorem referri ſolet. v. ad III. 25. 1. hinc et μαίνεσθαι, μανία, uti Lat. *furor* et *furere*, de vehementiore amore. Simplicior tamen fuerit ratio, ſi amorem hunc Horatii non, ut quidam, in convivio, aut inter vina exortum, quod nimis vulgare foret, ſed vino auctum, incenſum, palam factum (cf. V. 11. 13. 14.) intelligas. Quo ſenſu σεμνὴν Βάκχου κάρηθρον Venerem indigitat Orph. II. in eand. v. 6. Adpoſite Achill. Tat. II. 3. Ἔρως δὲ καὶ Διόνυσος, δύο βιαῖοι θεοὶ (*durus uterque deus*, Propert. I. 3. 14.) ψυχὴν καταισχύνοντες, ἐκμαίνουσιν εἰς ἀναισχυντίαν, ὁ μὲν καίων αὐτὴν τῷ συνήθει πυρὶ, ὁ δὲ τὸν οἶνον ὑπέκκαυμα φέρων. Οἶνος γὰρ ἔρωτος τροφή. — 3. Proprie *licentia* eſt diſſoluta effrenaque et ſentiendi et agendi ratio, ἀσέλγεια, *effrenatio impotentis animi* Ciceroni dicta. Qui igitur ſibi non temperat, qui ad amorem proclivis eſt, in hunc licentia cadit. Praeclare igitur hanc in Deorum, a quibus ad amorem inſti-

Vrit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore purius:
Vrit grata protervitas,
Et voltus nimium lubricus adſpici.

In

inſtigetur, numero poeta poſuit. Simile phantaſma exhibet Claudian. Nupt. Honor. 78. *Licentiam nullo nodo conſtrictam* in Veneris regia collocando. — *laſciva*, petulans, inſolens, adpoſito epitheto. — 4. *animum reddere*, iterum adiicere ad *amores finitos*, quorum finem mihi feciſſe videbar, h. denuo amare.

v. 5 — 8. Glycera enim pulchra ſua forma, commodisque moribus totum me cepit. Ornate hoc extulit poeta. *Vrit me*, amore incendit, *ἐκκαίει*, *nitor*, pulchritudo Glycerae. — 6. Debebat ſequi ex vulgari ratione, *purius ſplendens*, qui purior eſt, qui ſplendidior, candidior eſt *Pario marmore*. Candidiſſimum hoc fuiſſe, in vulgus notum. Eadem comparatione uſus eſt Pind. Nem. Δ. 131. hymnum *στάλαν* vocans, Παρίου λίθου λευκοτέραν. Noſtrum locum ſublegit Senec. Hippol. 797. *Haec ſolem facies rarius appetat* (inverſa ratione pro, Hanc faciem ſol rarius appetat) *lucebit Pario marmore purius*. — 7. *Proterva* puella dicitur, quae mores paullo ſolutiores habet, quibus iuvenes tenet, atque in amorem ſui rapit. Opponitur ei *puella ruſtica, pudor ruſticus* et ſim. Quae protervitas ſi intra certos fines contineatur, neque decori puellari (*Delicateſſe*) officiat, recte hactenus *grata* amanti dici poteſt, illecebris his tanto magis incenſo: atque ſic fere Gallorum *Coquetterie* reſpondet. — 8. *vultus lubricus adſpici*, fere interpretantur, quem lubricum eſt adſpicere, qui cum periculo, vel non impune adſpicitur: quod tamen nimis pedeſtre. Alii de ſplendore vultus, qui oculos adeo praeſtringat, ut ſtatim deiiciantur, expediunt. Sed *nitorem Glycerae* habes iam v. 5. deſcriptum. Forte aliquid profeceris ex Muſaei v. 94. ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων κάλλος (ſ. potius ἕλκος) ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει. Lubricus vultus eſſet adeo, unde κάλλος ὀλισθαίνει. Alia paullo ratione pulchritudo ex oculis dicitur ῥεῖν, ἀπορρεῖν: ut Platoni in Phaedro p. 346. δεξάμενος τὴν τοῦ κάλλους ἀπορροὴν διὰ τῶν ὀμμάτων caet. quod inprimis amplexi ſunt, atque exornarunt ſcripto-

In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit; nec patitur Scythas,
Et

scriptores erotici graeci, Ach. Tatius, Aristaenetus, alii. Oculi adeo, unde pulchritudo emanare, atque in pectus penetrare dicitur, docte lubrici dicti videri possint. Possis etiam oculos intelligere visco quasi inunctos, quibus facile inhaerescas, h. qui amorem inspirant, graeca idea. Ita enim ὀφθαλμοὺς ἰξῷ Κύπριδος ἐγχριομένους dixit Meleag. V. 2. et ἰξὸν θηρευτὴν eadem de re Rhian. in Anal. Br. I. p. 480. et Incert. c. LII. (Anal. Br. III. p. 161.) Quod omnino ad blandimenta meretricia traduxit Plaut. Bacch. II. 5. 39. *Tactus sum vehementer visco: cor stimulo foditur.* et I. 1. 16. *Viscus morus vestra est blanditia.* His tamen omnibus, utcunque docte ac subtiliter disputatis, simpliciorem hanc praeferendam existimo rationem, qua oculi dicantur lubrici, mobiles (etiam Cicero de Nat. D. II. 51. *natura oculos fecit lubricos et mobiles*) adeoque lascivi, molles, putres, ὄμματα ὑγρά, βλέμμα τακερὸν καὶ μαλακὸν (ut Philetaerus apud Athen. XIII. 1. p. 559.) *Oculorum mobilem petulantiam* vocat Petron. c. 126. et *lascivos ac mobiles* oculos συνωνύμως ponit Quinctilian. Inst. Or. XI. 3. 76. Qua eadem ratione Venus ἑλικοβλεφάρη, ἑλικῶπις Graecis audit. Musae. 101. λοξὰ δ' ὀπιπτεύων δολερὰς ἐλίλιξεν ὀπωπὰς νεύμασιν ἀφθόγγοισι παραπλάζων φρένα κούρης. Sic vero praeclare invicem sibi respondent protervitas, mores puellae lepidi, qui delicias amatori faciunt, et, qui eas prodit, vultus lubricus. — *adspici* graeca elegantia abundare, vix est ut moneam. Sic *niveus videri* IV. 2. 59. — *nimium* praeclare amoris inde excitati vehementiam innuit.

v. 9 sqq. Quum veteres omnem perturbatiorem mentis statum ad Deos auctores referrent, hoc prisca simplicitate sic eloquebantur, ut ipsos Deos pectus, animi sedem, intrare, vique sua per illud didita, illud premere, urgere dicerent. De Amore Tibull. II. 1. 79. *Ah miseri quos hic graviter Deus urget!* quem locum ne aliter interpreteris, vetat imitatio Stat. Silv. I. 2. 82. de eodem Deo, Stellae pectus obsidente: *testis ego attonito, quantum me nocte dieque urgentem ferat, haud ulli vehementior unquam incubui.* cf. Mosch. III. 17. Vtque hunc amoris furorem non per momenta aliquot, tanquam Bacchi aut Apollinis, durantem, sed continuum eum exprimerent,

exor-

Et verſis animoſum equis
Parthum dicere, nec quae nihil adtinent.
Hic

exoruarunt hanc imaginem ſic, ut Venerem et Amorem in pectus immigraſſe novamque ibi ſedem poſuiſſe fingerent. Propert. II. 9. 17. *Quid tibi iucundum ſiccis habitare medullis*, et ſic ſaepius. Iam expende orationis vim atque ornatum. Pedeſtris ſtructura erat: *Venus*, deſerta, relicta Cypro, *tota in me ruit*, cum vi, pro, toto numine ſuo me implevit, totum me occupavit. Eadem ἐνεργείᾳ Eurip. Hippol. 1274. Ἔρως, ᾧ μαινομένᾳ κραδίᾳ πτανὸς ἐφορμάσει. *Tota*, ἀφύω μολοῦσα, ut Incertus apud Stob. Grot. p. 127. Proxime ad ſenſum ac verba Ach. Tat. I. . ὅλος γὰρ μοὶ προσέπεσεν Ἔρως. Sed iam Eurip. Hippol. 443. Κύπρις γὰρ οὐ φορητόν, ἢν πολλὴ ῥυῇ. et Med. 627. Ἔρωτες ὑπὲρ μὲν ἄγαν ἐλθόντες — εἰ δ' ἄλις ἔλθοι Κύπρις, οὐκ ἄλλα θεὸς εὔχαρις οὕτω, de moderato et immoderato amore. Ariſtaenet. Ep. II. 5. καὶ μέχρι τοῦ ἥπατος διελήλυθεν εἰσρυείς. Ἔρως λάβρον ἐπαιγίζων Paull. Silent. XXX. (Anal. Br. III. 80.) Omnino totum hunc locum e graeco exemplo expreſſum eſſe et ipſa oratio facile arguit, et vero fidem facit fragmentum Alcmanis apud Euſtath. ad Homer. p. 305. C. et apud Steph. Poett. Lyrr. p. 628. Κύπρον ἱμερτὰν λιποῖσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν: unde Horatii, *Cyprum deſeruit*, quod vel omnino ornatus cauſſa additum, vel ut amoris perſeverantiam declararet poeta. Eadem ſuavitate Gratias τὸν Ὀρχαμενὸν ἀπολιπούσας pueri genis inſidere ait Alciphr. III. 1. Amor ineptum me facit gravioribus rebus canendis. — *nec patitur* praeclare de Dea inhabitante, et amatorem ad arbitrium fingente. — *dicere* me, canere aliquid gravioris argumenti. Pro hoc, ſpeciali idea, materiam carminis ponit Parthos ac Scythas debellatos. v. ad I. 12. 53. adde III. 8. 23. Ad ſententiam Ovid. ex P. III. 3. 31. — 11. *animoſum*, fortem *verſis equis*, retromiſſis in fuga telis, res nota. cf. II. 13. 17. Virg. Ge. III. 31. *Fidentemque fuga Parthum* et inde Claudian. de IV Conſ. Honor. 531. *refugo quae fit fiducia Parthp.* Propert. IV. 3. 66. *Subdolus et verſis increpat arcus equis.* — 12. *quae nihil attinent*, *quae nihil adtingunt ad rem*, ut plenius Plaut. Merc. Prol. 32. quae aliena ab amore meo exiſtimo, quae ego nunc non curo, ut *caetera*, τὰ ἄλλα I. 9. 9. Minus apte comparant Anacr. 36. 3.

τί

Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite, turaque,
Bimi

τί δὲ μοι λόγων τοσούτων, τῶν μηδὲν ὠφελούντων;

v. 13 — 16. Multum suavitatis habet subita ad Venerem conversio. Poeta, vehementissimi amoris aestu cruciatus, eique amplius tolerando impar, a Venere, a qua iste primum excitatus fuerat, eiusdem remedia quaerit, utque cruciatus suos levet atque mitiget, eam precatur. Ad amoris δεινότητα declarandam egregie comparatum hoc, quod illico aram exstrui, et sacrificium fieri iubet; tum ipse orationis vigor miserum amantem facile prodit. Similis color III. 26. 6. *Hic, hic ponite lucida funalia* caet. — *Ponite cespitem*, exstruite, erigite aram e cespite *vivo*, viridi. Ara cespititia erat haud dubie ex antiquissimis. v. Theocr. XXVI. 3 — 5. servata ideo cum verbenis (Ovid. Fast. I. 343.) in quibusdam sacris ob religiosi huius ritus vetustatem. cf. III. 8. 4. *glebam virentem* vocat Iuvenal. XII. 85. cf. Virgil. Aen. XII. 119. et Intpp. ad Apulei. Met. VII. p. 465. ed. Oudend. *Verbenas ponite*, arae imponite, seu omnino afferte. Nam verbum proprie ad cespitem spectat, eiusque vis reliquis adcommodari debet, nota ratione. *Verbenas* et *tura* in Veneris sacris memorat etiam Virgil. Ecl. VIII. 65. et inde Calpurn. XI. 63. — 15. *cum patera*, et pateram *meri* ponite, paratam habete ad libationem faciendam, seu potius, merum arae e patera infundite. Specialibus omnino ideis poeta expressit, quod generalius erat, sacrum Veneri parate. — *bimi*, quae aetas vinum usui iam satis aptum reddiderat. v. I. 8. 7. et ad libationem faciendam opus erat vino novo. v. I. 31. 2. — 16. Vulgari ratione sequi debebat: ut placem Deam, eam mihi propitiam reddam, s. ad sensum poetae, ut amorem minus gravem, vehementem expetiar; sed Horatius haec tanquam vates eloquitur, preces suas ratas fore certo persuasus. — *lenior veniet*, Venus lenior erit, placabitur. *Venire* pro tenui *esse* satis frequentatum poetis. Seneca Hippol. 437. *beatis mitior rebus veni*. Iuvenal. VII. 29. *Vt dignus venias hederis* caet. et passim. Atque sic recte satis haec procedere videtur huius loci explicandi ratio. Nescio tamen, annon poeta potius voluerit, *Venus* lenior, h. moderatior *veniet* in me, non tota in me ruet: quod ad totam carminis oeconomiam multo aptius videtur. Ita fere Eurip.

Med.

Bimi cum patera meri:
Mactata veniet lenior hostia.

Med. 630. εἰ δ' ἅλις ἥλθοι (si modica, lenis veniat) Κύπρις, οὐκ ἄλλα θεὸς εὔχαρις οὕτω. Idem in Aeolo fr. X. Τῇ δ' Ἀφροδίτῃ πόλλ' ἔστι ποικίλα· πέρπνοί τε γὰρ μάλιστα καὶ λυπεῖ βροτούς· τύχοιμι δ' αὐτῆς, ἡνίκ' ἐστὶν εὐμενής, *lenem eam experiri velim.* — *mactata hostia* vel proprie; nam et hostias Veneri mactatas esse, etsi ara sanguine adspergi nefas erat, satis constat; vel est pro generali, ubi sacrum fecero, sacrificio peracto; hocque malim propter verbenas, tura et merum, quibus curari vult istud sacrum, expressis verbis adposita. Mire admodum Erasmus h. l. sic explicat: Glycera ad me veniet lenior, mansuetior, mactata hostia.

CAR-

CARMEN XX.

ARGVMENTVM.

Quo tempore, quave potissimum occasione hoc odarion scriptum sit, etsi ex ipso vix commode elicias; magnam tamen veri speciem habet quorundam opinio, Maecenatem, quum in Apuliam profecturus esset, Horatio significasse, se in eius villa Sabina deversurum existimantium. De profectione Maecenatis certe in Apuliam mentio fit in Divaei cod. teste Cruq. Horatius ei respondet hac schedula poetica, gratissimum sibi fore talem hospitem, sed aequi bonique illum facturum vinum id, cuius adponendi sibi copia sit. — In tam tenui argumento mirari licet artificium poetae, quo illud nobilitaverit. Sive enim sententias, sive conversionis exquisitam urbanitatem, sive denique elocutionis ornatum expendas, elegantiam eius, atque ingenii vim et ubertatem facile agnoscas.

AD MAECENATEM.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,
Care

v. 1 *sqq.* Hospitium frugale, quo Maecenatem exceptiurus sit Horatius, statim ab initio declarat, in eo tamen libenter illum acquieturum confidit. *Vile*, vulgare, non optimae notae vinum, quale ager meus *Sabinus* producit. Sabinum vinum, etsi per se deterioris notae (*crudum austerum*que vocat Plin. H. N. XIV. 2. et e vinis Italicis *κουφότερον* Athen. I. p. 27. adde Ep. I. 13.) magis tamen, si cum Caecubo et Falerno, quae Maecenas solebat bibere, comparetur, vile hic dictum videri debet. — *potabis* apud me *modicis cantharis*, quod doctius est pro vulgari, modice, quantum mihi pro modica mea facultate apponere licet, (plane ut Ep. I. 5. 2. nisi *modica coenare times olus omne patella*) non, ut plurimi Intpp., quia non erit ad gustum tuum; quo ipso, dum Horatium a nimiae frugalitatis nota liberare student, Maecenatem nimis fastidiosum ac delicatum faciunt, plane immemores, quod poetae et inprimis Horatius sibi in paupertate sua cum maxime placeant. Sic III. 16. 34. *quanquam — nec Laestrygonia Bacchus in amphora languescit mihi*, cf. II. 16. 37. et II. 18. 10. Sensus igitur est: Equidem non pretiosa aut fastidiosa copia tibi vina apponam, sed Sabinum meum, vile quidem ac tenue, si cum tuis compares, neque hoc ipsum satis larga copia, pro agelli mei tenuitate: *quod* tamen pretium habet ex eo, quod *ego ipse* illud condiderim, idque tum, quum tibi (en subtilissimam sententiae inflexionem) in theatro applauderetur, ad memoriam istius plausus conservandam. *Cantharus* est vas ansatum, in conviviis apud Romanos adhiberi solitum. — 2. In vasis fictilibus vina apud Romanos condita fuisse, satis notum est. In usu erant maxime graeca, a graeco artifice facta; nam cum in ipsa Graecia multis locis, tum in Campaniae graecis civitatibus nonnullis, maxime

Care Maecenas, eques, ut paterni
Fluminis ripae, simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Caecu-

Cumis, eximia eiusmodi vasa facta: qualia hodie supersunt vasorum Etruscorum nomine insignia. Cum in iis nonnisi nobiliora vina conderentur, eadem mox vilioribus, ut haec ex illis aliquid traherent suavitatis, implere solebant. Qua eiusmodi graeca testa forte usus fuerat Horatius, ut Sabino suo generosi quid conciliaret. Ita iam Schol. — 3. *conditum levi*, docte pro, condidi et oblevi scilicet pice vel cera, quibus cortex illinebatur. v. Colum. XII. 18. Plin. XIV. 21. — *datus . . . . plausus*, eo die, quo populus Romanus te theatrum Pompeii ingressum plausu excepisset. Quo sane Maecenati nil blandius dici, aut maior vino accedere poterat commendatio. Anxie quaerunt Intpp. quando hoc factum sit. Ex l. II. 17. 25. patet, Maecenati hoc obtigisse, quum a gravi periculo liberatus in theatro primum in conspectum populi venisset. Potest et alio tempore atque iteratis vicibus Maecenati, apud populum gratioso, hoc accidisse. Omnino in talibus nolim quemquam morari. Nam si vel maxime hoc exploratum habeas, nihil amplius inde efficias, quam ut vini illius aetatem certius computare possis. Theatrum verò Pompeii hic intelligi debere, doces v. 7. nam illud erat iuxta Tiberim, Vaticano monti oppositum.

v. 5 — 8. Vim et ornatum horum vv. facile observes. Inprimis illud poetae artificium mirari licet, quo quasi aliud agens Maecenati satis urbane blanditur. Placebat sibi Maecenas populari *Equitis* appellatione; idem tamen originem suam, quam ab Hetruscorum Lucumonibus deducebat (v. ad I. 1.) magni faciebat, eiusque adeo mentionem fieri gaudebat. Sic utrumque coniunxit Propert. III. 9. 1 sq. *Maecenas, eques, Hetrusco de sanguine regum, intra fortunam qui cupis esse tuam.* Iam, quae poeta ornatui lyrico dedisse primo intuitu videri potest, nimirum, ut Tiberis ripae et mons Vaticanus plausu isto resonuerint, ea et ad universi populi plausum declarandum, simulque, ut Maecenatis originem attingeret, mira arte adtexuit. — *Care*, valde adposito epitheto, cum plausus iste amorem totius populi in eum prodidisset. Tiberim

Caecubam et praelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

berim docte et exquisite indigitat per *flumen paternum*, ab Etruria, unde Maecenas originem ducebat, descendens. — 6. *iocosa imago*, Echo, v. ad I. 12. 4. *Vaticani montis*, a Vaticano monte veniens. — *redderet laudes*, docte, pro, plausum in honorem tuum datum repeteret, geminaret. *Tibi* suaviter, quasi Tiberis et Vaticanus mons populi plausibus sese adiungere cuperent.

v. 9 *sqq.* Tuum est, generosa vina bibere; meae sane res non tam lautae sunt, ut talia in meis horreis recondita servem. In utroque membro vinorum praestantiorum adponit genera, *Caecubum, Calenum, Falernum*, et *Formianum*. — *Tu bibes*, non apud me, ut ea tecum afferas, sed *bibas licet*, familiari poetae forma (ut I. 6. 1. I. 7. 1.) pro, reposita, parata habes vina ista, quae bibas, ego non item. Observa ornatum e variata oratione. *Caecubam* et *Calenam uvam*, vinum Caecubum et Calenum: tum pro Calena uva, *uvam praelo Caleno domitam*, h. pressam, subactam, docta epithetorum permutatione, fere uti I. 31. 9. *Premant Calena falce, quibus dedit fortuna vitem*. Pro Falerno sunt *Falernae vites*, et Formianum designatur a *collibus*, in quibus provenit. Iam proprie *vinum* in poculis *temperatur*, h. aqua admixta diluitur ac praeparatur, tum *pocula temperantur* vino infuso, et pro hoc, exquisitiore forma, *vites* et *colles pocula temperant*, dum vina praebent in iis temperanda, iis infundenda.

CARMEN XXI.

ARGVMENTVM.

Hymnus haud dubie hoc carmen est in Apollinem et Dianam: sed variis super eo modis viri docti in errorem inducti sunt. Primum religioso illud usui destinatum fuisse contendunt, cantandum a choro puerorum ac puellarum; quales choros in multis veterum sacris usitatos fuisse nota res est. Sed inprimis Apollini et Dianae tales hymni saepius decantati: v. ad Carm. Saec. Igitur post Acronem multi nostrum carmen ad ludos saeculares trahunt; et Sanadonus illud carminis saecularis partem facit; alii denique ad ludos Apollinares referunt. Sed sunt haec omnia arbitraria, neque satis idoneis argumentis substructa; et posset, si res ita posceret, Phoebi et Dianae quocumque festo cantata ode a pueris puellisque videri. Enimvero nihil omnino est, quod nos in publico eam sacro decantatam esse credere cogat: imo complura sunt, quae hanc opinionem nobis dissuadeant. Qui enim carmen nostrum, Hamelio et Sanadono auctoribus, pro amoebaeo habent, h. quod pueri et puellae alternis cecinerint, hi lusum indulgere ingenio suo potius, quam rectam vel antiquitatis scientiam vel huius ipsius odes rationem sequi videntur. Neque enim in universum ostendi ullo pacto potest, alternis quidem decantatos tales hymnos fuisse a puellis et pueris, neque, si vel maxime ostendi id posset, ad nostrum certe hymnum satis congrueret.

grueret. Dum enim pueris versum primum, alterum puellis, vv. 3 et 4. utrique choro, vv. 5—8. pueris, vv. 9—12. puellis attribuunt, tum verba haec (ita enim emendant: v. Obss.) bellum lacrimosum, pueris, hic m. f. pestemque, puellis, et quae sequuntur, choro iterum universo: in hoc, quod prorsus arbitrarie ponunt, non vident, quam parum convenienter pueri re vera Dianam, puellae Apollinem canant. Quod enim aiunt, formam esse odes hanc, ut excitent se invicem et invitent pueri ac puellae ad venerandum numen suum, id vero novum ludibrium ac nugamentum est. Neque profecto, quod haud leve est, in hac ratione et constitutione carminis ullo modo v. 16. pueri canere poterant motus, quidquid contra dicant. v. Obss. ad v. 13. et 16. Omnia si recte expendantur, hymnum hunc privatim ab Horatio scriptum putemus, quo festum Apollinis et Dianae diem aliquem celebraret, aut ei praeluderet. Iam hoc ita instituit, ut per imaginem poëticam quidem, personam sumat choragi (v. Argum. ad IV. 6.) puerorumque ac puellarum chorum, in illo sacro consuetos ac sollennes cantus editurum, ad munus rite conficiendum atque explendum exhortetur. Qua ratione quid tandem vel expeditius et commodius vel doctius ac gravius esse possit? Tempus, quo factum esset hoc carmen, dum constituere conati sunt viri docti, facile delati sunt eo, ut a. V. DCCXXXI. cum fame ac pestilentia Roma laboraret (Dio LIII. 33. LIV. 1.) illud putarent factum esse ad Apollinem et Dianam, cum custodes et conservatores populi Romani, tum omnino numina averrunca et salutaria: verum Dii averrunci omni tempore

orari et poterant, et solebant, mala ut averterent, licet haec iam nunc nulla essent. Sic, ut unico exemplo defungar, idem est exitus H. in Dianam apud Orph. XXXV. 13 *sqq. eodem orationis colore:* Ἐλθὲ θεὰ σώτειρα — εὐάντητος, ἄγουσα καλοὺς καρπούς ἀπὸ γαίης, εἰρήνην τ' ἐρατὴν, καλλιπλόκαμόν θ' Ὑγίειαν· πέμποις δ' εἰς ὀρέων κεφαλὰς νούσους τε καὶ ἄλγη. *adde Sophocl. Oedip. Tyr.* 161. 62. *et Theogn. v.* 13.

IN

IN DIANAM ET APOLLINEM.

Dianam tenerae dicite virgines:
Intonſum, pueri, dicite Cynthium:
Latonamque ſupremo
Dilectam penitus Iovi.

Vos

v. 1 *ſqq.* *Tenerae* aetate, quas Catullus eodem in argumento vocat *integras* XXXIV. 2. 3. florentes aetate, ut in Terentiano (Andr. I. 1. 45.) *egregia forma atque aetate integra.* In Catullo tamen de caſtitate fere accipiunt. cf. IV. 1. 26. — *dicite*, canite, ἀνυμνεῖτε, ſolenni v. cf. I. 12. 13. et 25. — 2. *Cynthium*, Apollinem, a Cyntho Deli monte ſic dictum. — *intonſum* ἀκειρεκόμην, ad perpetuam eius iuventutem deſignandam. Apoll. Rh. II. 708. αἰαί τοι, ἄναξ, ἄτμητοι ἴθειραι, αἰὲν ἀδήλητοι. Tibull. I. 4. 36. *Solis aeterna eſt Phoebo Bacchoque iuventas, nam decet intonſus crinis utrumque deum.* cf. V. 15. 9. Erant vero Apollo et Diana Dii κάρεδροι, σύνναοι, ideoque in hymnis una invocari ſolebant. v. Aeſchyl. Ἑ. ἐ. Θ. 145 — 150. Sophocl. Oed. Col. 1091. et Trachin. 208 ſqq. — 3. Quum in Hymnis Deorum laudes etiam ab eorum clarо ortu repeterent, magnum ſane nomen Latona in hymnis in Apollinem et Dianam habuerit oportet. Homer. H. in Dian. 19. ὑμνεῦσα Λητὼ καλλίσφυρον, ὡς τέκε παῖδας, et H. in Apoll. 14. χαῖρε μάκαιρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα. et ſic paſſim. Hinc et Latonae preces fiunt apud Ovid. Met. VI. 160. *date Latonae, Latonigenisque duobus cum prece tura pia.* cf. Macrob. I. 17. — *penitus*, πηρόθι, maxime *dilectam*, cariſſimam; quod Apollinis et Dianae dignitatem auget. — *ſupremo Iovi*, ὑψίστῳ Διί, Homerico epitheto. v. ad I. 12.

v. 5 *ſqq.* Ad Puellas choragus ſeſe convertit. In ſequentibus poeta Hymnorum veterum epice tractatorum, quales fere ſunt Homeri et Callimachi, in quibus ſtudia Deorum, artes, res geſtae, loca ipſis ſacra commemorantur, rationem ſequitur, loca, quae utrique conſecrata eſſent, recenſendo. Quo ipſo Deos ſibi benevolos reddi puta-

Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quaecunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi:

Vos

putabant. Callim. H. Del. 9. 10. Δήλῳ νῦν οἴμης ἀποδάσσομαι, ὡς ἂν Ἀπόλλων Κύνθιος αἰνήσῃ με φίλης ἀλέγοντα τιθήνης. Iam haec, quae Diis sacra sunt, loca iidem dicuntur frequentare, in iis lubenter versari, ea amare (IV. 12. 11. *Deum, cui nigri colles Arcadiae placent.* Callim. H. in Dian. 188. τίς δέ νύ τοι νήσων, ποῖον δ' ἄρος εὐαδε πλεῖστον;). Hinc poeta inducit *laetam* sc. Dianam, χαίρουσαν, τερπομένην, amantem fluvios ac montes. Dianam intelligendam esse, orationis ipse contextus docet, neque durior haec ellipsis videri debet, cum in Hymnis priscis praedicata nude subiici soleant, et in Orphicis saepius ne nomen quidem praemittatur. Fluvios Dianae sacros fuisse declarat etiam Catulli locus XXXIV. 9. quem, etiam propter seqq. hic apponam: *Montium domina ut fores, silvarumque virentium, saltuumque reconditorum, amniumque sonantum.* Laudant et Pindari Pyth. II. 12. sed ποταμία ibi appellatur propter templum ad fontem Arethusam. Eidem, Deae quippe ἀγροτέρῃ, montes, inprimis saltuosos, consecratos fuisse, in vulgus notum est. Callim. H. in Dian. 18. Δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα. Infra III. 22. 1. *Montium custos nemorumque Virgo.* Ex montibus, Dianae gratis, memorantur *Algidus*, prope Romam, in via Appia. Carm. saec. 69. *quaeque Aventinum tenet Algidumque. Erymanthus*, Arcadiae mons, ubi inprimis haec Dea venari solebat. Homer. Od. ζ. 103. *Taygetum* nominat Callim. H. in eand. 188. *Cragus* Lyciae mons. Iam ornatum et copiam poetae observent tirones in his vv. *Coma*, frondibus *nemorum*, nemoribus. — 6. *quaecunque*, quae *prominet*, est, extat in vertice *Algidi*. — *gelido*, propter umbras arborum. Sic *Haemus gelidus* I. 12. 5. — 7. *nigris* s. densis, umbrosis. Offendit viros doctos, quod poeta dicat, *nemorum comam prominere in silvis*, et tautologiam vix ferendam in his agnoscunt. Sed rem facillimo negotio expedias, si ad v. *prominet* diligentius attendas. Dianam enim non simpliciter montibus, sed summis eorum iugis maxime delectari poeta ait. Iam vertices montium indigitavit per *comam nemorum*, s. nemus, *quod* in montibus *prominet*. Nemus vero partem silvae constituere, trala-

Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetra
Fraternaque humerum lyra.

Hic

tralatitium est. Ovid. Met. I. 568. *Est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit silva.* Eadem orationis copia atque ornatu Virg. Aen. I. 164. *tum silvis scena coruscis desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.* Montes adeo ipsi sunt saltuosi, silvis consiti, quarum partes, ut ea h. l. quae est in montis vertice, nemora efficiunt. Imposuit igitur hic viris doctis ornatus paulo exquisitior, quum simplicior enuntiatio fuisset, Dianam nemorosis montium saltuosorum verticibus gaudere. Cum dilectu vero posuit τὰ ἄκρα montium, utpote venationi aptissima. Homer. H. in Dian. 4. ἡ κατ' ὄρη σκιόεντα, καὶ ἄκριας ἠνεμόεσσας ἄγρῃ τερπομένη κεκγχρύσεα τόξα τιτκίνει.

v. 9—12. Iam pueros ad laudes Apollinis canendas excitat choragus. *Totidem laudibus tollite*, vos invicem, pariter ac puellae Dianam, laudibus extollite, celebrate. — *Tempe*, inter Olympum et Ossam sita, Musarum sedem (Catull. LXIV. 286 sqq.) quibus Apollo praeest. Alii: quod Tempe lauro, Apollini sacra, consita fuerint. Alii denique, quod Apollo, Pythone serpente occiso, ut expiaretur, ibi commoratus esset. v. Aelian. III. 1. — 10. *Natalem Delon Apollinis*, Δῆλον, Ἀπόλλωνος κουροτρόφον Callim. H. Del. 2. et v. 4. Δῆλος δ' ἐθέλει τὰ πρῶτα φέρεσθαι ἐκ Μουσέων, ὅτι Φοῖβον ἀοιδῶν μεδέοντα λοῦσά τε καὶ σκείρωσε. res nota. *Natalem silvam* vocat III. 4. 63. v. Homer. H. Apoll. 16. cuius diversam ab aliis narrationem, qua Diana in Ortygia, Apollo vero in Delo editus sit, poetam hic secutum nescio qua ratione inducti intpp. contendunt. Nam de natali Dianae solo nulla in hoc carmine fit mentio. — *mares*, pueri, ut Sophocl. Trachin. 210. in Hymno in eosdem: ἐν δὲ κοινὸς ἀρσένων ἴτω κλαγγά. — 11. Celebrate Apollinem τὸν εὐφαρέτραν Sophocl. l. l. Pro eo ornate: *humerum* Apollinis *insignem*, decorum, ornatum *pharetra*, pharetram gerentem, et *lyram*, ei adclinatam, uti fere in monumentis occurrit. — *fraterna*, a Mercurio fratre ei tradita. v. ad I. 10. 6. Sollennis vero adtributorum, quae Diis propria sunt, in eorumdem hymnis mentio. De pharetra

Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque, a populo, principe Caesare, in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

et lyra Apollinis, eiusdem hymnis a poetis intexi solitis Callim. H. Apoll. 19. εὐφημεῖ καὶ πόντος, ὅτε κλείουσιν ἀοιδοὶ ἢ κίθαριν ἢ τόξα, Λυκωρέος ἔντεα Φοίβου. Caeterum Bentl. verba ita iungit; *insignem* Apollinem quoad *humerum pharetra et lyra*; quae paulo durior est ratio.

v. 13 *sqq.* Sequuntur preces, praeclara inflexione. Pedestris oratio postulabat *Hi*, ut ad utrumque referatur; sed poeta Apollinem solum invocat, ut mala a populo Romano propulset: in quo non haerendum. Porro vulgaris enuntiatio sententiae erat haec: Esflagitate, pueri, precibus, ut bellum caet. in Persas agat. Sed hoc tanquam vates eloquitur. — *bellum lacrimosum*, funestum, exitiosum, πολύδακρυν Ἄρηα, πόλεμον δακρυόεντα, ut saepius. v. ad I. 8. 14. Bellum, famem, et pestem universe ponit poeta pro malis, quae populum adterant ac pessumdent. Hos avertit Apollo, tanquam tutelare Romanorum numen, θεὸς ἀλεξίκακος, ἀποτροπαῖος. — *aget a populo in Persas*, docta brevitate pro, arcebit a populo Romano, et convertet, immittet in Persas. *Persis* s. Parthis et *Britannis* mala ista imprecatur, tanquam Romani nominis hostibus: sollenni et antiquorum hominum feritati more consentaneo. Sic III. 27. 21. *Hostium uxores puerique caecos sentiant motus orientis Austri.* Virg. Ge. III. 513. *Dii meliora piis, erroremque hostibus illum;* ubi v. Heyn. Forte tamen Britannos commemorat, tanquam *orbis ultimos* (I. 35. 29.) s. remotissimos, ut adeo mala ista longissime a populo Romano abesse cupiat. — *principe Caesare*, regnante Augusto, nam propter hunc solum, Diis carissimum, preces has ratas fore confidit poeta.

CAR-

CARMEN XXII.

ARGVMENTVM.

Ex priſcorum hominum opinione poetae in ſingulari Deorum tutela erant, quoniam non eſſent ἐναγεῖς, nullum ſibi contraherent ἄγος, quod vocabulum quum antiquiſſimo ſermone culpam caedis proprie deſignaſſet, mox ad bella inprimis civilia (v. ad I. 2.) denique ad omnem vel violentiam vel fraudem, qua noceretur aliis, translatum eſt. Quibus omnibus piaculis quum vacui eſſent poetae, neque eſſent aut homicidae, aut bellicoſi, aut violenti, aut periuri, aut avari denique, neque quemquam laederent, dum nugis tantummodo ſuis dediti ac paupertate ſua contenti agerent: hinc innocentes homines ac Diis inprimis cari putati ſunt. v. I. 17. 13. et cf. IV. 3. pr. Iam Horatius magnum vitae periculum feliciter effugerat; ita facile antiquae, quam diximus, opinionis acrior, ut fit, ac vividior animum poetae ſenſus tangebat. Igitur hinc oden orditur: vir innocens, id eſt, vates, illa innocentia ſua ubique tutus eſt: vv. 1 — 8. Tum periculum, quod evaſit, narrat atque auget, vv. 9 — 16. Denique ubivis terrarum tutum ſe ſua integritate, eaque fretum tranquillo animo fore profitetur, idque divine eloquitur vv. 17 — 24. Apparet perperam facere, qui hodie innocentiae atque integritati, hoc in carmine laudatae notionem generoſiorem, ex puriore morum doctrina ductam, ſupponant. Sed habemus

ex

ex re vulgari enatum divinum carmen, cuius virtutes primariae sunt venustas et elegantia summa, placidum usque ad finem ac dulce pathos (vividius tamen paullo a v. 17.) elocutionis ornatus cum exquisitissimis, tum, in exitu maxime, suavissimus, denique versuum structura suavissima et numerosissima. — Fuscus Aristius, ad quem carmen scriptum est, erat grammaticus et rhetor non contemnendus, familiarissimus atque amicissimus Horatii, iocosus idem et facetus homo. v. Epist. I. 10. pr. Serm. I. 9. 61. Caeterum cum argumento quidem nostri carminis comparetur III. 4. 9—36.

AD

AD ARISTIVM FVSCVM.

Integer vitae ſceleriſque purus
Non eget Mauris iaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida ſagittis,
Fuſce, pharetra:
Sive

v. 1 ſqq. Integer vitae, vir vitae integrae, animi integri, non contaminati, innocens; graeca forma, ut Serm. II. 3. 220. *integer animi*. Tacit. Ann. I. 69. *ingens animi femina*, h. animi ingentis ſ. Virg. Aen. II. 61. *ſedens animi*, et ſic ſexcenties. v. Lamb. Qua eadem forma, quod declarative ſubiicitur, *purus ſceleris*, a ſcelere, *καθαρὸς ἅγνος*, *ἁγνὸς τῆς ἄτης*, ſcelere non pollutus. v. Argum. — 2. tutus eſt ipſa innocentia ſua, *non eget*, quibus ſe tueatur, armis, illa ſatis munitus. Poſteriora exornavit atque amplificavit poeta, ut transitum paret ad id, quod ſibi ipſi accidiſſet, Senſus adeo eſt: Homo innocens, quem ideo Dii tuentur, ubique tutus eſt, nihil ipſi timendum eſt, ſi vel per deſertiſſima et feris quam maxime infeſtata loca iter faciat: non opus habet, ut armis ferarum incurſum a ſe propulſet. Periculum a feris timendum poſuit omnino pro quovis periculo poeta; ſed hoc cum dilectu, quoniam ipſe tale effugerat. Memorat adeo illas fere regiones, quae propter ferarum, ibi degentium frequentiam ſatis tuto adiri nequeunt. Nam ut haec ſimul, quae ab incolis earum, etſi et ipſis feriſſimis, timenda ſint pericula, hic cum quibusdam intelligantur, haec ſane tota carminis excludit ratio atque indoles. — *Mauris iaculis* docte pro Mauretanicis, non quod Mauri optimi iaculatores fuerint, ſed quod Mauretanica regio ſerpentum aliarumque ferarum frequentia quam maxime infeſtetur, ibique adeo ſine iaculis vix tuto iter facere liceat. Scilicet vulgaris ratio ferebat: non eget, tanquam Maurus, ſi in Mauretania verſetur, iaculis. Atque ſic bene reſpondet *τῷ Syrtes* v. 5. — *pharetra gravida*, gravi, plena, referta (ut equus Troianus *ἐγκύμων τεύχεσιν*, quanquam magis proprie, audit Eurip. Troad. 11.) *ſagittis venenatis*, ſimpliciter pro, ſagittis.

Sive per Syrtes iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Namque

v. 5—8. Extremam Africae oram, tanquam ferociorum animalium, leonum, tigrium caet. proventu feracissimam (θηριώδη ideo simpliciter dictam Herodoto II. 32.) regionem declarat poeta per *Syrtes*, eiusdem litori praetentas. Erant eae vada arenosa, et quia situm variabant, periculosissima. v. Lucan. IX. 431. Propert. II. 7. 71. *Gaetulas Syrtes* pro extrema Africa dixit etiam II. 20. 25. et Virgil. Aen. IV. 41. V. 51. — *aestuosas* solis fervore: qua eadem ratione Claudian. de Cons. Stil. III. 275. *Syrtes anhelas*, et in Ruf. II. 241. *incensas Libyae arenas* vocat. *Aestuosam Calabriam* habes I. 31. 5. — 6. Sive iter faciat per deserta Scythiae loca. Declarat ea poeta per *Caucasum* montem inter Caspium et mare Nigrum situm. — *Inhospitalem*, ἄβατον, ἀπάνθρωπον, ἄξενον, (quae sunt Aeschyli Prom. 19. de hac regione epitheta) propter immanes solitudines ac feras in iis commorantes. Nam incolarum feritas a poetae consilio prorsus aliena est. Errant, qui ab Horatio hanc vocem confictam existimant, quam Varro de eadem regione iam adhibuerit, uti patet e fr. apud Non. v. *Vastitas: mortalis nemo exaudit, sed late incolens Scytharum inhospitalis campis vastitas.* cf. V. 1. 12. Senec. Med. 43. Tigribus Caspiam maxime infestari patet ex Virg. Aen. IV. 367. Sil. IV. 333. Senec. Hero. Oet. 145. *fera tigribus Caspia.* — 7. *vel* per ea *loca*, quae *lambit*, alluit, praeterfluit H. Avien. Descr. O. 495. *Tibris* — *Romanosque lares lapsu praelambit alumno.* et v. 1077. *Laodice glaucei praelambitur aequoris unda.* Alias est *rodere* (ὑποτρώγειν) Lucret. V. 257. *ripas radentia flumina rodunt.* Infra I. 31. 7. *rura; quae Liris quieta mordet aqua*, ubi vide Not. — *Hydaspes*, Indiae fluvius *fabulosus*, propter miras narrationes, quae de eo et de tota India tradebantur, de immanibus eius belluis, monstris caet. Sic Martial. IX. 46. 3. Atlantem declarat per *Promethea rupes* et *fabulam montis*, quem eadem de causa Plin. II. N. V. 1. *fabulosissimum Africae montem* vocat. Seneca Ep. XCIV. *nec me Charybdis et Scylla, et fabulosum istud fretum deterrere potuisset.*

Est

Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem,

Quale

Est igitur delectus in hoc epitheto.

v. 9—12. Hoc meo ipsius exemplo edoctus sum; *namque*. Sed illud omittit, lyrica brevitate, quam et in ipsa narratione tenuit. Plenior enim oratio erat: Lupus mihi paullo longius evaganti obviam venit, meque, etsi inermem, fugit. — *Silva Sabina*, quae adiacebat villae suae Sabinae, ad eamque pertinebat. *Paullum silvae* vocat Serm. II. 6. 3. et *silvam iugerum paucorum* III. 16. 29. — *dum Lalagen meam*, mihi amatam, amores meos *canto*. Praeclare hoc adiectum ad declarandum otiosum eius animum, nullo instantis periculi metu perturbatum. Disertius hoc eloquitur v. seq. — *ultra terminum*, paullo longius: nihil amplius. Suaviter hoc adiectum: nam dum Lalagen canit, Lalagen unice cogitat, non advertit se longius, ac ultra, quam tuto licebat, in silva progressum. — *curis expeditis* potest esse, animo ab omni cura vacuo, utpote in Lalages amore unice defixo, adeoque tranquillo, otioso. Potest et esse, animo ab omni timore libero, nihil periculi a feris metuente; securo. Hoc tamen paullo subtilius. Docte vero *curis expeditis* sc. animo, pro, animo curis expedito. Eadem exquisitiore loquendi forma Catull. XXXI. 7. *O quid solutis est beatius curis*. Proprie enim animus expediri curis dicitur; nam, dum detinetur aliqua re, nimia alicuius rei cogitatione occupatus est, ea is *impediri* dicitur. Hinc de gravioribus affectibus, qui omnes animi cogitationes in se convertunt, eumque quasi vinctum tenent, quo minus aliis cogitationibus vacare possit, veluti de amore V. 11. 25. de metu III. 24. 7. et aliis usurpatur. Terent. Andr. I. 5. 26. *Tot me impediunt curae, quae meum animum diverse trahunt*. adde Cic. pro Cael. 45. Hinc animus, curis vacuus, istis *solutus* (Catull. l. l.) *expeditus* (Terent. Phorm. V. 3. 4.) et pro hoc exquisitius ipsae curae solutae, expeditae dicuntur. — *fugit* etsi *inermem*, nam hoc ipsum mirationem faciebat.

v. 13—16. Quo maius, quod sibi imminuerat periculum appareat,

Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.

Pone

pareat, lupum, sibi visum, tanta ait fuisse magnitudine ac ferocitate, qua omnia vel maxime terribilia ubivis terrarum animalia facile superaret. Suaviter et ex timoris natura. Vulgaris nexus erat: Lupus me fugit, portentum, quale caet. — *Portentum*, πέλωρον, de animali insuetae magnitudinis vel feritatis. ἄγριον τέρας Eurip. Hippol. 1214. *Cretia prodigia* de tauro Cretico Virgil. Aen. VIII. 295. et inde Claudian. de laud. Stilic. III. 345. *Tum viridos pardos, et caetera colligit Austri prodigia.* Eadem *monstra* vocat ib. v. 274. v. ad I. 3. 18. IV. 4. 63. — *quale* vix ullibi terrarum invenias. Pro hoc eum dilectu regiones ponit, ferais abundantes. — *Daunias* sc. γῆ, Daunia, Apulia, a Dauno rege sic dicta. cf. IV. 14. 26. Ovid. Fast. IV. 76. Silius IV. 556. v. Verheyk ad Anton. Lib. p. 203. — *militaris*, ferox, bellicosa. v. III. 5. 9. — *alit τρέφει*, habet, ut saepissime. — *latis aesculetis*, in profundis saltubus. Quaerunt Intpp. an in Apulia lupi sint; sed extenuatur ac perit totius loci virtus, si poetam Sabinum suum lupum reliquis aliarum regionum ferocitate praecellentem innuisse existimes: imo nuspiam animal reperiri ait, quod magis adspectu horridum sit, magis metuendum sit, hoc fero; quo vel adi. *leonum nutrix* in v. seq. facile ducit. — 15. *Iubae tellus*, Mauretania, Iubae subiecta, nota ratione, qua regiones et gentes ab ipsarum conditore (II. 6. 12.) vel rege, qui reliquis est notior, designantur. Iuba vero, recenti clade a Iulio Caesare accepta, Romanis tum satis notus erat. *Regna Iubae* similiter Lucan. IX. 869. — *generat*, habet, uti paullo ante *alit*. — *leonum nutrix*, quae nutrit, habet leones, θρέπτειρα λεόντων, sicuti Phrygia vocatur in Epigr. ἀδεσπ. 174. (Br. Anal. III. p. 184.) et Ida Homero Il. Θ. 47. μήτηρ μήλων. Contra leones *horribiles Libyae alumnos* indigitat Claudian. de Conf. Stilic. III. 280. ex imitatione Stat. Silv. I. 3. 6. leonem Nemeaeum *gravem Nemeos frondentis alumnum* vocantis. — *arida*, sitiens, aestu solis torrida, perpetuo epitheto. Virg. Aen. IV. 42. *deserta siti regio* s. ut Herodot. II. 32. ait, ἄνυδρος δεινῶς, καὶ ἔρημος πάντων.

Sil.

Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura;
Quod latus mundi nebulae malusque
Iupiter urget:

Pone

Sil. It. III. 251. *Barce sitientibus arida venis.* adde Lucan. III. 294. Docte vero epitheton τῷ *nutrix* iungitur, quod erat proprium regioni s. telluri Iubae.

v. 17 — 22. Praesentissimo hoc periculo quasi divinitus liberatus poeta, iamque animosior factus se ubique terrarum vel in desertissimis regionibus suaviter atque secure commoraturum confidit. Pro incultis regionibus duas zonas ponit, quae ex aetatis suae opinione inhabitabiles habebantur, frigidam, et torridam, easque docto ornatu declarat. Pro tenui, *sive sim* sub zona frigida vel torrida, exquisitius est, *pone*, colloca me, sedem mihi adsigna in zona frigida, pro hoc, in *eo latere* mundi, terrarum tractu, *ubi nulla arbor* surgit, vel est. quanto suavius pro hoc, addita simul sterilitatis caussa, *nulla arbor aestiva*, qualis est alibi aestatis tempore, *aura recreatur*, fovetur, ipso afflatu vires sumit. Catull. LXII. 41. de flore: *quem mulcent aurae, firmat Sol, educat imber.* Senec. de Prov. c. IV. *Non est arbor solida nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat.* Sterilitatem ob defectum caloris amplius declarat poeta per *campos pigros*, quibus vis s. temperies vitalis ad aliquid procreandum deest, seu propter nimium ardorem, seu propter nimium frigus: unde et *frigus pigrum*, *sterile* dicitur. Lucan. IV. 108. *zona nivalis — sterili non quidquam frigore gignit.* De nimio aestu idem IX. 436. *natura deside torpet orbis et immotis annum non sentit arenis hoc tam segne solum. Agrum frumento pigrum* dixit Apulei. Florid. T. II. p. 128. ed. Bip. Forte tamen simpliciter poeta *c. pigros* dixit, pro, immotos, incultos, hominibus quippe non habitabiles: quo fere sensu *squalentia arva aestiferae Libyes* dixit Lucan. I. 205. Homer. II. in Cer. v. 451. de agro Rhario: ἀλλὰ ἕκηλος εἱστήκει, *pigra, inculta horrebat.* — 19. *malae nebulae* et *malus Iupiter*, aer noxius frigore ac densitate sua. Valer. Flacc. I. 515. de eadem zona: *nube rigens et nescia rerum* (sterilis) *stat super.* Eidem *densam umbram* tribuit Tibull. IV. I. 154. Sic *malus Iupiter* Statio

 Theb.

Pone ſub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

Theb. X. 374. et *mala nubila* eidem Theb. I. 664. de peſte dicta. — *urget*, ſpiſſa ſua gravitate premit, incumbit, circumdat. Lucan. IV. 166. *mundi pars ima iacet, quam zona nivalis perpetuaeque premunt hiemes.* Seneca de Prov. IV. *perpetua illos hiems, triſte caelum premit*, maligne ſolum ſterile ſustentat. Valer. Flacc. I. 513. de Iove: *horrida ſaevo quae premis arva gelu.* et de nebulis Senec. Oedip. 47. *gravis et ater incubat terris vapor.* — 21. Seu degam ſub zona torrida. *Sub curru Solis* terris *nimium propinqui*, ex antiqua opinione: cf. Tibull. II. 3. 56. et IV. 2. 20. — *domibus negata*, ubi domos exſtruere ſeu potius inhabitare non licet, non apta eſt ad habitandum. Duobus modis hoc poetae efferunt. Dicitur enim, *terra negata eſt domibus*, et *terra negat domibus*, iis non adcommoda. Stat. Theb. I. 124. *dexter Iaccho collis, at Ennaeae Cereri negat.* Lucan. IX. 856. *Impatiensque ſolum Cereris, cultore negato.*

v. 23. 24. Secure ibi ac ſuaviter degam. Hoc iterum declarat per conſequens, nimirum, ſe rerum omnium ſecurum Lalages amori ibi unice vacaturum. Valde errant, qui ob amorem in Lalagen Horatium Diis acceptum, ideoque e periculo ſervatum, atque ob hunc ipſum in deſertiſſimis regionibus ſe tutum praedicare autumant. — *dulce*, ſuaviter *ridentem*, νεκτάρεον μειδήσασαν velut Apollon. Rh. III. 1008. γελάϊς ἱμερόεν Sapph. V. 5. ἡδὺ μείδημα Silentiar. V. 1. (Brunk. Anal. III. 72.) — *dulce loquentem*, ἁδὺ φωνεῦσαν, Sapph. l. c.

CAR-

CARMEN XXIII.

ARGVMENTVM.

Puellam simplicem ac subtimidam ut in amorem sui pelliceret poeta, dehortatur eam, ut ne amplius matri, hinnuli instar, adhaereat, quum iam id attigerit aetatis, quae amori conveniens sit, cui adeo, nisi parum liberalis atque subrustica videri velit, vacare debeat. Ne vero, amorem suum paullo apertius confessus, animum puellae, quae forte vel solo amoris nomine audito rubore suffunderetur, magis a se alienum, quam votis suis faventem redderet, caute satis atque circumspecte rem aggressus est, hoc unice ab ea petendo, ne se tam obstinato fugiat animo. — Odarium hoc, quod proxime ad idyllii naturam accedere videtur, totum e graeco fluxisse, facile fidem facit fragmentum carminis, quod Anacreonti vulgo tribuunt, ita a Bentleio in ordinem redactum:

> Ἄτε νεβρὸν νεοθηλέα γαλαθηνὸν, ὃς ἐν ὕλῃ
> Κερόεσσης ἀπολειφθεὶς ὑπὸ μητρὸς ἐπτόηθη.

Vnde simul apparet, quam liberale Horatii in exprimendis Graecorum poetarum carminibus fuerit studium, quantoque iudicio et arte illud aggressus sit, adeo, ut non tam rerum ac verborum lenocinia ac delicias fastidiose ab iis mutuatus esse, quam potius ingenium suum, suas vires in eodem argumento tractando experiri, omninoque de palma cum illis certare voluisse videri debeat.

A D C H L O E N.

Vitas hinnuleo me ſimilis, Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem, non ſine vano
Aurarum et ſiluae metu.

Nam

v. 1 *ſqq.* *Vitas me*, cum dilectu, ut Chloën non arrogantia aliqua ſuum amorem aſpernatam, ſed ſolo puellari pudore adhuc praepeditam, quominus amori eius reſponderet, poeta innuat. Quo et ſpectat tota comparatio cum hinnulo, timiditatis perpetuo fere apud omnes gentes ſymbolo. Quin et ipſum *Chloës* nomen eo pertinere putabat Heinſius in Lectt. Theocrit. p. 380. quod eſſet ἀπὸ τοῦ χλοᾶειν, voce a colore timoris deducta: unde et Χλόαι Nymphae illae, quae perpetuo tactum Satyrorum fugere putarentur. — *Hinnuleus*, nova forma, ut ſupra 17. 9. hinnulus, νεβρὸς, caprearum, cervarum, damarum pullus. — *Chloës* nomen occurrit III. 9. 9. et III. 26. 12. quam eandem eſſe, neque negare, neque affirmare licet. — 2. *quaerenti*, deſiderauti *matrem*, quaſi ea praeſente minus ipſi metuendum ſit; e natura timoris, et appoſite propter v. 11. 12. de puella matri adhaerente. — *pavidam* vel perpetuo epitheto, vel pullo abſenti timentem. — *montibus aviis*, ἀβάτοις, οἰωνόλοις, deſertis, qui fere latibula ferarum ſunt; vel ex poetica ratione: in quibus a matre aberraverat. — *non ſine metu*, cum maximo metu, maxime metuens, cum vi dictum, ut I. 25. 16. *non ſine queſtu* et III. 29. 38. *non ſine clamore*. — *Metus aurarum et ſilvae*, a ſilva ſ. arboribus leniſſimo aurae ſtrepitu commotis incuſſus. Hoc ulterius exornatur ſqq. Sollennes vero hae timoris nimii ideae. Virg. Aen. II. 728. *nunc omnes terrent aurae, ſonus excitat omnis.* Lucan. VIII. 5. *pavet ille fragorem motorum ventis nemorum.* Claudian. in Eutr. II. 451. *Ecce levis frondes a tergo concutit aura.*

v. 5—8. Nam ubi folia vento leviter intremuerunt. Docte atque ornate haec poeta elocutus eſt. Pro quovis vento

Zephy-

Nam ſeu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis, ſeu virides rubum
Dimovere lacertae,
Et corde et genibus tremit.

Atqui

Zephyrum poſuit, tanquam leniſſimum, ut indicaret, hinnuleum vel leviſſimo ſtrepitu exanimari. Hinc *inhorreſcere* dicitur *foliis*, quibus incidit cum *horrore*, φρικὶ, h. leni impulſu, quae leviter commovet. Sic μαλακὴν φρῖκα φέρειν Zephyrus dicitur Leonidae c. XXVIII. (Anal. Br. II. 196.) Plato c. XIII. (Anal. Br. I. 171.) ὑψικόμων πωρὰ κάνδε καθίζεο φωνήεσσαν φρίσσουσαν πυκινοῖς κώμων ὑπὸ ζεφύροις. Ita et *horror*, *horrere* Catullo, Virgilio, Ovidio, aliis. v. Burm. ad Lucan. V. 446. Inverſione autem poetica *adventus veris inhorruit foliis* dictum puta pro, folia adventu veris inhorruerunt; quae vulgaris ratio obtinet in Stat. Th. I. 309. de Mercurio, *tenuique exceptus inhorruit aura*. Pro Zephyro vero ſ. verna aura docte et audacter eſt *adventus Veris*, ver adveniens, cuius numinis appropinquantis vis ſentitur arboribus, a Zephyro, eius comite (IV. 12. 2.) ac *praenuntio* (Lucret. V. 736. *It Ver, et Venus, et Veneris*, adeoque et Veris *praenuntius ante pinnatus graditur Zephyrus veſtigia propter*) commotis. Alii de foliis aridis per hiemem delapſis, vel quae arboribus adhaeſerint, intelligendum h. l. putant. Atqui adventum veris tum ſatis otioſe poeta adieciſſet, et *mobilibus*, quod forte opinioni ſuae ſuffragari exiſtimant, ſimpliciter ornat, ut I. 7. 14. — 6. Alia leviſſimi ſtrepitus excitati cauſa. — *lacertae virides*, χλωραὶ, perpetuo epitheto. — *Rubus*, βάτος, ſentis genus. — *dimovere*, rubum perlapſae levem ſtrepitum edidere. — 8. metu exanimatur, timet, ne leo vel tigris tergo ſuo immineat. Docte hoc poſteriori membro (v. 9. 10.) inſeruit. — *corde tremit*, cor eius micat (Tibull. I. 10. 12.) ἐκπηδᾷ, κάλλεται ἦτορ, uti et alterum *genibus tremit*, genua eius tremunt, labant ὑπό δ' ἔτρεμε γυῖα, notae ſunt ac ſollennes de magno timore loquendi formae.

v. 9. 10. *Atqui* nihil tibi a me metuendum eſt, ego, quem hinnuli more fugis, te non tigridis aut leonis inſtar ſector. Praeclare poeta ſubruſtico puellae pudori conſuluit hactenus, quod non diſerte eloquitur, qua cauſa impulſus eam inſequatur,

Atqui non ego te, tigris ut aspera,
Gaetulusve leo, frangere persequor:
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

quam verbo tantum v. extr. tangit. — *tigris aspera*, irata, saeva, fera, ut Stat. Th. IV. 315. — *leo Gaetulus*, pro quovis immani. Nam Africae, cuius pars est Gaetulia, leones ferissimi habiti. v. carm. praeced. v. 15. Senec. Hippol. 59. Hos vero, leonem et tigridem, omnino pro feris animalibus posuit, hinnulo maxime metuendis. — *frangere persequor*, graece pro, ut te *frangam*, dilaniem, occidam, ἄξαι διώκω. *Frangere*, ut ἀγνύναι, de morsu maioris ferae; noto loquendi usu.

v. 11. 12. *Tandem*, aetate iam provectior, quam viros minime fugere decet. — *matrem sequi*, servata imagine de hinnulo, pro, eam comitari, lateri eius semper adhaerere. Sed et sic pudor virginalis describitur Hesiod. Op. 521. ἥ τε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μητέρι μίμνει, οὔπω ἔργ' εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης. Catull. LXII. 21. de Hespero: *qui natam possis complexu avellere matris, complexu matris retinentem avellere natam.* — *tempestiva viro*, ὡραία γάμου, *iam matura viro, iam plenis nubilis annis*, Virg. Aen. VII. 53. translata a pomis tempestivis, h. maturis locutione. Res notissima. cf. ad II. 5. 10.

CAR-

CARMEN XXIV.

ARGVMENTVM.

Carmen consolatorium ad Virgilium (Maronem, haud dubie vel propter vv. 13. 14.) Quinctilii peregre profecti (v. 11.) mortem impatienter lugentem. Dubitari vix potest, quin Quinctilius idem sit, cuius severum et acutum iudicium A. P. 438. laudat, quemque Hieronymus Chron. Euseb. Cremonensem, Horatii Virgiliique communem familiarem appellat, et Ol. CLXXXIX. 1. mortuum ait. — Conspicuum est hoc carmen elocutione ornata atque docta, sensuumque dispositione facili et ex animi natura ducta. Consolaturus enim Virgilium poeta Melpomenen invocat, ut se, maerore prostratum, modos tanto dolori aptos edoceat, doloremque Virgilii, etsi immodicum, dum suum prorsus facit, tantum abest, ut improbet, sapientique viro indignum iudicet, ut potius iustissimum eum, virtutibusque Quinctilii cum maxime debitum pronuntiet. Parato sic ad Quinctilii laudes transitu, extollit eius modestiam, iustitiam, fidem, animi candorem; non mirum adeo videri debere ait, quod mors eius bonis omnibus acciderit luctuosissima, maxime vero ipsi, (en conversionem mollissimam!) qui amico eo usus sit integerrimo. Munita sic, qua se in Virgilii pectus insinuaret, via, hortatur eum, ut tandem luctui, nihil quippe profuturo, modum figat, patienterque iacturam ferat, quam nulio modo reparare possit.

AD VIRGILIVM.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.

Ergo

v. 1 *sqq.* In iactura tam cari amici nullus dolor videri debet aut indecorus, aut immodicus. Ornatius ac vividius poeta, *quis pudor sit desiderio*, desiderii, qui pudeat nos, dedeceat nos *desiderium*, quod desiderio, dolore ex obitu Quinctilii percepto, afficiamur? *aut quis modus sit*, qui modum in eo servare possimus, quum *tam carum caput*, Quinctilius sit, quem desideremus, ereptum lugeamus. Auctor Consol. ad Liviam v. 7. *Et quisquam leges ausit tibi dicere flendi, et quisquam lacrimas temperet ore tuas?* Cum dilectu vero desiderium posuit poeta; inest enim nimii doloris excusatio. — 2. *tam cari capitis*, viri, φίλης κεφαλῆς, amici, noto graecismo. v. Burm. ad Propert. II. 18. 86. — Invocatio Musae multum hic dignitatis habet, quasi metuat, ut ipse, dolore praepeditus, graviter satis tristissimi animi sui sensa eloquatur. *Praecipe cantus*, κατάρχου μολπῆς, praei, monstra, doce leges ac modos carminis, luctui aptos. Referendum ad προοίμιον chorsgi, qui praecipiebat, docebat chorum cantanda carmina. cf. IV. 6. 35. Similiter Alcman apud Hephaest. p. 22. Μῶσ' ἄγε, Καλλιόπα, θύγατερ Διὸς, ἄρχ' ἐρατῶν ἐπέων, ἐπὶ δ' ὕμερον ὕμνον καὶ χαρίεντα τίθει χορόν. Caeterum Cruquius verba ita iungit: *O Melpomene, cui — — dedit, praecipe, quis sit pudor aut modus cantus lugubris desiderio tam cari capitis.* Muretus vero, *praecipe lug. cantus, quis*, quibus *pudor et modus sit des.* Denique Heinsius, *Melpomene, lugubris* (sec. casu) *cantus* dea. Quae rationes quam contortae, et quam parum poeta lyrico dignae sint, facile intelligitur. — 3. *Pater*, Iupiter; Musae enim eius et Mnemosynes filiae. Melpomene vero vocem et citharam Iovi acceptam refert, quatenus omnia, quae singulis Diis attributa sunt, a Iove ipsis concessa putantur, munera inde, τιμαὶ, δῶρα

Ergo Quinctilium perpetuus ſopor
Vrget? cui Pudor, et Iuſtitiae ſoror,
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?

Multis

δῶρα ſimpliciter dicta. Sic Aeolo (Virg. Aen. I. 66.) *divum pater atque hominum rex et mulcere dedit fluctus, et tollere vento.* Rem attigi ſupra I. 12. 20. — *vocem liquidam*, puram, canoram. *Liquidam cycni querelam* dixit Lucret. IV. 552. et *insignem cithara, cantuque fluenti Dorcea* Valer. Flacc. III. 158. Calpurn. Ecl. IV. 150. *tam liquidum tam dulce canunt.* Contra *voces vix ſtillantes* de arida ac craſſa voce Id. VI. 23. — 4. *vocem cum cithara*, v. et citharam, nota ratione.

v. 5 *ſqq.* Tenerrimum poetae affectum ſtatim prodit, animumque ad rem convertit τὸ *ergo*, quod dolentis eſt, eademque vi hic poſitum, qua Propert. III. 7. 1. *Ergo ſollicitae tu cauſſa, Pecunia, vitae es.* — *perpetuus ſopor*, mors, ſuaviori idea, ut III. 11. 38. *longus ſomnus.* μακρὸν, ἀτέρμονα, νήγρετον ὕπνον ſimiliter dixit Moſchus II. 109. et quis non? v. Barth. ad Claudian. B. Gild. 213. — 6. *Vrget*, proprie, e poetica ratione. Nam ſomnus hominem dicitur *alis amplecti* (Stat. Achill. I. 620.) ei *incumbere* (Id. Theb. X. 149.) eum *premere* (Virg. Aen. VI. 521. *preſſitque iacentem dulcis et alta quies, placidaeque ſimillima morti*) et hinc de gravi et perpetuo ſopore, *urgere.* Virgil. Aen. XII. 309. *Illi dura quies oculos et ferreus urget ſomnus, in aeternam claudunturlumina noctem.* — 6. Quo neque verecundior quisquam, neque iuſtior, neque magis ſpectatae fidei, aut veritatis amantior fuit. Vide quantum poetica ratio ab hac pedeſtri differat. Probos Quinctilii mores declarat poeta per ſpecies aliquas, pudorem, iuſtitiam, fidem ac veritatem, easque, tanquam deas, una cum Quinctilio habitaſſe praeclaro phantaſmate fingit. Nam qui veri et aequi amans eſt, is Veritatem, Iuſtitiam colere; eundem contra numina iſta amare, cum eo verſari, habitare, eum comitari priſco ſermone dicuntur. De Corintho Pind. Ol. 13. 6. ἐν τῷ γὰρ Εὐνομίᾳ ναίει, καὶ ἀγχίγυιαι τε Δίκα, καὶ ὁμότροποι Εἰρήνα. unde profecit Auctor incertus apud Stob. in Excerpt. Grot. p. 133. πέμπετ' ἐμοὶ φοδόκολπον Εὐνομίαν, λαμπροθρόνους τ' ἀδελφὰς, Δίκαν, καὶ στε-

Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
Tu fruſtra pius, heu, non ita creditum
Poſcis Quinctilium Deos.

Quod

φανηφόρον Εἰράνην. v. ad I. 26. 1. Sedem igitur fixam apud Quinctilium, dum viveres, habuiſſe dicit iſta numina, eoque mortuo nunc haerere dubia, quem hoſpitio ſuo dignentur, diuque quaeſitura, antequam *purem huic*, h. qui ſeſe aeque colat, amet, inveniant, cui adeo ſe iterum adiungant. *Pudor* tanquam Deus paſſim apud Graecos occurrit, veluti Eurip. fr. Hippol. apud Stob. t. 31. ὦ πότνι' Αἰδώς, εἴθε πᾶσι τοῖς βροτοῖς συνοῦσα caet. — 7. *Fides incorrupta*, quae neque gratia neque muneribus corrumpi, mutari poteſt; hinc *ſoror Iuſtitiae* dicta, ei perpetuo iuncta, quatenus homo iuſtus idem eſt fidelis. Exquiſitiore enim loquendi uſu inter ea ſororium intercedit vinculum, quae eiusdem naturae ſunt atque indolis, quae adeo una fere deprehenduntur. Sic Δίκα et Εἰρήνη κασίγνηται audiunt Pindaro l. l. Eadem ratione Bacchyl. in fr. apud Clem. Alex. p. 751. Δίκαν vocat Εὐνομίας καὶ Θέμιδος ἀκόλουθον, et Heſiod. Theog. 230. Δυσνομίην Ἄτην τε συνήθεας ἀλλήλοισιν. Suaviter quoque Petron. c. 84. *Neſcio quomodo bonae mentis ſoror eſt paupertas.* quem locum laudavit in hanc rem Ruhnk. ad Tim. p. 3. ubi plura vide ſis. Noſtri locum forte reſpexit Sil. II. 486. *Fidem* pariter *Iuſtitiae conſortem* vocans. — *Veritas nuda*, quae nihil adſcititii habet, quo aliis fucum faciat, quae et incomta maxime placet. Martial. X. 72. 10. *Siccis ruſtica Veritas capillis.* Eſt adeo, aperta, fraudum expers. Pariter Apulei. Met. X. p. 700. ed. Oud. *procedit in medium nuda Veritas.*

v. 9 ſqq. Magnum quidem apud omnes bonos et cordatos viros deſiderium ſui reliquit Quinctilius; nulli tamen mors eius triſtior accidit, quam tibi, qui amico eo usebaris, in paucis caro. Vt ſequentia recte expedias, cogitandum, Virgilium in Quinctilii profectione pro incolumi eius reditu, ſeu omnino pro Quinctilio aegrotante, vota ac ſacra feciſſe. Iam quum Dii ſacris ſibi factis quaſi obſtringantur ad praeſtandum id, in cuius gratiam preces ſibi factae ſint; recte adeo is, pro cuius incolumitate vota nuncupantur, *Diis credi*, eundemque

ex

Quod si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,

Non

ex altera parte Dii dicuntur *debere*, cuius salutem atque incolumitatem ab iis tanquam debitum reposcere licet. Omnino haec e crassioribus antiquitatis notionibus, ubi Deos sacris tanquam muneribus ad quaevis praestanda obligari, ipsique, si quae sibi a Diis obtigissent, *reddendis victimis* (cf. II. 7. 17. et II. 17. 30.) nomine suo exsolvi existimarent, repetenda esse, vix est ut moneam. *Pius* erat Virgilius, votis pro Quinctilii salute nuncupatis, sed *frustra*, Diis eius pietatem non remunerantibus (fere ut Catull. LXXVI. 26. *o dii reddite mi hoc pro pietate mea.*) *poscebat*, reposcebat a Diis, tanquam mercedem pietati suae debitam, salutem Quinctilii, quem iis *non ita crediderat*, non eum in finem, ut sibi eriperetur, imo, ut salvus rediret, precibus Deos efflagitaverat. Ita quidem paullo difficiliorem hunc locum satis expeditum puto. Alii *frustra* iungunt τῷ *poscis*, hoc sensu; *Tu* impatienter dolorem ferens ac *pius*, pietate, amore eius commotus *frustra poscis. Deos Quinct.* qui tamen *non ita*, non ea conditione, ut perpetuo eum possideres, tibi creditus, sed ad tempus tantum tibi commodatus fuerit.

v. 13 *sqq.* Enimvero lamentis tuis nihil proficies, nunquam eum in vitam revocabis. Pro hoc ornatius ac doctius, Virgilium Orpheo tacite aequiparando: si vel Orpheo suavius canas, nunquam tamen exsangue corpus cantu tuo animes. Aiunt poetam respexisse casum Orphei, Eurydicen suam frustra repetentis, magnamque hoc aeque lugubre exemplum ad consolandum Virgilium poetam vim habere contendunt. Quod utrumque a re ipsa ac poetae consilio satis alienum videtur. Nam Orpheus cantu suo omnino permoverat Deos inferos, ut Eurydicen suam in vitam reduceret, cuius iterum amittendae caussa unica erat, quod *imprudens respexisset*. v. Virgil. Ge. IV. 491. Quod si igitur Orpheo blandius Virgilius cecinisset, dubitandum non erat, quin is Quinctilium ab inferis reducturus fuisset, et, ut serio agamus, si hoc, etsi alienissimum, poeta voluisset, omnino totum locum aliter adornasset. Fidem enim Orphei non arboribus, sed Diis inferis auditam vel potius exauditam, neque sanguinem imagini non rediturum, sed mortuum in superas auras Virgilium non reducturum dixisset. Imo vero, si paullo exquisitiorem

Non vanae redeat ſanguis imagini,
Quam virga ſemel horrida,

Non

ſitiorem ornatum demas, poeta nihil amplius dicit, quam, ſanguinem ſ. vitam cantu vel efficaciſſimo non reddi: quam eandem ſententiam ab Aeſchyl. Agam. 1026 ſqq. τὸ πεσὸν δ' ἅπαξ ἐπὶ γᾶν προπάροιθ' ἀνδρὸς θανάσιμον μίλων αἷμα τίς ἂν πάλιν ἐγκαλέσειεν' ἐπαείδων; iam habes propoſitam. Pro cantu efficaciſſimo docte ponit lyram Orphei, vi ſua arbores animantem, ac ſecum trahentem. Apprime huc facit Eurip. Iphig. A. 1211 ſqq. ubi Iphigenia, rigidum patris animum flexura, Orphei cantum ſibi optat: εἰ μὲν τὸν Ὀρφέως εἶχον, ὦ πάτερ, λόγον πείθειν ἐπᾴδουσ' ὥστ' ὀμματεῖν μοι πάτρως, κηλεῖν τε τοῖς λόγοισιν, οὓς ἐβουλόμην· ἐντεῦθ' ἂν ἦλθον. Vnde patet, proverbii fere vim huic locutioni ineſſe. Iam obſerva ornatum in ſingulis. *Si* vel *blandius*, ſuavius, dulcius *Orpheo Thrœcio* Θρηϊκίῳ, Thracio *fidem*, fides, lyram *modereris* docte pro, pulſes. Nam quae cum arte quadam tractamus, certis quibusdam legibus adſtricta, ea regere, moderari dicimur. Similiter infra IV. 3. 17. *temperare ſtrepitum teſtudinis*. Hinc ἄναξ λύρας Apollo alicubi in Anal. Br. audit. Non igitur eſt, potenter pulſare, aut ad modos ſ. numeroſe, unde moderari dictum ſit, ut quidam imperite volunt. — *auditam arboribus*, cuius tanta vis ſit, ut arbores eam audiant, qua vel arbores animentur. v. ad I. 12. 11. — 15. *non* tamen *ſanguis*, quo incaleſcat, animetur iterum, vita *redeat imagini*, in imaginem, umbram *vanam*, exſanguem, corpore deſtitutam. Animam, quae ad inferos deſcendebat, corpori, in quo antea fuiſſet, exacte reſpondere credebant, adeo, ut et vulnera, quae corpus vivum accepiſſet, referret (cf. Virg. Aen. VI. 494 ſqq. Stat. Theb. II. 8. 9.) quae ideo dicebatur εἴδωλον, ſimulacrum, imago defuncti, et, quia ſanguine, carne et oſſibus h. corpore ſuo deſtituta erat, imago vana, umbra. Ovid. Faſt. V. 463. *elapſa rogi flammis et inanis imago*. v. ad I. 4. 16. adde Hemſterh. ad Lucian. T. I. p. 402. Vt igitur imagini vita redderetur, ſanguine opus erat, quo ea iterum animaretur. Hinc ſanguinis uſus in necyomantiis veterum, ad vocem, omninoque vim vitalem umbris per aliquod tempus conciliandam. Ducta vero haec omnia de imagine ſ. εἰδώλῳ ex Homeri Odyſſea.

v. 16—18. Mythica accedit exornatio vulgaris ſententiae:

Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum!

tiae: quae vita perfuncta est, quae semel loca infera intravit. De Mercurio ψυχοπομπῷ v. ad I. 10. 18. — *quam virga* caet. quam Mercurius semel ad inferos deduxit. — *horrida*, proprie ipse Mercurius est horridus, severus, qui exorari nequit, propter fatum horridum, immutabile: tum ipsa virga, quae umbras, reverti conantes, vi repellit. — *compulerit*, perduxerit, sed illud aptius gregi; ut συνάγειν Graecorum. v. Villoiſ. ad Long. I. init. Supra I. 10. 28. *virgaque levem coërces aurea turbam*.. — *gregi* ad gregem umbrarum, ad reliquas umbras. Eadem forma Virgil. Ecl. II. 30. *gregem viridi compellere hibisco*. — *nigro*, perpetuo rerum inferarum epitheto. Caeterum eandem Mercurii imaginem umbrarum quasi gregem deducentis habes in Lucian. Catapl. §. 3. p. 623. πλησίον αὐτὸς οὗτος, (Mercurius) ὡς ὁρᾷς, πολλούς τινας ἡμῖν ἄγων· μᾶλλον δὲ, ὥσπερ τι. αἰπόλιον, ἀθρόους αὐτοὺς τῇ ῥάβδῳ σοβῶν. — 17. *non lenis recludere*, docte ac graece pro, immitior, quam ut recludat *precibus* (in tertio casu) *fata*, qui precibus exorari nequit, ut recludat fata. Exemplum eius rei praebet Lucian. l. l. §. 4. Alias haec severitas tribuitur Diis inferis, ad declarandam fatorum necessitatem et immutabilitatem. v. II. 14. 6. Recludere fata dicunt esse pro, resolvere, rescindere fatorum ordinem; at, qua ratione sic dici possit, non expediunt. Scilicet ex antiqua opinione loca infera munita atque clausa finguntur porta ferrea inde ab Homer. Il. Θ. 15. qua declaratur, reditum inde ad superos non dari. Iam qui vitae suae portionem fato sibi datam, τὸ πεπρωμένον, emensus est, is fato functus Orcum petere dicitur; cui eidem si exinde reditus ad supera loca patet, ut denuo vitam degat, recte huic fata recludi dici possunt, et hactenus *recludere fata* interpretari licet rescindere, adiecta tamen vitae redintegratae notione. Ad sensum Propert. IV. 11. 2. *Panditur ad nullas ianua nigra preces.*

v. 19. 20. *Durum* utique hoc, quod lamentis tuis fata flectere nequeas; igitur patienter te ferre decet, quod mutare nequeas: κούφως φέρειν δεῖ τὰς παρεστώσας τύχας, ut incertus apud Stob. in Grot. Exc. p. 945. Generali hoc inclusit sententiae, sollenni poetarum more. *Levius fit*, minuitur, elevatur; nam

Durum! Sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

nam adversis ac tristibus animus degravatur, laetis contra effertur. — *patientia*, patienter ferendo, quod *nefas est*, per fata non licet *corrigere*, ex animi nostri sententia mutare. *Corrigere* ut Terent. Adelph. 4. 7. 23. *Ita vita est hominum, quasi ludas tesseris; si id, quod maxime opus est iactu, non cadit: illud, quod forte cecidit, id arte ut corrigas.*

CAR-

CARMEN XXV.

ARGVMENTVM.

Insultat Horatius hoc carmine Lydiae, eique obrepentem senectutem, formaeque adeo, qua plurimos olim amatores allexisset, iacturam obiicit. Quod cum per se satis amarum est, tum exacerbavit illud poeta, hunc ipsum contemtum, quo nunc inter iuvenes laboret, in commodis numerando, quae ei praeter opinionem obtigerint. Etenim, quum ei antea propter amatorum ad domum eius concursantium strepitum nox insomnis traducenda fuisset, placidissima nunc eam frui posse quiete ait, neque vi ad domum effringendam parata neque querula amantium voce interrupta. Solebant nimirum iuvenes noctu ad puellarum aedes excubare (θυραυλεῖν, v. doctam Ruhnk. notam ad Tim. p. 145.) de duritie puellae queri, querelis convicia admiscere, vi denique (v. ad III. 26. 7.) aditum sibi facere. — Tum, non amplius dissimulata indignatione, quam et mutatus orationis habitus (inde a v. 9.) manifestat, stricto quasi gladio eam insectatur, ac iure a iuvenibus eam contemni pronuntiat, in quos olim dura ac superba fuisset, arrogantiamque istorum vicissim, anum factam, experturam, ubi libidinis aestu domo sua, ad quam nemo accedet amplius, protrusa angiportus pervagari cogatur. Compar. III. 15. et IV. 13.

AD

A D L Y D I A M.

Parcius iunctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris iuvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt: amatque
Ianua limen,

Quae

v. 1 *sqq.* Raro iam accidit, ut iuvenes noctu ante aedes tuas tumultuentur, tibique molestiam creent. Salse admodum, pro vulgari, iuvenes iam te negligere incipiunt, raro iam noctu ante aedes tuas versantur, atque intromitti cupiunt, pulchritudinis tuae, qua olim incendebantur, flore annis marcescente. *Parcius*, rarius *quatiunt*, impetunt *ictibus*, pulsant fenestras. Potest et esse: parce, leviter admodum, *φειδομένῃ χειρί*, refrigerato quippe desiderio, pulsant *fenestras*, valvas fenestrarum. Nam fenestrae simpliciter apud Romanos usque ad Neronis aetatem erant aperturae, parietibus insertae, per quas dies intrabat. Muniri eae solebant valvis ligneis maxime reticulatis; quibus invicem iunctis, et ipsa fenestra iuncta e poetica loquendi ratione dici potest. Sic *ripae fluvii iunguntur*, ponte facto. Liv. XXI. 45. *Danubius gelu concretus ripas iungit* Plin. Paneg. XII. Flor. IV. 12. 18. *saltu iungere fossas* Stat. Achill. II. 423. — *protervi* hoc ipso, quod, exclusi a te insolentius se gerunt, foribus tuis insultant. Hoc enim magis appositum videtur, quam ut sit, cupidi tui, amorem tuum expetentes, etsi hac notione alias occurrit. Ad sensum Ovid. A. A. III. 69. *Tempus erit, quo tu, quae nunc excludis amantem, frigida deserta nocte iacebis anus; nec tua nocturnis frangetur iunua rixis, sparsa nec invenies limina mane rosa.* Claudian. in Eutrop. I. 92. de Laide anu: *cum serta refutat canities, iam turba procax, noctisque recedit ambitus, et raro pulsatur ianua tactu.* adde Propert. I. 16. 5. Caeterum hac sententiae de amatorum infrequentia elocutione arrogantiam simul ac fastum Lydiae tangit, quo olim amatores excluserat. — 3. Continuat irrisionem poeta: secure nunc somno indulgere potes, nullis amantium querelis ac clamoribus turbato. Propert. II. 15. 5. ad Cynthiam rus profectam: *Nulla neque ante tuas orietur*

rixa

Quae prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus et minus iam:
Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis!

Invi-

rixa fenestras, nec tibi clamatae somnus amarus erit. — *Amat ianua limen*, aegre se a limine avelli patitur, h. perpetuo iuncta est limini, a limine non recedit, propter amatorum infrequentiam. Elegans hic usus *τοῦ amare*, quem parum intellexerunt non nulli viri docti. Sic in Callim. ep. XL. *τὴν τὰ μίτρην, ἣ μαστοὺς ἐφίλησε, quae amabat*, h. *constringebat, arcte adstricta erat mammis*, pessime quidam *ἐφύλασσε* legendum proposuerunt, obnitente iam Toup. Cur. poster. ad Theocr. p. 41. Ita quoque in Stat. Silv. II. 3. 55. *obliquo pendula trunco incubat, atque umbris sinuatur amantibus undas* admodum turbarunt Intpp. Gevartio *serutatur*, Heinsio *rimatur*, Marklando denique *tutatur* pro *sinuatur* reponentibus. Sed salva res est, et locus sic expediendus: sinuatur umbris arbor, ramis super aquam demissis, qui adeo *amant*, prope contingunt undas; hinc sequitur, *sperat et amplexus*; et paullo ante v. 45. *tu saltem declinis ama*, h. uti ipse poeta explicative subiicit, *preme frondibus undam*, quod est ex imit. Virg. Aen. V. 163. *Litus ama*, h. *lege littoris oram* (Id. Ge. II. 44.) *et laevas stringat sine palmula cautes.* Idem Stat. Theb. IX. 114. *motusque per omnes corpus* Tydei *amat*, h. *corpus servans, circumque supraque vertitur*, ut ipse ait. Sic *focos amare* Virg. Ge. III. 134. *latebram amare* Rutil. Itin. I. 522. ubi v. Wernsd. Neque absimile, quod in Theognideis (Gnom. Br. 341.) legitur, *ἄ δειλὴ Πενίη — τί δὴ δή μ' οὐκ ἐθέλοντα φιλεῖς*; *quid invito mihi adhaeres?* Non igitur subtilius aut affectatius, neque concice poetam haec elocutum cum quibusdam opinari licet. — 5. quae olim *multum facilis* (ita iunge) admodum facilem se praebebat in *movendis*, versandis *cardinibus*, quae assiduo usu mobiles habebat cardines, quae adeo frequentes olim amatores admittebat. Forte tamen ornatius est, si haec a puella ad ianuam traducta cogites; nam illa proprie est facilis, quae commodam se praebet amatoribus, quae iis facile sui copiam facit: tum ipsa ianua, quae facilem accedentibus aditum praebet. Sic apud Iuven. Sat. IV. 65. rhombum portentosae magnitudinis

Invicem moechos anus arrogantes
Flebis in ſolo levis angiportu:
Thracio

dinis adferenti *facili patuerunt cardine valvae* imperatoris. Contra *difficilem forem* dixit Ovid. Am. I. 6. 2. ob ianitorem difficilem. — 6 — 8. Placet ſibi poeta in cumulandis, quae eiusdem fere ſunt ſententiae, imaginibus, quo acrius Lydiae animum pungat. Vulgare, rarius iam iuvenes cantilenam ante aedes tuas inſtituunt, qua pervicaciam tuam expugnent, vide quam egregie animaverit. Forte vis aliqua ſubeſt *τῷ audis*, non admodum gravaris, non amplius vacivas aures praebere oportet cantilenis iuvenum, querula voce admitti cupientium. Pro hoc exquiſite eiusmodi cantilenae particula adponitur; in qua ad pervicacem Lydiae animum omnia praeclare attemperata. *Me tuo*, qui te perdite atque efflictim amem, qui totum me tibi addixerim, *pereunte noctes*, multo fortius, quam, excubante per noctem, pernoctantem ante fores tuas; iniungit enim notionem frigoris, imbrium, quae ei Lydiae cauſa perferenda ſunt. Quo et ſpectat epith. *longas*, quae amatori, morae impatienti, longiores videntur. Epp. I. 1. 20. *ut nox longa, quibus mentitur amica diesque longior.* cf. Prop. I. 12. 13. Aſclepiadeum carmen (c. XXIII. in Anal. Br. T. I. p. 215.) *νὺξ μακρὴ καὶ χεῖμα, μέσην δ' ἐπὶ Πλειάδα δύνει, κἀγὼ πάρ προθύροις νείσσομαι ὑόμενος, τρωθεὶς τῆς δολίης Ἑλένης πόθῳ*, laudarunt iam alii; adde eiusd. c. XXVI. et Noſtri III. 10. 3. Propert. I. 16. 23. *Me mediae noctes, nec ſidera prona iacentem, frigidaque Eoo me dolet aura gelu.* Caeterum ſuavitas toti picturae accedit e diverſis amatorum moribus: his blanda voce, precibus, ſuſpiriis: illis contra vi aditum ſibi parantibus.

v. 9 *ſq.* Nexus: Quum iam nunc, forma tua aliquantum imminuta, amatoribus deſtituaris, facili coniectura aſſequi licet, fore, ut aliquando, anus facta, ab iisdem prorſus negligaris, nemo te expetat; ut Catull. VIII. 14. *At tu dolebis, cum rogaberis nulla, ſcelesta, nocte.* Quanto acerbius pro hoc, cum exprobratione libidinis eius: Tu viciſſim, ubi nemo amplius reperietur, qui ad te recipi velit, discurrens per angiportus viliſſimi ſcorti inſtar ultro, libidine incenſa, amplexus iuvenum aucupaberis, eorumque arrogantiam ac faſtidium experieris. Propert. III. 23. 35. *Excluſa inque vicem faſtus patiere ſuperbos, et quae feciſti, factu quereris anus,* quotum contende Aſclepiadae c. XVIII. (Anal.

Thracio bacchante magis ſub inter-
lunia vento

Cum

(Anal. Bt. I. 214.) νύξ, σὲ γὰρ, οὐκ ἄλλην μαρτύρομαι, οἷά με ὑβρίζει Πυθιὰς — ταῦτα πυθοῦσα σοὶ μέμψαιτ' ἐπ' ἐμοῖς στάσα ποτε προθύροις. *Invicem*, viciſſim, ut Propert. l. l. — *flebis*, dolebis, eo acrius te punget, quo vehementior libidinis tuae aeſtus eſt; pro ſimplici, experieris (v. ad I. 5. 6.) *moechos arrogantes*, moechorum arrogantiam, te vel *moechi ſemitarii* (ut Catull. XXXVII. 16. vocat) h. abiectiſſimi faſtidient. Nam hos intelligendos eſſe vel inde patet, quod Lydiam ſemitas et angiportus pervagaturam poeta inducit. *Moechi* ſimpliciter ſunt amatores, turpiori ſenſu, ut ſaepe apud Catullum. Sic *adulter* I. 36. 19. — *anus*, γεγηραυνία, anus facta. — 10. *levis*, mutato animo, quae, cum olim arroganter ac ſuperbe amatores tractaſſet, ſe nunc facillimam iisdem praebet; poteſt etiam eſſe, abiecta, vilis, nullo loco habita, quod viliſſimis hominibus ſui copiam facere cogeretur, ſecutuleia. Ita etiam volebat Burm. ad Prop. I. 4. 9. Forte tamen magis adpoſitum videtur, ſi *levis* ſimpliciter accipias, mobilis, vaga, errans per angiportum. Nam hoc ipſo iam inmit proiectum eius pudorem, atque contemtum, quum in angiportis non niſi viliſſima proſtarent ſoorta. Catull. LVIII. 4. *Nunc in quadriviis et angiportis glubit magnanimos Remi nepotes.* cf. Lucian. T. I. p. 60. ed. Reiz. — *in ſolo*, minus frequentato, vel potius, ipſa ſola, deſerta ab amatoribus. Petron. c. LXXXI. *Iacent nunc amatores obligati noctibus totis, et derident ſolitudinem meam.*

v. 11 — 15. Libidine exſtimulata, incenſa, ubi libido te invadet. Vide, quanta doctrina, quanto ornatu, quanta denique acrimonia vulgare hoc poeta elocutus ſit! Ordo verborum videtur: *quum tibi amor et libido circa iecur ſaeviet magis quam Thracius ventus, qui ſub interlunia baechatur.* v. Obſſ. — *Thracius ventus*, Boreas; nam Thracia ventorum domicilium Graecis habita. Hinc ἄνεμος Θρῄκιος Apollon. Rh. I. 820. Θρῃκίαις πνοαὶ Aeſchyl. Agam. 663. *animae Thraciae* Noſter IV. 12. 2. *Threicius aquilo* V. 13. 3. *Thraces equi* Val. Fl. I. 614. cf. Spanh. ad Callim. H. in Dian. 114. — *bacchante ſub interlunia*, qualis bacchari ſolet, qui impetuoſiſſimus eſt interlunii tempore. *Boreas bacchatus ab Arcto* Ovid. Triſt. I. 12. 29. *bacchatum imbrem* ſimiliter dixit Valer. Flacc. VI. 634. *bacchatum tremorem* Claudian. in

Cum tibi flagrans amor, et libido,
Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet

Eutrop. II. 27. *insanientem Bosporum* Noster III. 4. 30. Sollennius est *furere* de vehementiore ventorum flatu. — *Interlunium* est, ubi luna vetus non amplius conspicitur, neque dum nova apparet. Quos *interluniorum dies tempestatibus plenos et navigantibus quam maxime metuendos, non solum peritiae ratio, sed etiam vulgi usus intelligit*, iuxta Veget. IV. 40. Macedonii ep. V. 5. (Anal. Br. III. 112.) τὸ δ' αὐξοσέληνον ἰκεῖνο ἐξέλιπεν συνόδου μήποτε γιγνομένης. eum h. l. contulit Schneider Peric. crit. p. 31. Caeterum quam apte Lydiae ἐρωμανίη cum Borea comparetur, mox ad v. 15. declarabitur. — 13. *flagrans amor*, amoris flamma, aestus, turpiori sensu. — *libido, quae matres equorum*, equas, nobiliori enuntiatione, *furiare*, in furorem coniicere *solet*, docte pro, qualis equarum est, vehementissima. Alias est γραῦς καπρῶσα, veluti Aristoph. Plut. 1025. Expressit autem poeta Gr. ἱππομανεῖν. Theocr. II. 49. Καὶ κῶλοι μαίνονται ἀν' ἄρεα καὶ θοαὶ ἵπποι, ubi v. Intpp. et Heyn. ad Virg. Ge. III. 280. *In furias agitantur equae* Ovid. A. A. II. 487. cf. Burm. ad Anthol. Lat. I. 540. — *Libido saevit circa iecur*, in praecordiis, pro vulgari, animus libidine irritatus est, aestuat, furit. Animus enim quocunque modo graviter affectus moveri, turbari, κλονεῖσθαι, et sim. dicitur. Hinc *tumultus mentis* II. 16. 9. πόθῳ πυμαίνεσθαι, ut in fr. Pind. apud Athen. XIII. p. 601. *fluctibus* amoris *iactari* Catull. LXIV. 97. cf. Tibull. I. 5. 3. Recte adeo poeta insanos libidinis motus cum Boreae furore comparat; eademque ratione cum dilectu adhibuit v. *saeviet*, quod utrique, et vento et animo commoto convenit. Petron. c. XVII. *dolor saevit in praecordiis*. Eadem comparatio in Senecae Med. 579. *Nulla vis flammae, tumidique venti tanta, — quanta, cum coniux — ardet et odit*. Maxime huc spectat fragm. Ibyci apud Athen. XIII. p. 601. ἐμοὶ δ' ἔρως οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥραν τε ὑπὸ στέρνοις φλέγων θρηϊκίοις Βορέας αἴσσων καρὰ Κύπριδος ἀζαλέαις μανίαις ἐρεμνὸς ἐθάμβησε. — *Iecur* libidinis sedem habitum fuisse, v. ad I. 13. 4. Dicitur illud *vulnerari*, libidine incensum. Anacreon de Amore III. 28. τανύει δὲ καὶ μὲ τύπτει μέσον ἧπαρ. Theocr. XI. 16. ἔρχων ὑποκάρδιον ἕλκος Κύπριδος ἐκ μεγάλας τὸ οἱ ἧπατι πᾶξε βέλεμνον. Id. XIII. 71. χαλεπὸς γὰρ ἔσω θεὸς ἧπαρ ἄμυσσεν. Iam ut Lydiam, tanquam libidinosissimam mulierem referret,

iecur

Saeviet circa iecur ulcerosum;
Non sine questu,
Laeta

iecur eius vulneribus plane oppletum, h. *ulcerosum* dixit. Nihil amplius. Nam *ulcus*, ut ὑποχάρδιον ἕλκος in Theocr. l. l. simpliciter de vulnere usurpatur; atque sic adhibuit *ulcerare* Epp. I. 18. 72. nulla neque foedi adspectus, neque tetri odoris ratione habita. Si quid omnino Horatius voluerit, putem eum Lydiae inveteratam, ne cum senectute quidem extinctam libidinem, cuius adeo vulnera nunquam coierint, declarare h. v. voluisse.

v. 16 *sqq.* *Non sine questu*, acriter conquesta, pro vulgari, ubi videris, animadvertes, (ut I. 2. 6.) tibi vetulae puellas teneras praeferri, te anum contemni. Docta hoc allegoria poeta persecutus est: iuvenes nimirum frondibus recentibus, florentibus magis delectari, quam aridis, illas in deliciis habere, has abiicere. Scilicet aetas iuvenilis, quae *membris viget praeviridantibus*, ut Laberius ait, comparatur arboribus, succi plenis, frondentibus, adspectu laetis; hinc θάλλειν, κομᾶν, (ut Anacr. LXII. 11. ἴδε τὴν φίλην γυναῖκα, κομάει, τέθηλε, λάμπει) et Latinis *virere* (ut I. 9. 17. IV. 13. 6. V. 13. 4.) et aliae loquendi formae ductae: senilis contra aridis, quas *vetustas amplexu annorum enecat*, ut idem Laber. ait, maxime quercubus; v. ad IV. 13. 10. Iam pro fronde viridi in genere cum dilectu poeta posuit hederam et myrtum, tum quod istae Romanis in deliciis esset, maxime in compotationibus, tum quod sollenne esset, puellas iis, maxime myrto, comparare. Catull. LXIV. 89. de Ariadne in sinu matris adolescente, *quales Eurotae progignunt flumina myrtus*. Idem LXI. 21. *floridis velut enitens Myrtus Asia ramulis*. Cypresso Helenam assimilat Theocr. XVIII. 30. Verba vulgari modo sic procedere debebant: quod pubes hedera atque myrto magis gaudeat quam aridis frondibus. Sed docte alterum membrum nova sententia instruxit poeta. Quod fraudi fuit Intpp. ut in concilianda oratione sensuque constituendo admodum turbarent; Baxtero, *gaudeat virenti ed. atque myrto magis* quam *pulla edera atque myrto*; aliis *edera virenti gaudeat magis, atque* (quam) *pulla myrto*, iungentibus. Iam de verbis videamus. *Pubes laeta* adspectu, vegetae aetatis, φαιδρά, (Mnasalc. XVII. 1. Anal. Br. I. 193.) *laeta ora iuventae* Valer. Fl. VII. 512. *laeta iuventas* Virg. Ge. III. 63. *membrorum laetitia* Stat. Theb. VI. 571. 72. Possit et *laeta*

Laeta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis atque myrto:
Aridas frondes Hiemis sodali
Dedicet Euro.

gaudeat copia poetica dictum videri, pro laetetur, vel gaudeat. Sed prior ratio magis apposita videtur. — *hedera virens*, *κισσὸς ζῶν* Theocr. XXVI. 4. h. *ἀείφυλλος*. — *myrtus* et ipsa *ἀειθαλής· pulla*, s. pulli coloris dicitur, vel omnino ad nigrae myrti genus declarandum, v. Plin. XV. 37. vel, quod *ποιητικώτερον* videtur, ad frondes et folia recens exclusa referendum, quae fusci sunt coloris, ut adeo frondem myrti tenerrimam, *ἁπαλοὺς μύρτους*, (Meleag. CV. 1. in Anal. Br. I. 30. adde Anacr. IV. 1.) declaraverit. — 19. 20. aridas contra frondes abiiciat, h. vetulas spernat. Generaliter poeta extulit, quod h. l. ad Lydiam solam referri debet, *te* contemnat iuventus. Per *aridas frondes* senectutem declarari, paulo ante monui. Apponam nunc Aeschyl. Agam. 79. eiusdem plane coloris: *τὸ δ' ὑπεργήρων, φυλλάδος ἤδη καταξαρφομένης, τρίποδας μὲν ὁδοὺς στείχει, Senectus decrepita, foliis iam exarescentibus, tripes fere inambulat*, uti optime Schütz. adde Macedonii (Anal. Br. III. p. 115.) c. XVI. 7. 8. *ὡς δὲ ῥόδον θαλέθετκες ἐν εἴαρι· νῦν δ' ἐμαράνθης, γήραος αὐχμηρῷ καρφομένη θέρει.* quod est ex imitatione Archilochi XXVII. (Anal. Br. I. 45.). *οὐκ ἔτ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα, καρφεται γὰρ ἤδη.* cf. Plaut. Aul. II. 4. 18. — *dedicet Euro*, ventos eas diripere sinat, eas non curet, abiiciat. Nam, quae abiiciuntur, ventis ea dari, permitti dicuntur. Eurip. Bacch. 350. de corona deripienda: *καὶ στέμματ' ἀνέμοις καὶ θυέλλαισι μέθες.* Traductum inde ad res odiosas, tristes, quarum memoriam ex animo eiicimus: de quo mox ad XXVI. 2. Pro dare, exquisitius est *dedicare*, arbitrio alicuius, h. l. venti ludibrio permittere; (Virg. *donare*, Aen. IX. 13. *et nubibus irrita* (mandata) *donant*;) et pro ventis universis est *Eurus* (v. Obss.) ut rapidior; qui *Hiemis sodalis* audit, quod flatus eius hieme est vehementior, acrior. *Hibernos Euri flatus* dixit Virg. Ge. II. 339. Omnino *sodalitium* (fere ut *sororium* vinculum. v. ad I. 24. 9.) iis rebus adsignant poetae, quae mutuo quodam nexu invicem iuncta sunt, quae moribus, aetate, loco, ac tempore inter se conveniunt. Sic *Zephyri veris comites* dicuntur IV. 12. 2. *φόρμιγξ δαιτὸς ἑταίρη* Homer. H. Merc. 31. *δίσκος νεότητος ἑταῖρος* Iulian. c. IV. (Anal. Br. II. 494.) *crater*, *Veneris sodalis* III. 18. 6. ubi plura vide.

CARMEN XXVI.

ARGVMENTVM.

Venustissimum hoc carmen in Aelii Lamiae, nobilissima et antiquissima gente orti (III. 17. 1.) rebusque Cantabrico bello gestis clarissimi versatur laudibus. Tractatio huius argumenti uti simplicissima, ita est et exquisitissima. Poeta nimirum in Musarum consortio caeterarum rerum, quae animum adfligant ac perturbent, curam a se alienam putare, seque, studiis poeticis vacantem nihil nunc antiquius habere profitetur, quam Lamiae laudes celebrare. Quas quidem dum ipse non exsequitur, sed Musis canendas delegat, splendidissimo Lamiam condecorat elogio, dignum, quem ipsae Musae extollant, iudicando. Ac in hac facillima argumenti descriptione interpretes tantum pulveris in summa carminis constituenda commovisse, tantasque argutias, dum reconditiora quaererent, ipsi carmini intulisse, est utique, quod mireris. Sunt, qui poetam urbanissima conversione hortari atque compellere voluisse Lamiam, ut curas, quibus super Teridatis, regnique Parthici fortuna mire cruciaretur, abiiceret, atque in Musarum consuetudine solatium quaereret: quae Cruquii a Iani maxime exornata est sententia: sunt vero etiam, qui carmini ampliori, quod temporis iniuria interciderit, hocce tanquam prooemio praelusum post Sanadonum existiment. Ac istis quidem fraudem fecisse videntur vv. 4—6. qui unice ad animum in aliorum

timore ac metu ſecurum ulterius declarandum a poeta adiecti ſunt. (Similem exornationem ab Intpp. minus recte expoſitam habes I. 19. 10.) Atque hunc, quo alii anguntur, metum docte poeta illuſtri aetatis ſuae Teridatis deſignat exemplo. Qui, cum regnum, expulſo a populo ſuo Phraate, recepiſſet, mox nuntio de Phraate cum maximis Scytharum copiis reditum parante, accepto, non potuit, quin maximum haec res ei terrorem iniiceret. Incidit vero in a. V. DCCXXX. ad quem omnino hoc carmen referendum videtur; etſi plerique poſt Maſſon, a. V. DCCXXXI. h. c. natalem ſtatuant, prava, ut mihi quidem videtur, interpretatione vv. 4. 5. quos de Romanis accipiunt, inducti: quippe regem Scytharum metuentibus, h. ne, ſi Teridatem in regnum reſtituere conarentur, ſibimet ipſis a Scytharum rege, cum Phraate faciente, periculum arceſſerent. v. Not. Ii vero, qui alterius carminis, quo latius Lamiae laudes perſecutus ſit Horatius, hoc prooemium faciunt, quantum in eiusmodi argumento lyrica ratio a pedeſtri differat, plane ſe neſcire fatentur.

DE

DE AELIO LAMIA.

Musis amicus, tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare

v. 1. 2. *Musis amicus*, φίλος Μούσαις, ut Theocr. ζ. 95. Id. ια. 6. Niciam ἐννέα Μούσαις ἔξοχα περφιλαμένον appellat: et Epigr. 19. 4. ἦ ῥά μιν αἱ Μοῦσαι καὶ ὁ Δάλιος ἠγάπεσν Ἀπόλλων, adiecta ratione, ὡς ἐμμελής τ' ἔγεντο καὶ πιδέξιος ἔπεά τε ποιεῖν πρὸς λύραν τ' ἀείδειν, uti fere Virg. Aen. IX. 774. *amicum Crethea Musis, Crethea Musarum comitem cui carmina semper et citharae cordi, numerosque intendere nervis.* Scilicet amari dicuntur a Diis, qui vel corporis dotibus, tanquam formae pulchritudine (v. Heynii Antiqu. Auff. T. I. p. 35. et ad Apollod. I. 7. 5.) virium robore, caet. vel animi dotibus, vel alia quacunque re, cui felicitatis notio vulgo subiecta est, potentia puta, atque divitiis (v. ad I. 31. 13.) caeteris hominibus praestant. H. l. Horatius non in genere se Musarum amicum, h. studiis poeticis deditum profitetur, sed est potius strictiori sensu: ego carmini in Lamiam pangendo intentus, vacaturus; nihil amplius. Hoc enim volunt seqq. Caeterum Orrerius in Epp. ad filium ep. XXIII. in Virg. l. l. sub Cretheo, Musis amico, Horatium intelligi volebat, hoc ipso forte loco inductus. — *tristitiam . . . ventis*, huic uni rei intentus, caeterarum rerum curam a me alienam puto; nam *vatem egregium anxietate carens animus facit*, (Iuven. VII. 57.) eiusque *carmina laetum sunt opus et pacem mentis habere volunt*, Ovid. Trist. V. 12. Sic *curis expeditis Lalagen cantat* I. 22. 11. Pro curis omnino est *tristitia, et metus*, sollicitudo futuri, malorum impendentium. — 2. *Ventis* e poetica ratione *tradi* dicuntur, quorum memoriam abolitam curpimus (*mandemusne Noti flabris, quoscunque timores pertulimus?* Claudian. de B. Get. 205. ἀλλ' ἀνέμοισι δώομεν ἀμπλακίην Apollon. Rh. I. 1335. adde Theocr. κβ. 167. Catull. LXIV. 59. et XXX. 10.) quae negliguntur, et quidem in mandatis aut precibus, Homer. Od. ϑ. 409. Virg. Aen. IX. 313. Tibull. I. 5. 35. Catull. LXIV. 142. denique, quae aut nihili pendimus (tanquam *aridas frondes* I. 25. extr. Eurip. Troad. 419. καὶ σοὶ ὀνεί-

Portare ventis: quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,

Quid

δη — ἀνέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι, h. μηδενὸς ἡγοῦμαι) aut omnino tanquam molesta atque iniucunda a nobis abesse volumus, ut h. l. curas. Anacr. Fr. 2. 9. ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις φέρειν ἔδωκα λύπας. Quae eadem haud absimili ratione in mare abiici dicuntur poetis. Eurip. Herc. Fur. 651. γῆρας μισῶ· κατὰ κυμάτων δ' ἔρροι. Vtramque formam coniunxit h. l. poeta, plane ut Theocr. l. l. τὰ δ' εἰς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα πνοιὴ ἔχοισ' ἀνέμοιο. — *protervis*, lasciviientibus, *petulantibus* (Lucret. VI. 110.) adeoque rapidis, vehementibus. Sic *Aquilo impotens* III, 30. 3. *protervus Africus* V. 16. 22. *venti iniuriosi* V. 17, 33. — *tradam portare*, noto graecismo, pro, trado portandos, φέρειν δώσω. — *mare Creticum* pro quovis.

v. 3 — 6. *Vnice*, maxime *securus*, nihil prorsus ad me pertinere existimans de quo alii solliciti sint. Pro hoc insigne aetatis suae exemplum affert. — *quis*, graece, a quibus *rex gelidae orae sub Arcto* iacentis, orae, plagae Arctoae s. borealis, rex Scytharum *metuatur*, nempe a Teridate, timente, ne is Phraatem in regnum reduceret. Iam ne incertum relinqueretur, quis ille rex Arctoae regionis sit, et a quo maxime metueretur, per epexegesin ab Horatio adiectum puta, *quid Teridatem terreat*: pervulgatissima poetarum ratione. Sic statim in Virg. Aen. init. *quo numine laeso, quidve dolens regina deum* caet. (quanquam et ibi ante Heyn. mire turbatum fuit ab Intpp.) et centies alibi. Erat adeo rex Scytharum, qui maximo auxilio (Iustin. XLII. 5.) Phraatem, expulso Teridate in Parthorum regnum restituturus erat. Videtur adeo hoc carmen tum a poeta scriptum, quum fama percrebresceret, Phraatem a Scythis adiutum iri: non vero post Teridatis demum fugam. v. Argum. Mire vero in expediendo h. l. se torserunt Intpp. aliis iungentibus: quis rex metuatur sub Arcto, h. quis potentissimus nunc sit in terris borealibus: quod a consilio poetae quam maxime alienum videtur; item: quis rex sub Arcto metuatur gelidae orae, h. a gelida ora, ut ad bella gentium borealium aut inter se aut cum finitimis gesta referatur: quo fere inclinat Masson p. 274. parum concinna oratione (*rex sub Arcto* h. Arctoae orae *metuitur gelidae* s. Arctoae *orae*) et obscura sententia: tum molestum est, diver-

Quid Teridaten terreat, unice
Securus; O, quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,
Pimpleï

diversos hic metus a poeta expositos statuere. Ad sententiam faciunt Theognidea 741. πίνωμεν, χαρίεντα μετ' ἀλλήλοισι λέγοντες, μηδὲν τῶν Μούσων δειδιότες πόλεμον.

v. 6 sqq. Nexus: Musis amicus Lamiam mihi canendum sumam. Sed angustiori specie ipsam Musam invocat, quae eum canat: quo simul continetur splendidissimum elogium, Lamiam dignum declarando, quem Musae posteritati tradant. *Pimpleï*, Πιμπληΐ, Musa, a Pimpla, vel Pimplea fonte Thraciae, Musis sacro: cum dilectu forte propter fontes sacros, quibus gaudet, — *dulcis* ad cantum refer, ἡδυεπὴς (Hom. H. in Lunam 2.) μελίφθογγος (Pind. Ol. 6. 36. et al.) ἀοιδαὶ μελίκομποι Pind. Isthm. 2. 46. μελίγδουποι Id. Nem. 11. 23. — *quae gaudes*, amas *fontes integros*, intactos, puros. Poetae nimirum, qui omnino, opus aliquod aggressi, Musarum se fonte proluisse (Pers. Prol. 1.) dicunt, ubi novum argumentum versibus explicant, vel novum poeseos genus a nemine hactenus occupatum tentant, *fontes recludere* (Virg. Gc. II. 175.) *integros fontes accedere* (Lucret. I. 925.) *puro de fonte bibere*; (Propert. III. 1. 4.) uti contra ii, qui post alios idem argumentum tractant, ex eodem se fonte haurire dicunt. Propert. III. 2. 5. *admoram fontibus ora, unde pater sitiens Ennius ante bibit.* Horatius igitur, qui *princeps Aeolium carmen ad Italos modos deduxisset*, (III. 30. 13.) lyricam adeo Graecorum poesin Romanis numeris primum a se redditam apte per Musam integris fontibus gaudentem declarat, imitatus Lucret. I. 925. *iuvat integros accedere fontes, atque haurire, iuvatque novos decerpere flores.* Eandem sententiam mox clarius exponit per *fides novas*, et *plectrum Lesbium.* Conferant insuper amoenioris indolis iuvenes Propertii de suis ad Graeca exempla formatis elegis (III. 1. 3 sqq.) et Manilii de Astronomicorum argumento, a se primum inter Romanos exposito, simillimi coloris locutiones. — 7. Celebra Lamiam meum. Sollennis est haec poetarum inprimis Graecis frequentata imago, qua eum sibi poetae carmini intenti

Pimpleï dulcis: nil ſine te mei
Poſſunt honores: hunc fidibus novis,
Hunc Leſbio ſacrare plectro,
Teque tuasque decet ſorores.

intenti (I. 7. 7. Epp. II. 2. 96.) tum aliis, quos carmine extollunt, ſerta innectere dicuntur. Sic ἄνθεα ὕμνων Pind. Ol. ϑ. 74. στεφάνωμα Id. Pyth. ιβ. 9. εἴρειν στεφάνους Nem. ζ. 113. ubi ſimiliter Muſae hoc officium iniunctum videas, et Ol. ϛ. 147. ἀνδράσιν αἰχμητοῖσι πλέκειν ποικίλον ὕμνον, quem locum noſtro admovit Valken. ad Hippol. Eurip. v. 73. Sappho c. XI. (Anal. Br. I. 57.) οὐ γὰρ πεδέχεις ῥόδων τῶν ἐκ Πιερίας, et inde Antipat. Sid. c. LXX. (Anal. Br. II. 25.) de Sappho: ἅς μετα Πειθὼ ἔπλεκ' ἀείζωον Πιερίδων στέφανον. Claudian. in Seren. 2. *Pierio meritam ſerto redimire coronam.* Caeterum Dacer. et Sanad. vel ſolo Lucretii loco abſterreri debebant, quo minus Horatio vitio verterent, quod fontibus flores ſubiecerit: ut taceam, conſtanter fere florum abundantiam ad fontes a poetis poni ſolere. Claudianus certe hunc locum dignum habuit, quem, iisdem coloribus ſervatis, totum adumbraret, Laudes Seren. 3 ſqq. *Vile putas domum, — ſi floribus* (carmine) *ornes reginae regina* (Calliope) *comam? — aeterno quos veris honore rubentes fons Aganippea Permeſſius educat unda.*

v. 9 — 12. *ſine te* v. I. 1. 32 ſqq. — 10. *Honores*, carmina, encomia, exquiſito vocabuli uſu. Sic τιμαὶ κλυταὶ Pind. Nem. ϑ. 24. et ζ. 46. κόσμος ἀδυμελὴς Ol. ιά. 13. et γεράρω Iſthm. η. 136. κοσμεῖν τινὰ Ion in Omphale, apud Athen. XIV. p. 634. Sic Noſter A. P. 120. *Achillem honoratum* (non *Homeretum* e Bentl. coni.) dixit, ὃν Ὅμηρος τετίμακε — αὐτοῦ πᾶσαν ὀρθώσας ἀρετάν, ut Pindar. Iſthm. δ. 63. de Aiace. — *nihil poſſunt*, nullam vim habent ad celebritatem cuipiam conciliandam, ut aliquis inclareſcat. cf. Virg. Aen. IX. 446. — *fides novae*, de novo carminis genere, a Graecis ad Romanos a ſe primum traducto. Hinc et *plectrum Leſbium* vocat, quo Alcaeus olim lyram percuſſiſſet, *Leſbouin barbiton* I. 1. 34. cf. I. 32. 5. — *ſacrare*, memoriae hominum conſecrare, tradere, ὕμνοις Δεᾶν (Muſarum) διδόναι, (Pind. Ihm. η. 132.) h. canere. Stat. Silv. IV. 7. 7. *Si tuas cantu Latio ſacravi Pindare, Thebas.* Vide, quot modis *carmen*, et *aliquem canere* variaverit. Nam eſt v. 1. *Muſis amicus*, v. 6. *fontes integri*, v. 7. *nectere flores*, *coronam*, v. 10. *honores*, denique, *fidibus* et *plectro aliquem ſacrare.*

CAR-

CARMEN XXVII.

ARGVMENTVM.

Leve huius carminis argumentum in convivii, cui Horatius interfuisset, descriptione versatur, illudque ita repraesentavit poeta, ut coram nobis omnia peragi videantur. Quum in eo convivae, vino largius hausto incensi ad rixandum ac tumultuandum consurrexissent, Horatius, magistri bibendi personam sumens, intemperantiam atque insolentiam eorum castigat, eosque ad saniorem mentem revocare studet. Vt igitur iocis ac risui, quae magis convivii hilaritatem decerent, locum iterum faceret, excitatus ad bibendum unum e sodalibus ad amicae nomen prodendum hortatur. Ille vero tergiversari: Horatius contra instare, aliterque se bibiturum negare, ac, quo facilius eum permoveret, nomen puellae non evulgaturum, polliceri. Amores sic suos confessum miseratur poeta, puellaeque animum meretricium acriter perstringit. Elocutio carminis admodum vivida, doctrina haud vulgaris, quaeque exemplum graecum, quod poeta secutus sit, haud ambigue prodit. Similis coloris est Anacr. LVII. 7. ἄγε δῶτε, (πίνειν) μηκέθ' οὕτω *κατάγω τε κἀλαλητῶ Σκυθικὴν πόσιν παρ' οἴνῳ μελετῶμεν, ἀλλὰ καλοῖς ὑποπίνοντες ἐν ὕμνοις. Et Theognidei vv. 485 sqq.* ὑμεῖς δ' εὖ μυθεῖσθε *παρὰ κρητῆρι μένοντες, ἀλλήλων ἔριδας δὴν ἀπερυκόμενοι, ἐς τὸ μέσον φωνεῦντες ὁμῶς ἐνὶ καὶ σὺν ἅπασι, χ' οὕτως συμπόσιον γίγνεται οὐκ ἄχαρι.*

AD

AD SODALES.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare, Thracum est: tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Vino

v. 1 sqq. Convivium vos agere decet hilare, ad risum iocosque compositum; Thracum est, inter compotationes tumultuari ac rixari. Pro vulgari igitur: ne tumultuemini inter potandum, doctius erat, ne Thracia imitemini convivia, et pro hoc, more, qui Thracum conviviis fere proprius est, laudato: ne pugnate scyphis, barbaro Thracum more. Errant adeo qui vere scyphis in isto convivio depugnatum fuisse contendunt. — *Natis*, factis, formatis, ut Martial. XIV. 102. *Accipe non vili calices de pulvere natos.* cf. III. 21. 1. — *in usum laetitiae*, qui laetitiae inserviant, ad exhilarandos animos inventis (κρατὴρ μεστὸς εὐφροσύνης Xenophanes in Steph. poes. ph. p. 38.); iis adeo uti non decet in convivio pro armis αὐτοσχεδίοις, qui *Thracum* mos *est*. Cum enim hi meracius biberent (unde Θρηϊκίην, Σκυθικὴν πόσιν, πρόποσιν dictam puta, quod essent ἀκρατοπόται. v. Athen. X. p. 427. neutiquam vero a potandi certamine, aut rixandi libidine, quae in eorum conviviis obtinuerit) eorum compotationes non nisi pugnis finiri solebant. Stat. Theb. II. 85. *Ogygii si quando adflavit Iacchi sacrus odor, tunc saxa manu tunc pocula pulchrum spargere.* cf. I. 18. 9. De certatione s. provocatione quominus cum Dorv. ad Char. p. 418. capere liceat, vetat omnino sententiarum nexus, totiusque carminis ratio: tum ne probari quidem potest, eiusmodi certamina Thracibus usitata fuisse. — *Scyphus*, ut cantharus, proprium Bacchi poculum. Val. Fl. II. 272. *et sacer ut referat Bacchum scyphus.* — 3. 4. *Prohibete*, arcete *Bacchum rixis*, a rixis *sanguineis*, ne confundite (v. I. 17. 23.) ne immiscete rixas Baccho, compotationi, quam quietam esse decet: ἡσυχίαν φιλεῖ συμπόσιον Pind. Nem. 9. 114. Pro compotatione igitur verecunda, ad modestiam com-

Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat! impium
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.

Vultis

composita, tranquilla doctius est Bacchus verecundus, qui rixas odit, apposito epitheto. Sensus adeo totius loci: rixae sanguineae cruentae absint, quae comissationem dedecent. Errare adeo videntur, qui Bacchum dici volunt verecundum, pulchrum, ut Schol. aut de vino modice bibendo poetam hic praecipere existimant, quod plane a consilio carminis atque contextus ratione alienum est, aut denique, qui, quae non satis intellexere, corrigere conantur. v. Obss.

v. 5 — 8. Eadem fere sententia, alio tantum ornatu instructa: Alienus est a compotatione armorum usus, pugna. Pro armis speciali notione est *acinaces*, gladius, *Medis*, s. Parthis (v. ad I. 2. extr.) proprius. v. Suid. h. v. et pro compotatione ad multam noctem protracta *vinum* et *lucernas* poeta posuit. v. III. 8. 14. et 21. — *immane quantum*, maxime, admodum *discrepat vino* (tertio casu), discordat, nihil rei est cum vino (contra ὑποκρέκει, quod convenit, apud Pind. Ol. ϑ. 59.) — *clamor impius*, ἀνόσιος, indecens, furiosus. — 8. neque ad tumultuandum assurgite. *remanete*, manete *cubito* sinistro (Ovid. Met. IX. 577.) *presso*, pulvillis impresso, innixo; ex more accumbentium. Idem eodem ornatu praecipit Phocyl. (in Brunk. Gnom. p. 92.) fr. VII. χρῆ δ' ἐν συμποσίῳ κυλίκων περινισσομενάων ἡδέα κωτίλλοντα καθήμενον οἰνοποτάζειν.

v. 9 *sqq.* Imo iocis, amatoriisque confabulationibus exhilarare decet convivium. Sed urbane satis hanc admonitionem exemplo eiusmodi in medium producto statim involvit. Provocatus enim ad bibendum a convivis, non nisi hac lege eorum se postulationi satisfacturum pronuntiat, ut frater Megillae nomen amicae sibi prodat. Alii aliter sententiarum nexum expediunt. — *me quoque sumere partem F.* oratio paullo humilior, sed commode ad familiarem confabulandi rationem depressa. — *severi*, austeri, σκληροῦ (v. g. in Aristoph. fr. apud Grot. Exc. p. 551.) cum natura, tum vetustate. Catull. XXVII. *Minister vetuli, puer, Falerni inger mi calices amariores.* χαριέστατον

Vultis ſeveri me quoque ſumere
Partem Falerni? dicat Opuntiae
Frater Megillae, quo beatus
Vulnere, qua pereat ſagitta.

Ceſſat voluntas? non alia bibam
Mercede. Quae te cunque domat Venus,
Non

ἔστατον τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν οἴνων Falernum vocat Athen. I. p. 33. — 10. E convivis unum, cuius amores ſciſcitatur, ſororis nomine Megillae Opuntiae, ex Opunte Locridis oriundae, iocum meditans poeta, iocoſe deſignat. Niſi forte celebratiſſimae pulchritudinis Megilla fuerit, aut alia quacunque arte, e. g. Muſica, excelluerit, ut huius gratia frater in elegantiorum hominum notitiam venerit, atque compotationibus eorum adhibitus fuerit. Multa talia argute comminiſci licet, quae pro exploratis nemo facile habeat. — 11. cuius puellae amore teneatur. Etiam in huius ſententiae elocutione diverſis imaginibus mire coniunctis luſum aliquem poeta captaſſe videtur, eundem, qui vulnere ſit ſaucius, et ſagitta pereat, beatum appellando: etſi utrumque de amatore dicatur. Nam et *vulnerari*, *perire*, et *ſagittis deſigi* ſollennia de amantibus (v. Valken. ad Hippol. 392. et Dorv. ad Char. p. 203.) iidemque, quo efflictius amant, beatiores ſibi videntur. Sic Tibull. (II. 5. 109.) *iacet ſaucius annum et favet morbo*, ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπᾷ, ut Heſiodus Ἔργ. 58.

v. 13 *ſqq.* Num detrectas, num recuſas nomen proferre? Enimvero *non alia*, hac ſola *mercede*, conditione morem geram, bibam. — 14. Callide extorquet inſinuando, elegans eius iudicium in eligendis puellis extollens. — *Quaecunque Venus*, puella (ut I. 33. 13.) *te domat*, in poteſtate habet, arbitrio te ſuo ſubiecit, te captum tenet, quamcunque amas: nota loquendi ratione. Alias eſt *regi* a puella (III. 9. 9.) *ſervire* dominae et ſim. — 15. ea certe eſt, quam te amare deceat; ſed invertit poeta: non ea eſt puella, cuius te pudeat; et pro hoc, operoſiori paullo ornatu, inprimis ſi cogites, iocos poetam nunc cum convivis miſcere: ea te *adurit*, urit *ignibus* amoris, amore inflammat *non erubeſcendo*, qui tibi ruborem exprimat, cuius te pudeat, cuius puellae

Non erubeſcendis adurit
Ignibus, ingenuoque ſemper

Amore peccas. Quidquid habes, age,
Depone tutis auribus — Ah miſer,
Quanta laborabas Charybdi!
Digne puer meliore flamma!

Quae

puellae adeo nomen ſalvo pudore proferre nequeas. — 16. Accuratior ſententiarum nexus erat: quandoquidem te ſemper, ut ingenuum adoleſcentem decet, in amore geſſeris: nam ratio ineſt, cur ei ſalvo pudore puellae, quam nunc amet, nomen proferre liceat. *Amorem ingenuum* recte quoque intelligas de amore ingenuae puellae, libertinae, vel peregrinae. *Peccare amore*, ſimpliciter pro amare, ut I. 33. 9. ut *moechus, adulter*, de amatore. — 17. *Quidquid habes* amorum, quidquid amas, (ut ſupra I. 6. extr. *uri aliquid.*) venuſta ſimplicitate. Etiam illud *age* familiare colloquii apprime refert.

v. 18 *ſqq.* Audito puellae nomine exclamat poeta: *ah miſer*, ἆ δειλὸς ut I. 5. 12. Vividioris huius orationis vulgarior forma erat: Miſerum te, qui in tantam voraginem incideris, unde vix ſalvus evadas, emergas, h. qui in amorem avarae ac rapacis puellae incidiſti, quae maxima *fundi tui* eſt *calamitas* (Ter. Eun. I. 1. 34.) *ubi fidem, remque teque properas perdere* (Plaut. Epid. II. 2. 36.) — *laborabas*, ἔκαμνες (e. g. Eurip. El. 1358. συντυχίᾳ κάμνειν) colluctabaris, atque etiamnum in ea verſaris. Μιμητικῶς fere accipiunt e ieiuno Baxteri commento: „laborabas et ego neſciebam" v. Obſſ. Eleganter autem puellam rapacem (forte et merobibam) *Charybdin* vocat, Graecorum exemplo. Anaxilas ἐν Νεόττιδι apud Athen. XIII. p. 558. οὐ γένος τις ἂν δύνατο παρανομώτατον φράσαι. τίς γὰρ — ἢ Χίμαιρα πύρπνοος, ἢ Χάρυβδις, ἢ τρίκρανος Σκύλλα, ποντία κύων, — εἰς ὑπερβολὴν ἀφῖκται τοῦ καταπτύστου γένους ſc. meretricum. Et paullo poſt: ἡ δὲ Φρύνη τὴν Χάρυβδιν οὐχὶ πόῤῥω που ποιεῖ; τόν τε ναύκληρον λαβοῦσα καταπέπωκ' αὐτῷ σκάφει, ſuaviſſima allegoria. Anaxilam imitatus eſt Lucillius, loco mox adferendo. Eadem ex cauſa Scyllam eiusmodi mulierem vocat Callim. fr. Bentl. 184. Σκύλλα γυνὴ κατακάσα καὶ οὐ ψύθος οὔνομ' ἔχουσα. qua

 eadem

Quae ſaga, qui te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus?

Via

eadem dilogia adhibuit Meleag. LXVII. (Anal. Br. I. 20.) κῦμα τὸ πικρὸν Ἔρωτος — ποῖ φέρομαι; πάντῃ δὲ φρενῶν οἴακες ἀφεῖνται, ἢ πάλι τὴν τρυφερὴν Σκύλλαν ἐποψόμεθα. Alias Charybdis dicitur de homine, qui *ingurgitat in ſe merum avariter plenis faucibus*, ut Plauti (Curcul. I. 2. 35.) verbis utar. Hipponax in Parodiae fr. apud Athen. XV. p. 698. μοῦσά μοι Εὐρυμέδοντ' ᾄδοις τὴν ποντοχάρυβδιν, ubi forte corr. χανδοχάρυβδιν, quod dictum, ut χανδοπότης, et multo fortius eſt. Phrynich. apud Toup. ad Long. p. 386. Μεθυσοχάρυβδις, ἐπὶ γυναικὸς μεθύσου, qui inſuper laudat Heracl. Pont. Alleg. Hom. p. 446. — *digne flamma*, amore *meliore*, melioris puellae. Caeterum Weſton in Hermeſ. p. 47. reprehendit poetam, quod a tempeſtate exorſus incendio ac ruina finiat; mallet Chimaeram pro Charybdi, niſi illa carmen clauderet. Lepide ſatis.

v. 21 — 24. Nihil te ab exitioſo iſto amore liberare poterit. Ornatum orationis Noſter cum aliis Auguſtei ſaeculi poetis ab antiqua vulgi ſuperſtitione repetiit, qua artes magicae et inſpirandi amorem, et animum iſto liberandi vim habere credebantur. Piget illuſtrandae huic rei, a VV. DD. ad nauſeam inculcatae, vel verbum addere. De loquendi formulis, quae huc ſpectant, tantum nonnulla monenda. *Defixi*, καταδεδεμένοι (Suid. h. v. κατάδεσμοι Orph. Lap. XV. 79.) dicebantur οἱ πεφαρμακευμένοι, amore iniecto: *ſoluti* contra, eo liberati. cf. Virg. Aen. IV. 79. Ad ſenſum Prop. III. 23. 10. *Quod mihi non patrii poterant avertere amici, eluere aut vaſto Theſſala ſaga mari*, re ad expiationem traducta. — *venena*, φάρμακα, quibus id effici credebatur. — *Theſſala*, nam huic maxime regioni artes magicae adſignatae: quod vel ex Apuleio abunde conſtat. — 22. *quis poterit deus?* τίς σὲ θεῶν δυνήσεται σῶσαι, Chariton. IV. 4. Sollenne hoc ac proverbialiter fere in perditis ac deſperatis rebus. Lucian. in Lucio T. II. p. 574. θεραπεῦσαι δὲ σὲ οὐδεὶς ἄλλος, οὐδὲ θεὸς ἰατρὸς caet. Plaut. Epid. V. 1. 4. *Si undecim deos praeter ſeſe ſecum adducat Iupiter, ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.* et Capt. III. 3. 14. *neque iam Salus ſervare, ſi volt, me poteſt.* et inde Ter. Ad. IV. 7. 42. — 23. *Chimaera*, Lyciae monſtrum *triforme*, τρίμορφον (πυρπνέουσαν τρισώματος ἀλκὰν vocat Eurip. Ion. 201.) notum ſatis ex

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

ex Homer. Il. Z. 181. πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. Fabulam ipsam tangit Pind. Ol. XIII. 128. cf. Apollod. II. 3. Huic igne omnia vastanti comparatur meretrix itidem amatori exitium adferens. Anaxilas l. l. ἐστὶ δὲ σκοπεῖν ἀπ' ἀρχῆς πρῶτα μὲν τὴν Πλάγγωνα, ἥτις, ὥσπερ ἡ Χίμαιρα πυροπλεῖ τοὺς βαρβάρους. Lucill. c. LXXXVIII. (Anal. Br. II. 336.) Οὔτε Χίμαιρα τοιοῦτον ἔπνει κακὸν, ἢ καθ' Ὅμηρον — ὥστε σὲ παμψηφεῖ νικᾶν, Τελέσιλλα, Χιμαίρας. — 23. *illigatum*, ἐχόμενον, ἐνδεθέντα, Chimaerae unguibus quasi inhaerentem; apposita imagine. Nam et amore dicimur illigari. Hermes. el. v. 86. οἴη μὲν Σαμίων μανίη κατέδησε Θεανοῦς Πυθαγόρην. Musaeus 29. ἐς πόθον ἦλθε, πόθῳ δ' ἐνέδησε καὶ αὐτήν. cf. ad I. 13. extr. Male ad incantationem nonnulli referunt. Praeclare vero poeta servavit imaginem a Chimaera desumtam. Vulgaris enim oratio ferebat: nemo facile te ab ista, qua *teneris*, *pesta* (uti Virg. Aen. IV. 90. similiter de amore) liberet; pro hoc, ne Pegasi quidem ope expediaris. Pegasum tantum commemorat, tanquam poeta; et quia huius potissimum ope Bellerophon Chimaeram occidit. Hesiodea (Theogon. 325.) τὴν μὲν Πήγασος εἷλε καὶ ἐσθλὸς Βελλεροφόντης, laudarunt et alii. Adde Pind. l. l. σὺν ἐκείνῳ (h. eius ope, uti fert Pindarica loquendi ratio) καὶ Χίμαιραν πυρπνέουσαν — ἔκτεφεν. — *expediet Chimaera*, pro exp. Chimaerae, h. a Chimaera, noto graecismo. Caeterum similimi coloris est epigramma ἀδέσποτον (Anal. Br. III. p. 157.) XXXII. Παιδείῳ, Θρασύβουλε, σαγηνευθεὶς ὑπ' ἔρωτι ἀσθμαίνεις, δελφὶς ὥς τις ἐπ' αἰγιαλοῦ κύματος ἱμείρων· δρέπανον δὲ σοὶ οὐδὲ τὸ Περσέως ἀρκεῖ ἀποτμῆξαι δίκτυον, ᾧ δέδεσαι.

CARMEN XXVIII.

ARGVMENTVM.

Communem moriendi necessitatem, tritam illam ac vulgarem sententiam, novo artificio ita nobilitavit poeta, ut eam in drama conversam illustri Archytae, Pythagorei, qui prope Apuliae litus naufragio periisset, exemplo ostenderet. Indueitur itaque nauta, qui ex veteri navigantium more litus Matinum, in quo Archytae corpus fluctibus eiectum iaceret, forte praetervehens eo conspecto, talem tantumque virum fato quoque obnoxium fuisse miratur, idque ipsum, ut fert commotioris animi natura, oratione ad ipsum mortuum directa (ut multoties in Homero ac Virgilio) eloquitur. Quem quidem animo humano penitus infixum sensum atque affectum eo poetas deduxisse arbitror, ut et umbram mortui (id quod saepius in carminibus sepulcralibus observare licet) respondere, et, quos amicos habuerint, solari fingerent. Accedit et alia ex antiqua superstitione, qua umbra circa corpus insepultum errare, ac praetereuntes de iustis sibi impertiendis quasi imploraret putaretur, petita istius figmenti ratio. Archytas itaque, ut nauta se mortuum ne miraretur amplius, eandem virorum se longe praestantiorum sortem fuisse, mortemque adeo, cuius tamen non unum genus sit, ad omnes pertinere ostendit. Exposita hinc fati sui ratione, sicque ad se iterum delatus eundem enixe precatur, atque, ut ne insepultum se iacere sinat, maximopere obtestatur. — Putant fere, narrationem aliquam

quam de Archytae exitu a Tarentinis, quorum civis Archytas fuisset, Horatio, qui lubenter in Septimii villa Tarentina (II. 6. 13.) commoraretur, expositam eiusdem animum ita occupasse, ut totam eam carmini includeret. Sed uti, quam temere haec ponantur, facile apparet; ita ei, qui, non dicam, graecorum omnino poetarum lectione tritas aures subactumque habet iudicium, sed qui vel leviter Anthologiam graecam attigit, dubium esse nequit, et argumentum carminis ipsamque tractationem Horatium a graeco aliquo poeta mutuatum esse. Ducit eo praeter universum carminis habitum, ac dialogi rationem sententiarum cum indoles tum elocutio graeca. v. Not. Caeterum Marcil. ac Torrent. hoc carmen pro irrisione vel disciplinae Pythagoricae vel matheseos et astrologiae habent: Cruquius vero ad L. Tarutium, celebrem Horatii aetate astrologum (Cic. Div. II. 47.) refert. Alii denique callida dilogia Bruti exitum deflere existimant. Quae somnia ulterius exagitare nihil attinet. Vt denique de nauta, quem loquentem inducit Horatius, verbo tantum moneam, iustam nos eius notionem ex ipsius oratione nobis informare posse arbitror. Quum is vulgi opinioni adhaereat, qua Archytam, quasi de meliore luto fictum, miretur mortuum; contra vero tanta iudicandi facultate polleat, ut Archytam magnum virum habeat; equidem ei nec ingenium excultum, nec plane rude tribuerim. cf. ad v. 14. Caeterum quomodo alii dialogum constituant v. Obss.

ARCHYTAS.

Te maris et terrae numeroque carentis arenae
Menſorem cohibent, Archyta,
Pulve-

v. 1 — 6. *Nauta.* cf. Obſſ. — 1 — 4. Suavis oppoſitio: Tu, qui antea univerſum terrarum orbem emetiebaris, tantillum arenae corpore tuo nunc occupas, pauxillum terrae ſpatium mortuus complecteris. — *maris et terrae* h. univerſi (per enumerationem) *menſorem*, geometram. *μετρεῖν κόσμον καὶ πείρατα γαίης* ſimiliter Palladas c. XCI. (Anal. Br. II. 426.) — Archytam *arenae menſorem* vocat, nam et de numero arenae disputabant mathematici, quam in rem Archimedis liber extabat, *Ψαμμίτης*, ſ. *arenarius*: niſi omnino arithmetices notio ſubeſt. — *numero carentis*, innumerabilis, nihil amplius. Cave hoc ad irridendum Archytam, qui ſibi ſumſiſſet *γνῶναι τῶν ἀμέτρων τὰ μέτρα*, adiectum exiſtimes. — *munera pulveris*, *μοῖρα*, *μέρος*, portio exigua pulveris, arena exigua, locus exiguus, quem explet, in quo iacet corpus. — *cohibent te*, habent te, *κατέχει*. Scilicet terra, regio, locus nos tenere dicitur, in quo verſamur, quem occupamus; adiuncta tamen neceſſitatis, ut ita dicam, notione. Sic Tibullum *aegrum tenebat Phaeacia*, I. 3. 3. Terra adeo nos habet, cohibet, *γῆ ἔχει*, *κατέχει*, in qua mortui iacemus. Antipat. Sid. c. LXXIX. (Brunk. Anal. II. p. 27.) *κατέχει Πίνδαρον ἅδε κόνις*. Antipat. Theſſ. c. LX. (Anal. Br. II. p. 124.) *Αὐσονίη μὲ Λίβυσσαν ἔχει κόνις*. cf. Abreſch. ad Aeſch. I. p. 127. In compoſito *cohibent* forte aliqua vis eſt, nempe, Archytam quantumcunque virum exiguam nunc arenam complecti. Sed hoc forte argutius. Ad ſenſum idem Antip. LIX. 1. (Anal. Br. l. l.) de Socrate, *ᾗ χθαμαλὴν ὁ τόσος ὑπέδυς κόνιν*. Simmias Theb. I. (Anal. Br. I. p. 168.) de Sophocle: *Τὸν σὲ — τὸν τραγικῆς Μούσης ἀστέρα — τύμβος ἔχει, καὶ γῆς ὀλίγον μέρος*. Valckenar. ad Phoen. Eurip. 1458. cum Noſtro compoſuit Antipatri Sid. c. LXIX. (Analect. Br. II. 25.) *εἰ δ' ὀλίγα κρύπτω τὸν τηλίκον, ἴσθ' ὅτι κεύθει καὶ Θέτιδος γαμέταν ἁ βραχύβωλος Ἴκος*. Caeterum eadem

Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera: nec quidquam tibi prodest
Aerias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.

Occi-

eadem haec sententia varie exornata est a poetis, atque amplificata: veluti Ovid. Amor. III. 9. 40. de Tibullo: *vix manet et tanto parva quod urna capit;* et Propert. IV. 11. 14. *En sum, quod digitis quinque levatur, onus.* Alii, ut paucis attingam, hos vv. ita expediunt: munera pulveris *tibi nondum persoluta, pulvis tibi nondum iniectus,* cohibet te, prohibet te, *quo minus Stygem transire possis;* quo an quid durius ac contortius excogitari potuerit, quoque totius loci vis atque ἐνάργεια, quae ex oppositione oritur, magis enervetur, dubitaverim. Sed timebam, ne initium carminis adversaretur vv. 23 sqq. prava interpretatione inducti. — *Matinum litus* de ora Calabriae.

v. 4—6. *Nec quicquam prodest tibi, tentasse,* nequicquam tentasti *a. d. moriturus,* qui mortalis esses, h. neque caelestium rerum studium prohibuit, quin morti succumberes, a moriendi necessitate te exemit. Sententiam hanc poeta ita adornavit, quasi hac ipsa caeli contemplatione se supra humanam conditionem extollere voluisses. Archytas. Nam pro caelo sunt *domus aeriae,* quas *tentat,* qui ad eas accedere conatur. Inest enim h. v. summae audaciae notio. v. Wernsdorf. ad Grat. v. 63. Exc. I. T. I. Poet. min. p. 237. Pertinet adeo ad Archytae declarandum philosophiae studium, maxime ad eam partem, quae in deorum naturam inquirit. Iam cum eiusmodi conatus (uti omnes fere, qui ab ingenii sagacitate commendationem habent, v. ad I. 3. 21.) in hominem cadere negaret prisca vulgi opinio; poeta, eam secutus, Archytam, de Diis philosophatum, *tentasse* h. impio ausu adiisse ait *aerias,* caelestes deorum *domos.* — *animo percurrisse,* contemplatum esse, dispexisse de rerum caelestium natura. Apposite Lucret. I. 73. de Epicuro: *ergo vivida vis animi pervicit et extra processit longe flammantia moenia mundi, atque omne immensum peragravit mente animoque.* — *moriturо,* graviter claudit sententiam. cf. II. 3. 4. Caeterum alii totum hunc locum ad astrologica Archytae studia referunt, quin Gesnerus eo delapsus est, ut Archytae αὐτόματον, seu vo-

Occidit et Pelopis genitor, conviva Deorum,
Tithonusque remotus in auras,

Et

lantis columbae machinationem hic forte respici in animum induceret. Neque altera probabilior videtur ratio: quam si poeta voluisset, aliter haud dubie rem adornaturus fuisset. Et mathematicum Archytam iam initio carminis prodiderat; nunc de philosopho agit.

v. 7. *Archytas*, hinc usque ad finem. — 7 *sqq.* Colores ducti ex Hom. Il. ε. 117. Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε Κῆρα, ὅσπερ φίλτατος ἦεν Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι· — ἀλλ' καὶ ἐγὼ — κείνου, ἐπεί κε θάνω. et φ. 107. Κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅπερ σέο πολλὸν ἀμείνων. Ad communem moriendi necessitatem declarandam Archytae umbra virorum se praestantiorum, qui mortem non magis effugerint, exempla affert. cf. Virg. Aen. X. 469 sq. et Nostri II. 16. 29. IV. 7. 14. Vnicuique Horatius adiecit id, quo reliquis hominibus in tantum praestarent, ut communi mortalium conditione exemti videri potuissent. — *Pelopis genitor*, Tantalus, rex Lydiae, *conviva Deorum*, etsi eum Dii mensa dignati fuissent, θεοῖς, ἄνθρωπος ὤν, κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον, (ut de eodem Eurip. Orest. 9.) atque is adeo in summo apud Deos honore fuisset (ἀ τιν' ἄνδρα θνατὸν Ὀλύμπου σκηνοὶ ἐτίμασαν, ἓν Τάνταλος οὗτος, Pind. Ol. α. 86.) h. si ornatum fabulae demas, opum florentissimus. Hi enim θεοφιλεῖς habiti. v. ad I. 26. 1. et I. 31. 15. item homines pii ac iusti ξένοι καὶ ὁμοτράπεζοι θεοῖς (Pausan. VIII. 2. p. 600.) dicti; quod adumbratum ex aurea aetate, in qua *domos invisere castas Caelicolae nondum spreta pietate solebant*, Catull. LXIV. 387. Qua eadem de causa Tantalus sic dictus videri potest; nam et is pietatis laude florebat, antequam ὕβρει sua Iovis iram provocasset. Stat. Theb. VI. 282. *Tantalus inde parens, qui non fallentibus undis imminet — sed pius et magni vehitur conviva Tonantis.* Alia denique huius figmenti ratio in Virg. Ecl. IV. 63. Caeterum Nostri locum sublegit auctor Eleg. de Fortunae vicissi. (apud Wernsd. Poet. min. III. p. 243.) v. 9. 10. *Tantalus infelix, dicunt, conviva deorum, nunc quoque apud manes victima sacra Iovi est.* — 8. *Tithonus quoque* occidit, etsi ob Aurora *in auras remotus*, in caelum raptus, ὃν ἀστέρων τίθρωσκε ἵλαμβε κρείσσων ὄχος ἀνωφαίνων, Eurip. Troad. 855. Cuius figmenti caussa unice in Tithoni pulchritudine quaerenda videtur. Ἐπιείκελον ἀθανάτοισι Tithonum vocat Hom. H. in Ven. 219. unde

Et Iovis arcanis Minos admissus: habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demis-

unde totius fabulae descriptionem pete. Scilicet a Diis amatos dicebant eos, qui pulchritudine maxime conspicui essent: v. ad I. 26. 2. Ita proclive erat, ut alii hoc ulterius ornarent, adderentque, a Diis eos expetitos, adeoque raptos esse. Maxime vero eiusmodi raptus ad Deas referebant, quae et ipsae formosissimae essent. Quod unice eo pertinuisse arbitror, ut iuvenilis formae praestantiam insignioremredderent. Sic Venus Phaethontem, *τέρεν ἄνδρα ἴχετο ἠριγένειαν ἥβης ἕνεκ' ἀνερειψαμένη*, iuxta Hesiod. Théog. 987. et Aurora Cephalum (Pausan. III. 18. p. 256. Anton. Lib. c. 41.) Clitum (Hom. Od. *ε*. 250.) et hunc Tithonum rapuisse credita. Admixta mox ab aliis alia, quibus, quae fabulae originem dedissent, obfuscarentur. Caeterum Tithonum senio paene confectum atque emortuum in mortuis poeta reponit, quod non urgendum. Nam illius mutationem in cicadam, quam seriores poetae ex Hom. H. laud. v. 237. effinxere, nolim huc trahi propter II. 16. 50. Pessime vero quidam *remotum in auras* explicant, mortuum. Male quoque Dacer. — 9. *Minos* Cretae rex de legibus ferendis, quo maiorem iis auctoritatem conciliaret, ipsum Iovem in consilium adhibuisse ferebatur: *βουλεύεσθαι ἐνιαυτὸν τῶν νόμων οἷς ἄνευ θεοῦ τὸν Μίνω*, Pausan. III. 2. 207. adde Platonis Minoem p. 158. Hinc *Iovis arcanis* colloquiis, *ὁμίλοις*, *admissus*, (*Διὸς μεγάλου ὁμιλητής*, ut simillime de eodem Homer. Od. *τ*. 149.) h. in familiaritatem Iovis receptus, quocum ipse Iupiter versaretur, nihil amplius h. l. Dubitari etiam licet, an Homerus Minoem hoc respectu sic appellaverit, etsi Pausan. l. l. pro explorato ponat, annon potius e prisco sermone simpliciter sit: vir prudentiae ac iustitiae laude conspicuus. Nam *cum Diis versari*, et *pium*, *iustum*, *sapientem esse* antiquus sermo pro iisdem habet, haud obscura ratione. Eurip. Hippol. 948. *σὺ δὴ θεοῖσιν, ὡς κεκρυμμένος ὢν ἀνὴρ, σύνει; σὺ σώφρων καὶ κακῶν ἀκήρατος.* — 10. Sapientes etiam viri morti succubuere. fere ut Argent. XIX. (Anal. Br. II. p. 270.) *εἰ δέ σοι ἀθάνατος σοφίης νόος, ἴθι Κλεόβης καὶ Ζήνων Ἀθὴν τὸν βαθὺν ὡς ἔμελον.* Praeclare Archytae umbra exemplum Pythagorae, cui, dum viveret, addictus fuerat, in medium profert, simulque eius de metempsychosi dogma in

Demissum; quamvis clypeo Troiana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos

in ipso comprobatum tangit. Adfirmabat enim Pythagoras, se Troiani belli temporibus fuisse *Panthoiden*, Panthoi filium, Euphorbum, tum ex aliis in alia migrasse corpora, denique Pythagoram factum. Cui rei ut fidem faceret, clypeum, qui in Iunonis templo haud procul Mycenis inter alia ἀναθήματα adfixus esset, suum, cum Euphorbus esset, fuisse contendebat; (Euphorbi certe clypeum ibi a Menelao suspensum memorat Pausan. II. 17. p. 148.) hoqiue ipsum nomen, ei inscriptum, mox, detracto eo, repertum esse ferunt. Vid. Intpp. ad Aelian. V. H. II. 26. et ad Diog. VIII. 5. — *Habent Tartara P.* Τάρταρος ἔχει, κατέχει Πανθοΐδην, *iterum Orco*, in Orcum *demissum* (ut Virg. Aen. II. 398. IX. 527.) copia poetica, et ornate pro vulgari, Pythagoras bis, tanquam Euphorbus, et tanquam Pythagoras, Orcum subiit. Si *iterum* h. l. proprie accipias, animamque adeo Euphorbi statim in Pythagorae corpus immigrasse inde cogas, ex eiusdem philosophi praeceptis, ipsius animam post longum demum temporis spatium (quod ter mille annorum Aegyptii, mille vero Platonici statuebant. v. Heyn. ad Virg. Aen. VI. 748.) in corpus revertisse, statuendum videtur. Sed forte τὸ *iterum* non urgendum; et de *iteratis* per hominum aetates corporum *mutationibus*, eorumdemque dissolutione capiendum: utque adeo, qui Aethalides fuerit, mox Euphorbus, postea Hermotimus, tum Pythius Delius, denique post alias bene multas migrationes extremo Pythagoras evaserit. v. Schol. Sophocl. apud Lamb. E migrationibus vero Pythagorae poeta Euphorbi tantum exemplum affert, tanquam illustrius, fabulaque de clypeo isto famigeratissimum. — 11. *quamvis* non tam mortuus, quam potius corporis tantum exuvias potuisse dicendus est, anima eius aliis deinceps corporibus inserta, sicque vitam continuante: cuius rei (sc. vitae a se continuatae) veritatem ipse clypeo, quem tanquam Euphorbus ad Troiam gessisset, satis luculenter ostendit. Sunt adeo verba corrigentis atque restringentia, quae paullo ante de Pythagora pronuntiaverat, ne is vere mortuus putaretur. Atque sic quidem locum, qui me, intpp. hallucinationibus occupatum ac praepeditum, diu exercuit, satis expeditum arbitror. Vana adeo est Sanadoni opinio, Pythagoreum philosophum dogmatis suis contraria hic praesipere

Nervos atque cutem Morti concesserat atrae;
Iudice te non sordidus auctor

Natu-

cipere statuentis. Falsa etiam omnium intpp. ratio, qua verba: *quamvis . . . . concesserat atrae*, pro causa subiecta existimant, ob quam Pythagoras non iterum mori debuisset, fere ut *Tantalus*, quod *conviva Deorum*, *Tithonus*, quod *Aurorae amatus* fuisset. In sensu enim constituendo vide quomodo iidem hallucinati sint: Pythagoras *bis* obiit, quamvis prolato clypeo ostenderet, se tanquam Euphorbum Troianis temporibus interemtum caet. h. se iam semel mortuum; quod parum procedere videtur. — *quamvis nihil altra*, praeter *nervos atque cutem*, σάρκας καὶ χρῶτα, exuvias corporis *Morti concesserat*, permiserat, ius tantum ei in corpus suum dederat, anima sibi vindicata: exquisitissimo verbo. nec minus ornate ac proprie *nervos* et *cutem* dixit de corpore animo destituto. *Nervi* enim generali notione musculi et ligamenta corporis dicti, (v. Gell. XIII. 21.) *quibus quippe totum corpus sustinetur, et in robur erigitur, desertum contra fulcimentis suis, in ruinam labitur*, Macrob. VII. 9. — *clypeo*, qui a Menelao in Iunonis templo suspensus fuerat, *refixo*, revulso, detracto; ut Virg. Aen. V. 360. — *testatus*, testatum faciens, comprobans *Troiana tempora*, se Troiani belli temporibus vixisse, se adeo nunquam vere occidisse. — 14. Nunc demum poeta s. Archytas subiicit, quibus caussis Pythagoras mortalium conditioni prorsus eximi debuisset. Vulgaris structurae ratio ferebat: *habent Tart. Panthoiden, iterum Orco demissum*. — sane *non sordidum naturae verique auctorem*. Sed posterius poeta cum iis, quae interiecta sunt, *quamvis . . . concesserat*, docta ratione coniunxit. Quam cum non perspexissent intpp., sequentia ad interiecta retulere, hoc supplemento: *et quamvis* non sord. auctor *esset*. cum admodum diversa sint membra, ita ut alterum veram Pythagorae mortem neget, alterum caussam contineat, quae eundem morti subducere debuisset. — *Auctor naturae*, qui naturam disposuit; splendide pro, qui de rerum natura, de Diis, de mundo philosophatus est, nova via naturae arcana scrutatus est, nova de ea dogmata protulit. Eodem splendore Lucret. IV. 966. *Nos agere hoc autem*, et Naturam *quaerere* rerum *semper*, *et* inventam *patriis exponere chartis*. *Speculatorem*, *venatoremque naturae* physicum appellat. Cic. Nat. D. I. 30. Insulse admo-

Naturae verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel via leti.

Dant

admodum nonnulli: auctor s. scriptor libri de natura. — *Auctor veni*, magnifice et hoc de eo, qui primus vera docuit, qui unice vera atque indubitata invenit, proposuit, divulgavit. Semper animo obversari debet, unum e Pythagoreis hic loqui. Idem adeo de sectae, cui nomen dedit, principe quivis alius praedicare posset. Atque ita plane de Epicuro apud Petron. c. 133. extr. *Ipso pater veri doctus Epicurus in arte iussit et hanc vitam dixit habere deos.* Cum *verum* etiam de aequo ac iusto dicatur, (Epp. I. 1. 21.) Ethicen, Philosophiae partem, a Pythagora excultam, intelligendam esse omnes fere statuunt. — *non sordidus, ea iudice*, quem vel tu, qui philosophiae eius arcanis non omnino initiatus es, eiusque adeo iudicium de eo sola eius fama atque celebritate ducitur, *non sordidum*, non contemnendum *iudices auctorem nat.* Nam de viro qualis erat Pythagoras multorum elogiis condecorato, unicuivis e plebe, etsi, iustaene sint istae laudes necne, pronuntiare nequeat, hoc tamen ei iudicium concedas: inesse debere isti viro, quae acutioribus atque intelligentibus probentur, non contemnenda adeo esse, satis probabilia esse oportere, quae multi pro certis habeant. Archytas igitur nautae iudicio tribuit tantum, quantum iudicandi eius facultati tribuere licebat. Parum recte igitur faciunt, qui *non sordidum auctorem* per λιτότητα dictum volunt, pro nobilissimum, summum auct., uti fere Virg. Aen. XI. 539. *consiliis habitus* non futilis auctor, quod fere ex Archytae mente verum est, non eiusdem vero momenti e nautae iudicio. Neque tamen hunc nautam ad infimam hominum sentinam detrusum velim, imo, quum, mercaturam faciendo, remotissimas terras adiret, ingenium eius multarum rerum, litterarum quoque, cognitione excultum esse, quumque inferiorem Italiam peregrinando attingeret, de Pythagora quoque nonnulla fando accipere potuit. Dum igitur Archytas Pythagoram vel a tali homine magnum virum iudicatum iri confidit, suum ipse hoc quasi involuero iudicium de eo prodidit honorificentissimum. Quo praeclaro artificio adsecutus est hoc, ne partium studio ita de illo sensisse videretur. Atque hactenus licebit in vulgata lectione acquiescere. v. Obss.

v. 15 sq. Enimvero moriendi ista necessitas ad omnes pertinet, omnes mori oportet, quamvis diversa mortis sit ratio. Posterius

Dant alios Furiae torvo spectacula Marti:
Exitio est avidum mare nautis:

Mixta

sterius membrum Archytas subiicit, ut ad mortis genus, quo ipse perierit, transitum sibi aperiat. Aliter non perspicias, cur diversa mortis genera commemorentur. Nam ex antecedentibus concludi poterat solum hoc: omnes morti deberi. Ad sententiam totius loci facit epigr. in Anthol. gr. III. p. 398. Ἐνθάδ' ἐγὼ — δόμον Ἀΐδος ἦλθον. — ὡς μὲν ἐγὼν, ἕτεροι ἄλλως· πάντες δέ τε πάντως. Verba *omnes una* vim acquirunt ipsa collocatione. — *nox* infera, *Orci tenebrae* (Catull. 3. 13.) de locis inferis: v. I. 4. 24. — *Manere* nos ea dicuntur, quae fato nobis impendent, quae fato in nos constituta sunt, quae effugere non licet. Sic II. 18. 30. *destinata aula divitem manet herum.* adde V. 13. 13. et 16. 41. Stat. Silv. II. 1. 217. — 16. *via leti*, οἶμος θανάτου, nota imagine. v. ad I. 4. 17. — *calcanda*, *cunctis terenda*, ut eadem in re Prop. II. 20. 74. h. ingredienda. cf. II. 17. 11. — *semel*, *serius ocius* (II. 5. 26. de eadem re) aliquando certe ineunda.

v. 17. 18. Pro generali: ubique patere leti viam, ipsa statim mortis genera subiicit, sed in adnumerandis iis sibi temperat, duobusque tantum defungitur poeta. Magis luxuriatur Stat. Silv. II. 1. 210 sqq. unde haec tantum apponere lubet: *omnia functa aut moritura vides.* — *Hos bella, hos aequora possunt: his amor excitio est, furor his, et saeva cupido.* Μυρίας βροτῶν κῆρας Simonides quoque eleganter per partes declarat c. XVIII. 12. (Anal. Br. I. 128.) τοὺς δὲ δύστηνον νόσοι φθείρουσι θνητῶν· τοὺς δ' Ἄρεϊ δεδμημένους πέμπει μελαίνης Ἀΐδης ὑπὸ χθονός· οἱ δ' ἐν θαλάσσῃ, λαίλαπι κλονεύμενοι καὶ κύμασιν πολλοῖσι πορφορῆς ἁλὸς, θνήσκουσι. Idem argumentum, more tamen suo, tractavit Petron. c. 115. *Illum bellantem arma decipiunt*, caet. cf. II. 13. Iam observa, quam splendida imagine vulgare: hi in pugna cadunt, poeta declaraverit. Proprie is, qui in pugna occiditur, *dat Marti* pugnam obeunti *spectaculum*, Mars in caeso oculos defigit, ei immoratur, vulnerum atque ebullientis sanguinis adspectu laetatur: huic enim ὀλλυμένων ἅδε λύθρος ἀνδρῶν iuxta Antip. Sid. c. XIX. (Anal. Br. II. 14.) adde Orph. H. 64. ubi Mars αἵματι ἀνδροφόνῳ χαίρων audit. cf. ad I. 2. 37. Exquisitiore modo hoc Furiae facere dicuntur, quatenus ex antiqua idea ipsae in proeliis versantur, pugnantesque ad mutuam caedem impellunt. Simplicissi-

Mixta senum ac iuvenum densentur funera: nullum
Saeva caput Proserpina fugit.

Me

plicissima utique ratio erat haec: alii, furore incensi, in pugnam ruunt, et caeduntur. Tum paullo doctior: Furiae eos ad pugnam instigant, sicque, ut in ea cadant, efficiunt. Sic facilis progressus fuit ad illud, quo tota imago animatur: Furiae alios Marti spectandos praebent, quos caesos cum voluptate adspiciat. Male igitur Intpp. existimant, *dare spectacula* plane ita dici, *ut dare ludos, gladiatores.* — *torvo*, βλοσυρῷ (ut Hesiod. Scut. v. 147. de Marte) immiti, fero, qui tali adspectu laetetur; apposito epitheto. — 18. alii in mari pereunt. — *avidum*, propter naufragiorum frequentiam; ornat. Paulo aliter *avarum mare* III. 29. 61.

v. 19. 20. Cuiusvis aetatis homines morti obnoxii sunt. *Mixta*, promiscue, nullo discrimine *senum ac iuvenum funera densentur*, acervantur, senes ac iuvenes confertim cadunt; de caesis in pugna petita imagine, ἐπασσύτερα κεῖνται, de stragis acervis. — 20. Docte iterum moriensti necessitatem ad omnes pertinentem antiqua ac religiosa imagine repraesentat poeta. Scilicet sollenni ritu immolandae victimae pili e fronte evellebantur, atque in ignem coniiciebantur; quod erat κατάρχεσθαι. Tum victima *rite sacrata* (Virg. Aen. XII. 215.) dicebatur Deo, cui sacra apparabantur. Iam cum homines prisca religione Diis inferis ἀνειμμένοι haberentur, s. *Orci victimae* (II. 3. 23. Similiter Palladas CXXX. (Anal. Br. II. 434.) etsi parum suavi comparatione: πάντες τῷ θανάτῳ τηρούμεθα, καὶ τρεφόμεσθα ὡς ἀγέλην χοιρῶν σφαζομένων ἀλόγως); satis proclive erat, cum re etiam ipsos sacrificandi ritus ad eos traducere. Vt igitur moriturus tanquam victima rite sacrata caderet, opus erat crinium summorum (uti enim *summa pecudum tempora ferro notabant*, Aen. XII. 173. ita Iris *flavum crinem* vertice *aufert* Aen. IV. 698.) abscissione. Iniungit hoc officium Θανάτῳ Eurip. Alc. 74. Iridi Virg. Aen. l. l. Proserpinae Noster h. l. et inde Stat. Silv. II. 1. 147. *iam complexa manu crinem tenet infera Iuno*, v. omnino Heyn. ad Virg. l. l. — *nullum caput*, verticem tondere *fugit*, refugit, non abstinet, omnes sacrificio parat, nulli parcendo. Hinc *saeva* dicta.

v. 21. 22. Quid mirum igitur, si et ipse naturae debitum per-

Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato

Parti-

persolverim? Sed docte poeta ipsum mortis genus huic sententiae involvit. Vulgarior ratio erat, ut fluctus Archytam obruisse dicerentur; κῦμα ἐκάλυψεν sed Noto tribuit, quatenus mare turbat, ac fluctus movet. Idem orationis color in Virg. Aen. VI. 336. — *undis*, fluctibus *Illyricis*, maris Illyrici, h. Adriatici in genere. Hinc proprie *Noto*, h. Austro partes datae: *Adriatici* enim *maris* is *arbiter* maximus, I. 5. 15. — *comes Orionis rapidus*, qui rapidissimus est, ubi Orion *devexus*, devexa caeli parte conspicitur, ad occasum vergit (hinc *pronus* III. 27. 18.) occidit. Est adeo Notus sub occasum Orionis exortus. Hoc enim tempore (πανδυσίαν illud vocant, e. g. Argentar. XXIII. (Anal. Br. II. 274.) συμβὸς ὅτ' Ὠρίωνος ἀνεστρώφησε θαλάσσης βίνθος, ὑπὸ σύνγειῆς εἰδόμενον πανδυσίης. adde Iliad. Aeg. IV. 1. in Anal. Br. II. p. 474.) mare ventis maxime infestatur: δὴ τότε πάντολμον ἀνέμων θύελλαι ἄῆται. Hesiod. Ἔργ. 621. adde Theocr. ζ. 54. Virgil. Aen. VII. 719. *Saevus ubi hibernis Orion conditur undis*: qui locus translatus ex Apollon. I. 1202. χειμερίη ὀλοοῖο πέλει δύσις Ὠρίωνος. Hinc poetica ratione ipse tempestates ciere dictus. cf. V. 10. 10. et 15. 7. Virgil. Aen. I. 535. Claudian. de Laud. Stilic. I. 287. et Valer. Fl. II. 62. — *comes*, v. ad I. 26. extr.

v. 25 sqq. Sequuntur preces atque obtestationes Archytae de iustis corpori suo impertiendis. Scilicet quum omnium ferme populorum sensu atrocissimum, quod homini post mortem accidere posset, hoc haberetur, si corpus sepultura privaretur; ut huic obviam irent, partim legibus caverunt, partim, id quod ad excitandos humanitatis sensus maximi momenti erat, rem in religionem verterunt, qua et totam gentem, ad quam proiectum cadaver pertineret, pollutam atque *inosfitatam* (Virg. Aen. VI. 150.) isto, et ipsam animam, quiete negata, centum annos errare credi volebant. cf. et ad v. 30 sqq. Neque alienum erat a Pythagoreo, in hac preces descendere, quum etiam Aegyptii, a quibus Pythagoras multum profecerat, errorem istum

Particulam dare: sic, quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae, te sospite, multaque merces,
Unde

istum animae statuerent. v. Serv. ad Virg. Aen. VI. 154. Ad rem vero, et ad totum orationis habitum facit epigr. LIV. Iuliani Aegypti (Anal. Br. II. 506.) πλώειν νωτιγόν με λαβὼν, καὶ σύμμορε χώσας; πλῶε, Μαλειάων ἄκρα φυλασσόμενος· αἰεὶ δ' εὐπλοίην μεθέποις, φίλος· ἢν δέ τι ῥίξῃ ἄλλο Τύχη, τοῦν ἀντιάσοις χαρίτων. — *ne parce malignus dare*, docte, et exquisite, pro vulgari, ne tam maligno fis mimo, ut *parcas*, recuses, deneges *dare*, iniicere *arenae particulam*, ψαμμίδου μόριον βραχύ (Zonas in eadem re c. IX. 7. Anal. Br. II. 82.) paululum arenae, (*angusti date pulveris haustus* Stat. Theb. X. 427. *pulverit exigui congeriem* Lucan. VIII. 867.) *vagae*, ἀνὲς ἀγρεντῆς, mobilis, ad ornatum pertinet. — *ossibus et capiti*, omnino pro, corpori. Caput tamen in specie commemorat, quod, hocce arena conspersо, humatio absoluta putabatur. Hinc cum vi adiectum *inhumato*, quia huic maxime humatione opus erat. Apposite Zonas c. laudato: Ψυχράν σου κεφαλὴν ἐνοικήσομαι αἰγιαλίτιν θίνα, κοινὴ κεφαλοῦ χοῦμ' ἐμοὶ νέκυος.

v. 25—29. Sic prospera tibi contingat navigatio! Conversione poetica hoc extulit: Tempestas in silvas recidat, mari, quod tu pereurris, non turbato, tranquillo. Sollennis haec precandi optandique formula, de malis a nobis vel ab aliis longe propulsandis. v. ad I. 21. extr. ibique Orphei locum. *Sic* sollenne in obtestationibus; v. ad I. 3. 1. — *quodcunque minabitur Eurus fl. H.*, Euri minae, vis, impetus, quo *fluctus* in *Hesperio* mari concitentur, mare Italum commoveatur, vertatur in f. V. Praeclare *minari* de vento, qui imperium in mare exercet, nota imagine: v. ad I. 3. 12. estque multo fortius, quam Virgilii Ge. I. 462. *quid cogitet Auster*. — 27. *plectantur* f. luant, sentiant vim eius. Sed illud cum dilectu propter damna tempestate iis inflicta. — *multa merces* caet. maximumque lucrum e navigatione tibi obtingat! quanto doctius poeta! *tibi defluat, ἐς τὲ κατεῤῥεῖ* (Theocr. I. 5.) ad te defera-

Vnde poteſt, tibi defluat aequo
Ab Iove, Neptunoque ſacri cuſtode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Poſt-

deferatur, adiecta tamen abundantiae notione. v. I. 17. 15. *aequo*, hoc ipſo, quod tibi opes tribuat. — *unde*, a quo (ut ὅθεν pro ἐξ οὗ veluti Pind. Ol. 2. 82.) *poteſt* tibi merces defluere, qui largiri tibi opes poteſt: eſt enim Iupiter πλουτοδότης Orph. H. 72. 4. δῶτορ ἐάων Callim. H. in Iov. 92. Theogn. 199. χρήματα φ Διόθεν — ἀνδρὶ γένηται. ab hoc petendae ſunt divitiae, Callim. H. I. v. 96. Mireris ſane, nemini intpp. ſimpliciſſimam hanc atque unice veram in mentem veniſſe explicandi rationem. Omnes volunt dictum eſſe pro: *undecunque*, ex quacunque parte, quod tamen ferri nequit propter adiecta: *aequo ab Iove*. De Hecate Heſiod. Theog. 420. Καί τε οἱ ὄλβον ὀπάζει, ἐπεὶ δύναμίς γε πάρεστι. Similis, quae ſic interiicitur, formula eſt, *namque potes* (e. g. V. 17. 45.) δύνασαι γὰρ, de qua v. Burm. ad Valer. Fl. I. 13. — *cuſtode Tarenti*, πολιούχῳ, deo ἐγχωρίῳ. v. Spanh. ad Callim. H. in Iov. v. 81. et H. in Dian. 258. Summa adeo Neptunus Tarentinis religione colebatur, qui et urbis ſuae primordia ad Tarantem, eius filium, referebant. — *ſacri*, ob Neptuni religionem. Caeterum Neptunum Tarentinorum Archytas ad partes vocat, quia ipſe Tarentinus, adeoque Deum ſuum πατρῷον, quem ideo et potentiſſimum habebat, quemque ſuis hoc precibus daturum confidere poterat.

v. 30 — 34. Preces ſequuntur minae, atque ἀραί. Scilicet qui corpus, in quod incidiſſet, ſepulturae non tradidiſſet, is ἄγος obſtrictus erat, Deorumque adeo iram in ſe provocabat, quae et ad poſteros eius pertingebat. Locus claſſ. eſt apud Homer. Od. λ. 66. 72. 73. νῦν δέ σε τῶν ὄπιθεν γουνάζομαι οὐ παρεόντων, μή μ' ἄκλαυστον ἄθαπτον ἰὼν ὄπιθεν καταλείπειν, νοσφισθεὶς, μὴ τοί τε θεῶν μήνιμα γένωμαι, a cuius ſenſu prorſus aberravit Grot. in Floril. Stob. p. 167. ita vertendo: *maneam ne Divum obnoxius irae* inductus prava Stobaei lectione μήτοι una voce, cum ſit: *irae ne ſim tibi cauſſa deorum*. adde Sophocl. Antig. 256. — *negligis committere*, leve putas, parum curas (ut III. 6. 7. et III. 8. 25.) non dubitas *fraudem*, noxam, ſcelus, ἄγος *committere*, cuius poena in te vel in poſteros tuos redundatura ſit? Sed poſterius

Postmodo te natis fraudem committere? Fors et
Debita iura vicesque superbae
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis;
Teque

statim subiungit poeta, et prius *in te* novo membro, ulterius exornato, inclusit. — *nocituram*, quae noxam allatura est, quam luent *postmodo nati* ex *te*, *οἱ ὀπίσω παῖδες*, posteri tui (ut *posti aetas ἡ ὀπίσω γενεὴ*, Catull. LXIV. 323. *οἱ μετὰ παῖδες* Pind. Pyth. δ. 113.). Nam e crassioribus rudium populorum de Diis notionibus opinio erat, *τὰ τῶν τεκόντων σφάλματ' εἰς τοὺς ἐκγόνους τραπῆναι*, uti hos vv. Euripidis e Plutarcho constituit Grot. Exc. Trag. p. 422. Aeschyl. in Suppl. 441. *ἴσθι γὰρ παισὶ τάδε καὶ δόμοις ὁποτερῳ ἂν κτίσῃς μένει ἀντίχειν ὁμοίαν θέμιν· τάδε φράσαι δίκαια Διόθεν κράτη.* Theogn. 207. *ἀλλ' ὁ μὲν αὐτὸς ἔτισε κακὸν χρέος· ὃς δὲ φίλοισιν ἄτην ἐξοπίσω παισὶν ἐπεκρέμασεν.* — *inmeritis*, qui fraudis expertes sunt, graviter hoc adiectum, ut in Solonis c. VI. (Anal. Br. I. p. 66.) 29 sqq. *ἀλλ' ὁ μὲν αὐτίκ' ἔτισεν, ὁ δ' ὕστερον. εἰ δὲ φύγωσιν αὐτοί, μηδὲ θεῶν μοῖρ' ἐπιοῦσα κίχῃ, ἦλυθε πάντως· αὐτίκ' ἀναίτιοι ἔργα τίνουσιν ἢ παῖδες τούτων, ἢ γένος ἐξοπίσω.* Adde Nostri III. 6. 1. cf. Valkenar. ad Eurip. Phoeniss. 941. et ad Hippol. 826. — 31 *sqq.* Si graece hunc locum reddas, de sensu facile constabit: *ἀλλὰ καὶ αὐτός γε ὄφλοις* f. *τίσειας ἂν ἀξίαν δίκην*, f. *ἀμοιβήν*. *Iura* adeo *debita* sunt *δίκαι*, f. *δίκη*, *ἣν ὀφείλεις*, poena sceleri tuo proposita. *ὁμοίαν θέμιν ἀντιτίνειν* similiter Aeschyl. l. l. — *vices ἀντίποινα*, *ἀμοιβή*, *ἀμοιβαία* Νέμεσις (Anthol. I. p. 29.) ultio. Ita fere Servius iam interpretatus est ad Virgil. Aen. II. 433. monente Burm. ad Prop. I. 13. 10. qui et ipse *poenam* et *vices* simillima ratione coniunxit. — *superbas*, saevas, graves; ut et alibi, nisi forte *v. superbae* paullo audacius dictum sit pro, vices superbiae, iniuriae. — *te maneant*, forte ipse non effugias; v. ad v. 15. — 33. Variavit orationem poeta, quae sic continuanda erat: neque impune me insepultum linques, ut in Homerico: *μή μ' ἄθαπτον — καταλείπειν.* — *non linquar* a te, *precibus*, *ἀραῖς*, imprecationibus meis (v. Valken. ad Phoen. 70.) *inultis*, ita, ut vanae sint, h. Dii rationem harum detestationum habebunt, meque, insepultum

Teque piacula nulla resolvent.
Quanquam festinas, non est mora longa, licebit
Iniecto ter pulvere curras.

sum a te relictum, ulciscentur. Male alii h. l. — 34. Teque nullo piaculo exsolves isto scelere, vel, quod malim, his imprecationibus: nam *dira detestatio nulla expiatur victima* V. 5. 8. *Obstringimur, obligamur* sceleri: poenae, eo perpetrato, obnoxii; item votis, vel nostris (ut II. 8. 5.) promissa non servantes: vel alterius, pactis non stantes, aut quae iure quodam a nobis exspectari poterant, veluti humanitatis officia, omittentes, ut h. l. Rata adeo fiunt, quae nobismet ipsi, vel quae alii, quibus, quae praestari debuerant, negassemus, nobis imprecati fuerant, nisi *exsolvamur*, h. Deorum, ad quos provocatum fuerat, ultionem ac poenam sacris quibusdam ritibus, *piaculis*, *καθαρμοῖς*, avertamus. Tantum igitur scelus nautam commissurum ait Archytas, cuius poenam nullo piaculo redimere possit.

v. 35. 36. Cum tamen tam exigua et operae et temporis impensa, pauxillulo tantum terrae iniecto, huic pietatis officio satisfacere possis. In *ter* non argutandum. — *licebit curras*, porro naviges.

CARMEN XXIX.

ARGVMENTVM.

Cum Augustus, et Arabiae felicis divitiis illectus, utque novam in Parthos viam experiretur, exercitum eo duce Aelio Gallo, Aegypti praefecto, mittere in animo haberet; quod et, quanquam malo exitu a. V. DCCXXX. factum (v. Dio LIII. p. 723. Strabo XVI. p. 780. et Plin. VI. 28.) Iccius, Horatii familiaris, omisso philosophiae studio praeter omnium opinionem ad militiam se contulit, praedaeque faciundae cupiditate expeditioni isti se adiunxit. Poeta igitur hoc Iccii consilium suaviter ridens de rebus, quas in hac expeditione novus iste heros confecturus sit, facete iocatur. Idem fere incessus carminis qui I. 25. nisi quod ibi multo acerbior poeta. Nam initio ridenti similis (1 — 9. ut in illo v. 1 — 8.) mox serio cum eo agit, eique, quod philosophiae studium intermiserit, exprobrat.

AD

A D I C C I V M.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis, et acrem militiam paras
Non ante devictis Sabaeae
Regibus, horribilique Medo
Nectis

v. 1 *sqq.* Suavis oppositio: Tu, qui antea nullius rei cupiditate tenebaris, splendideque divitias, ad vitam beate agendam minime necessarias, aspernabaris; *nunc* ipsis *Arabum gazis invides*, inhias, eas appetis. Sed alterum cum dilectu: nam hoc ipsum, quod invidia Iccius ducebatur, philosophum parum decebat. Prius vero orationis membrum hoc vel simili modo supplendum satis diserte poeta innuit per adv. *nunc.* — *beatis*, quibus adeo nunc tribuis, ut te beatum efficere possit istarum possessio. Sed forte simpliciter ornat, ut *dives aurum* Tibull. III. 3. 11. *dives metallum* Avien. Descr. O. 377. Seneca Herc. fur. 166. *hic — beatas componit opes, gazis inhians*, ut libri meliores; adde Propert. II. 16. 25. Stat. Silv. I. 2. 121. Alii Arabiam *felicem* hoc epitheto innui existimant, quod ieiunum videtur; etsi omnino de Arabia felici h. l. accipiendum esse, dubitatione caret. Haec enim cum Indicarum merçium, puta, eboris, serici, odorum cuiusvis generis, et gemmarum permutatione earundemque exportatione quaestuosissima, tum sui ipsorum soli uberrimo pretiosissimarum rerum, aromatum atque auri proventu ditissima et erat, et Romanis ultra, quam vix credere licebat, habebatur. — 2. *militiam paras*, militatum abis, sed alterum praeclare, quasi dux istius in Arabas expeditionis electus, aut rem maximam in isto bello confecturus sit Iccius. Hinc *acrem* eius militiam vocat, sollenni fortitudinis bellicae epitheto. — 3. *Sabaeae regibus*, nam quaeque regio Arabiae suum habebat regulum. Sabaeam adeo, Arabiae felicis partem universe pro Arabiae regionibus, maxime felici, quam Romana arma nondum attigerant, poeta posuit, ut Virg. Ge. I. 57. Sabon Sabaeorum tum temporis principem nominat Dio LIII. 29. p. 729. — *non ante devictis*, a te scilicet nunc primum domandis;

Nectis catenas? Quae tibi virginum
Sponso necato barbara servient?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,

Doctus

dis; false admodum. — 4. *nectis catenas*, innectis catenis, in servitutem redigis, triumphum de iis acturus es (nam *catenati* (V. 7. 8.) ducebantur in triumpho devicti hostes) tum est pro simplici: bellum infers. — *Medo*, Medis, Parthis; v. ad I. 2. extr. — *horribili*, feroci (III. 2. 3.) forti. Parthos vero Arabibus adiunxit poeta, nam etiam ad hos, atque Indos spectare videbatur Galli expeditio. cf. I. 12. 56. I. 35. 31. 32. Eosdem coniunxit Prop. III. 3. 1. et 5. 6. *Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos: — Seres et Ausoniis venient provincia virgis, adsuescent Latio Partha tropaea Iovi.*

v. 5 *sqq.* Continuata irrisione Iccio praedam poeta adnumerat, fortitudini eius praemii loco cessuram. Generalem praedae notionem in specialem convertit, virginem ac puerum captivos ei adsignando. — *quae barbara virginum*, quae barbararum virginum, quae virgo barbara, exquisitiore structura. Vulgaris cum anteced. nexus erat: bellum infers Parthis, praedae, s. virginis ac pueri nobilis potiundi causa. — *sponso necato* a te: egregie hoc toti imagini exornandae inservit. Nam et feritatis ac truculentiae notam adspergit philosopho, et modum, quo virgo in servitutem eius adseritur, declarat. — 7. *puer ex aula*, e nobilioribus suae gentis, vel Arabum vel Parthorum: nisi omnino praestat de puero regio genere oriundo intelligere. Alii de puero accipiunt, qui οἰνοχόος ministerio iam in aula functus esset: quod tamen e poetae verbis vix cogas. — *ad cyathum statui, stare*, verba propria de pocillatore. *Stat Iovis ad cyathos, gesuit quem Dardanius Tros*, Auson. Idyll. de Hist. 19. v. Torrent. adde Burman. ad Prop. IV. 2. 29. Adhibebantur ad hoc ministerium pueri nobiles, formosi (Iuven. IX. 46. *tenerum et puerum te et pulchrum, et dignum cyatho caeloque putabas.* adde XIII. 44.) vestitu exornati splendido (Cic. de fin. II. 23. *Adsint etiam formosi pueri, qui ministrent, resplendeat his vestis.*) coronati (I. 38. 2.) eleganter comti atque unguentis delibuti. Iam cum hi ad lautioris convivii apparatum pertinerent (nam in modica coena

plebeios

Doctus ſagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis
Pronos relabi poſſe rivos
Montibus, et Tiberim reverti;

Cum

plebeios calices — porrigit inculcus puer — non Phryx aut Lycius, Iuven. XI. 145.) docte Horatius Iccii delicatius atque luxurioſius, quam philoſophum deceret, vitae genus futurum, a parte deſignans, univerſe comprehendit. — 9. Nobile pueri genus ulterius declarat poeta, ab artibus gentis ſuae ingenuis, iaculandi peritia. *Doctus tendere*, εἰδὼς τείνειν, pro, tendendi *ſagittas*, h. iaculandi peritus, τόξων εὖ εἰδώς. Proprie vero arcus ſ. nervus tenditur, tum inverſione poetica, ſagittae arcui tenſo impoſitae, et ad ſcopum aliquem directae. — *Sericas* epitheto a gento, quae in eadem arte excelleret, deſumto. Sic habes *arcum Cydonium* (IV. 9. 17.) *calamum Gnoſium* (I. 15. 17.) et al. Nota vero ſatis Serum, ut omnino populorum Orientis, ſagittandi dexteritas vel ex Heliodori lib. 9. Alii quendam e Seribus captum a poeta innui exiſtimant: ad quos etſi haec expeditio etiam ſpectare potuerit (nam eos diſerte memorat I. 12. 56.) paulo diſertius tamen exſpectaſſes hoc traditum a poeta. — *paterno* a patre edoctus hanc artem, vel, quod ſimplicius eſt, more gentis ſuae ſagittandi peritus.

v. 10 *ſqq.* Mutato ſententiarum colore aperte iam Iccio poeta exprobrat, quod philoſophiae ſtudio relicto miles factus ſit, et exſpectationem, quam maximam de doctrina atque ingenio eius excitaſſet, turpiter eluſerit. Satis tamen urbane ei mutatum vitae genus obiicit; mirari ſe tantum dicens, quod militiam philoſophiae, peiora melioribus praeferre potuerit. Rem, quae praeter omnium opinionem accidit, incredibilem, per ἀδύνατον extulit poeta, noto more. — *Quis neget*, amplius dubitet, nunc non credat, *pronos relabi* prono curſu referri, retro fluere *poſſe montibus* (tertio caſu) in montes, ad fontes ſuos. Suaviter *pronos* vocat, undam verſus montem, tanquam in declivia loca urgentes. Alii iungunt: *pronos* h. decurrentes *arduis montibus*, cum Cruquii Schol. Sed altera ratio exquiſitior eſt, et convenientior Euripidis loco, Med. 410. ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι πηγαί, quem reſpexere Lucian. Dial. Mort. VI. 2. Alciphron Ep.

Cum tu coëmtos undique nobiles
Libros Panaetii, Socraticam et domum,
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

33. libri III. et Cic. ad Attic. XV. 4. Latinorum poetarum loca ſtudioſe collecta vide ad Ovid. Her. V. 30. et a Burm. ad Prop. I. 15. 29. et II. 12. 33. — *reverti*, retro verti poſſe. — 13 *ſqq.* Ex quo *tu*, cum vi, qui tam cordatus homo es, *tendis mutare*, mutaturus es, permutare cogitas philoſophiam cum militia. Pro hoc, quo magis temeritas eius pateat, opponuntur invicem libri philoſophici, et arma, χρύσεα χαλκείων. Pro libris in ſpecie Panaetii et Socraticae domus ſcripta, et pro armis loricas cum dilectu poſuit. *Panaetius* Rhodius, Stoicorum princeps, Scipioni et Laelio erat familiariſſimus, eorundemque praeceptor. Memorantur inprimis eius libri περὶ τοῦ καθήκοντος, Cic. de Off. I. 2. de dolore patiendo Id. de fin. IV. 9. de Magiſtratibus Id. Legg. III. 6. alii. — 14. *Socraticam domum*, ſectam Socratis, libros philoſophiae academicae, *relliquias domus Socraticae*, uti carmina ſua philoſophica vocat Veſtritius Spurinna apud Wernsdorf. Poet. min. III. p. 352. Sed et univerſe philoſophiam nomine Socratis deſignat poeta III. 21. 9. per *Socraticos ſermones* et A. P. 310. *Socraticas chartas* (ut *Socraticos libros* poſuit Prop. II. 34. 27.) *Domus* de Philoſophis, qui eiusdem ſunt ſectae vel familiae. v. Gronov. ad Senec. de Benef. V. 15. — *Iberis*, e ferro praeſtantiſſimo; nam Hiſpaniae ferrum cum per ſe tum temperatura in optimis a Romanis habebatur. — 16. *Pollicitus meliora*, qui meliorem vitae rationem inſtituiſſes, philoſophiae ſtudiis intentus, nunc peiora iis ſecutus, militiam.

CAR-

CARMEN XXX.

ARGVMENTVM.

Ad carmina veterum κλητικὰ *venustum hoc odarium omnino referendum videtur. Cum enim ex antiquissima opinione Dii sacris adesse putarentur, (unde quoque, cum in diversis locis fierent, Deorum* ἐπιδημίαι *ortae) Horatius, usus prisco hoc figmento, Venerem rogat, ut se ad sacrum in Glycerae aedibus faciendum conferat. Comitatus Veneris, ad exornandam hanc ideam unice appositus, fraudi fuit quibusdam, ut reconditiora hic latere, poetamque sanctiori imagine Glycerae amorem sibi expetere suspicarentur. Cuius quidem suspicionis nulla idonea caussa reperiri potest; et poeta ubique amores suos fateri, ac de perfidia et obstinato puellarum animo haud tecte solet conqueri. Similes colores habet fragm. Anacr. apud Fisch. p. 271.* ὦ ναξ, πανδαμάτωρ Ἔρως, ᾧ Νύμφαι κυανώπιδες, πορφυρέη τ' Ἀφροδίτη, χρυσῷ δὴ ἐκασμένη, συμπαίζουσιν· — γουνοῦμαί σε· σὺ δ' εὐμενὴς ἔλθ' ἡμῖν, κεχαρισμένης δ' εὐχωλῆς ἐπάκουσον.

AD VENEREM.

O Venus, regina Gnidi Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis
Ture te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.

Fervi-

v. 1 *ſqq. Regina Gnidi*, ἄνασσα, μεδέουσα Κνίδου, ut Diana Αὐλίδος ἄνασσα Eurip. Iphig. Aul. 434. v. ad I. 3. 1. *Gnidus* urbs Doridis in Caria, Veneris religione eiusque ſimulacro a Praxitele ſculpto celeberrima. vide Pauſan. Attic. I. 20. Plin. XXXVI. 5. cf. Heynii Antiq. Auſſ. I. p. 125. *Paphus* Cypri oppidum, et ipſum Veneris cultu celebratiſſimum. v. vel Virg. Aen. I. 415. — *ſperne*, poſthabe novae ſedi, relinque *Cypron*, quamvis *dilectam*, placitam, etſi lubenter ibi commoreris. *Sperni* priſco ſermone dicuntur, quae aliis rebus poſtponuntur: *amari* contra, quae praeferuntur, de locis adeo, ubi verſari volupe eſt. Sic Virgiliana Iuno Aen. I. 16. Carthaginem fertur *terris magis omnibus unam* vel *poſthabita coluiſſe Samo*, eamque tutatam eſſe (ita forte, exuto ornatu, accipienda illa, *hic illius arma, hic currus fuit*, etiam propter ſqq. Eodem colore Dianam tutelarem Epheſiorum Deam declarat Callim. H. in eandem v. 258. Ἐφέσου τεὰ τόξα πρόκειται.) Poetae forte ob oculos fuit Alcmanis fr. apud Steph. carm. lyr. p. 628. Κύπρον ἱμεραὶν λιποῖσα καὶ Πάφον περιῤῥύταν. — *vocantis ture*, tus tibi adolentis, ture multo incenſo te ad ſe vocantis, ut iſti ſacro interſis. Virg. Ge. I. 347. *Et Cererem clamore vocent in tecta*, ubi Noſtri locum non praetermiſit Heynii diligentia. Alii, *vocantis*, invocantis te, ſatis languide. Tus poeta omnino pro ſacrificio poſuit: etſi eius uſus in Veneris ſacris ſatis frequens. v. I. 19. 14. — 4. *transfer* confer *te*, nihil amplius. Nam ad evocandorum numinum ritum, cui proprium eſt hoc verbum, poeta vix reſpexit. — *aedem*, domum, ut *tecta* in Virg. l. l. Antiquus is vocabuli ſignificatus eſſe debuit, ſicque docte illud adhibuit Horatius. Male alii de ſacello capiunt. — *decoram*, eleganter ad hoc ſacrum exor-

Fervidus tecum Puer, et solutis
Gratiae zonis, properentque Nymphae,
Et parum comis sine te Iuventas,
Mercuriusque.

exornatam. *Ridet argento domus*, in simili apparatu IV. 11. 6.

v. 5—8. Suavissima imago Veneris Deorum comitatu adventantis! — *Properent*, adsint *tecum Puer fervidus*, fervens, λάβρος Ἔρως, et sim. Sic *fervidi iuvenes* III. 13. extr. — *Gratiae* perpetuae Veneris comites: σὺν γὰρ ὑμῖν (Χάρισι) τὰ τερπνὰ καὶ τὰ γλυκέα γίνεται πάντα βροτοῖς Pind. Ol. XIII. 7. 8. cf. I. 4. 5 sq. — *solutis zonis*, discinctae; in Gratiis enim *nihil esse alliguti decet*, *nec adstricti*: (male legitur *adscripti*) solutis *itaque* tunicis *utuntur*: *pellucidis autem*. Seneca de Benef. I. 3. Ita quoque conspiciuntur in Monumm. antiquis: e. g. apud Ogle de antiquis gemmis caelatis p. 167. cf. Winkelm. Mon. ined. p. 57. Suavi autem phantasmate Gratiarum pepla ab Amore surrepta fingit Auctor Epigr. in Anthol. gr. IV. p. 491. Colorem e nostro loco duxisse videtur Statius Silv. I. 5. 15. de Nymphis: *Ite deae virides, liquidosque advertite vultus — veste nihil tectae*: pravo utique iudicii acumine. — 7. *Iuventas*, Ἥβη Graecorum, et ipsa in Veneris comitatu apud Homer. H. in Ap. 195. cf. Claudian. de Nupt. Hon. 84. — *parum comis*, minus suavis, *sine te*; inversa oratione, pro, quae per te maius decus, maiorem venustatem adquirit. Adposite Kenoph. in Sympos. init. (p. 117. ed. Bach.) οἱ ὑπὸ τοῦ σώφρονος Ἔρωτος ἔνθεοι, τά τε ὄμματα φιλοφρονεστέρως ἔχουσι, καὶ τὴν φωνὴν πραοτέραν ποιοῦνται, καὶ τὰ σχήματα εἰς τὸ ἐλευθεριώτατον ἄγουσιν. — *Mercurius* Veneri comes additus propter εὐεξίαν (cf. I. 10. 4.) vel, quod malim, propter facundiam et vim persuasivam amoris. Sic Veneris cesto (Homer. Il. ξ. 216.) praeter alia inerant, ἀαριστὺς, πάρφασις, ἥ τ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων. Sic Pandorae (Hesiod. Ἔργ. 77. 78.) στήθεσσι διάκτορος Ἀργειφόντης ψεύδεά θ' αἱμυλίους τε λόγους καὶ ἐπίκλοπον ἦθος τεῦξε.

CAR-

CARMEN XXXI.

ARGVMENTVM.

Quum a. V. DCCXXVI. templum Apollinis in Palatio dedicaret Augustus, (v. Dio LIII. 1.) sollennitatem huius diei poeta privata religione prosecutus preces pro se, ut vate, facit. Quarum quidem rationem ac modum ita circumscribit, ut, quum alii divitias omninoque lautioris vitae delicias summam votorum suorum isto die faciant, lautitias istas, ut consentaneum erat, aspernatus, tenuem contra victum, tum animum, qui ab augendi cupiditate alienus partis secure fruatur, rectamque valetudinem cum mente sana, quaeque ad extremam senectutem vegeta permaneat, haec unice ab Apolline precetur. — Elocutio carminis augusta ac splendida, ut decebat in tali argumento: ornatus in singulis exquisitus et copiosus: doctrina quoque haud vulgaris, maxime in declaranda divitiarum atque lautitiarum, quibus alii se beatos censent, notione.

AD

A D A P O L L I N E M.

Quid dedicatum poſcit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimas
Sardiniae ſegetes feracis;

Non

v. 1—3. Orditur quidem poeta, quaſi dubitet, ac ſecum ipſe deliberet, quae maxime ſibi hoc feſto die ab Apolline expetenda ſint; votorum tamen ſuorum rationem haud ambigue ipſi ſtatim dubitationi praeclaro artificio intexit. Dum enim auguſtam *vatis* ſ. ſacerdotis Apollinis ac Muſarum (v. ad III. I. 3.) perſonam ſumit, facile exſpectare licet, ſe, ſupra inania vulgi vota elatum, non niſi ea, quae hominem ſanctum, vitae adeo innocentia, atque *αὐταρκείᾳ* conſpicuum haud dedeceant, optaturum. Summa igitur cum vi poſitum, *quid* vates *poſcit Apollinem?* pro tenui, quid *ego* poſcam Ap. — *dedicatum*, nova aede in monte Palatino ab Auguſto conſecratum. *Dedicatur* Deus, abſolute, qui inter Deos *ἐγχωρίους* recipitur, inſtitutis ei publice certis ſacris, caerimoniis, ſacerdotibus, erectaque ei ara et templo: etiam is, cui iam recepto nova tantum appellatione, ut h. l. Apollinis, *Palatino* nova aedes ac nova ſacra inſtituuntur. Sic Ovid. Faſt. VI. 637. *te quoque magnifica, Concordia, dedicat aede Livia*, cognomine *Virilis* ſ. *Maritalis*. Sic Tiberius *Apollinem Temenitem viderat per quietem affirmantem ſibi, non poſſe ſe ab ipſo dedicari*, Suet. in Tiber. c. 74. Illud etiam *conſecratio* dicebatur. Vtrumque adhibuit Cic. Nat. D. II. 23. *ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio* dedicatas *videmus proxime a M. Aemilio Scauro; ante autem ab Atilio Calatino erat Fides* conſecrata. cf. Id. de Legg. II. 28. — 2. inter libandum. *Paterae* ſollennis mentio in libationibus. v. III. 5. 33. — *liquorem*, in re ſacra, vinum, *laticum honorem libare* Virg. Aen. I. 736. *laticem ſacrum* Sil. VII. 164. — *novum*, hornum, nam vino horno libari, uti *horna fruge immolari* (III. 5. 3.) ſolebat. Petron. c. CXXX. noſtri loci forte memor, *ſpumabit pateris hornus liquor.*

v. 3—8. Poeta non, *quae prima fere vota, et cunctis notiſſima*

Non aestuosae grata Calabriae
Armenta; non aurum, aut ebur Indicum;
Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.

Premant

tissima templis. (Iuven. X. 23.) *divitias* optat. Exquisite has per enumerationem declarat desiumtis a suo populo divitiarum generibus. Brevior in eadem re Pindarus Nem. VIII. 63. aliter quoque inflexa sententia: χρυσὸν εὔχονται, πτόλιν δ' ἕτερος ἀπέραντον· ἐγὼ δ' ἀστοῖς ἁδὺν (unde φίλος ἀστοῖς Πίνδαρος Platoni c. XXVIII. in Anal. Br. T. I. p. 174. dictus) χθονὶ γυῖα καλύψαιμι. — *non* latas agrorum possessiones, latifundia οὐ στέργω βαθυλήϊους ἀρούρας, οὐκ ὄλβον πολύχρυσον, οἷα Γύγης, αὐτάρκεας ἔραμαι βίου Alpheus IV. (Anal. Br. II. 129.) — *Sardiniae*, tanquam fertilissimae. *Benignissimam* eam *urbis Romae nutricem* vocat Val. Max. VII. 6. et *propensae Cereris nutritam favore* Sil. It. XII. 375. adde Melam II. et Plin. H. N. III. 7. *Opimas segetes*, uberem proventum Sard. (ut I. 1. 7. 8.) pro, opimos agros, πίονας ἀγροὺς Hom. Il. ψ. 832. *pinguia culta* Virg. Ge. IV. 372. Observent tirones concinnam epithetorum collocationem. — 5. non armentorum greges: qui praecipua tum divitiarum pars erant. v. II. 16. 33. *Armenta Calabriae*, quae in Calabria pasci solent. Frequens enim erat ista regio pascuis, εὔβοτος inde dicta Straboni L. VI. 431. cf. Plin. H. N. III. 11. et ad V. 1. 27. — *aestuosae*, solis ardore inaestuantis, ferventis. v. I. 22. 5. — *grata* adspectu, laeta, nitida, pinguia; nihil amplius. Alii aliter. — 6. *aurum* parum opportune specialibus divitiarum notionibus intextum videri possit: sed capiendum h. l. de luxu Romanorum, quo aedes ac villas aurea vel inaurata supellectili exornarent. Hinc semper fere, ut h. l., iungitur *ebori*, quod et ipsum insano more ad istum usum appetebant Romani, lautitiarum harum studiosissimi Ovid. Medic. fac. 10. *Sectile deliciis India praebet ebur.* cf. II. 18. 1. — *Indicum*, Virg. Ge. I. 57. — *non rura*, quae Liris praeterfluit. *Liris* fluvius in finibus Latii et Campaniae, quae et fertilissima (*uberis arva Falerni, dives ea et nunquam tellus mentita Colono*, Sil. VII. 159. 160.) propter caeli temperiem, tum et amoenissimae ibi villae, et nobilissimae in collibus Formianis et monte Massico

Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem: dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce,

Dis

co vineae erant. — *mordet*, ξαίνει, ὑποξύει (ut Marian. III. 10. in Anal. Br. II. p. 512. ποταμὸς — πέζαν ὑποξύει αὐτοφύτου κάπης. Callim. ep. XLVI. 3. πολλάκι λήθει τοῖχον ὑποτρώγων ἡσύχιος ποταμός. Alia v. apud Ruhnk. Ep. Crit. II. p. 151. ed. II.) terram alluens. Lucil. Iun. Aetn. 110. (in Wernsdorf. Poet. min. IV. P. I. p. 111.) *lympha perenni edit humum lima, furtimque obstantia mollit.* Claudian. de Cons. Prob. 259. de hoc ipso fluvio: *terens querceta Maricae Liris.* Alias dicunt *lambere* (I. 22. 4.) *stringere, radere:* Priscian. Perieg. 69. 70. *Has* stringens *pelago terras, circumfluus illis montibus aut* radens *suppositas urbibus oras.* Ita ibi legendum e Dionys. Per. 61. ἢ ὀρέων ἢ πέζαν ὑποξύουσα πολήων. — *quieta* et *taciturnus* de leni eius cursu. Sil. IV. 350. *Liris qui fonte quieto dissimulat cursum, ac nullo mutabilis imbri perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas.*

v. 9 — 14. Equidem ista rura vitibus consita votis mihi non expeto; pro hoc, variata oratione: aliis istas vineas Campanas non invideo; nam ad proxime antecedentia haec spectare, facile eo vel vitis Calena ducit. Iam vide quo ornatu hanc sententiam perpoliverit. Pro, alii possideant, est, alii colant, (ut III. 1. 9. *Est ut viro vir latius ordinet arbusta sulcis.*) et pro hoc, specialis ac praecipua vitibus impendendae cura ponitur, quae est in amputatione. Tum in elocutione mirum ornatum facile sentias. *Premant*, compescant falce, putent *vitem*, *inutiles* vitium *ramos* (V. 2. 11.) cf. Virg. Ge. II. 401. *Premere falce* pro succidere, Virgil. Ge. I. 157. Calpurn. Ecl. V. 111. Tum epithet. *Calenà* docte *falci* dedit, quod ad vitem proprie spectabat. Sic I. 20. 9. *praelum Calenum* et III. 16. 34. *Lassstrygoniam amphoram* dixit. — *quibus dedit fortuna*, quibus hoc datum est, quibus licet. Adiectum hoc a poeta, ut invidiae se expertem profiteatur. — 10. Nova sententia, (ad quam tamen ab antecedentibus paratus erat transitus) qua lautitias vitae poeta deprecatur. Vivide has ostendit in homine, mercaturam faciente, et inde instrumenta luxus atque lautioris vitae sibi parante. Luxum

istum

Dis carus ipsis; quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune. Me pascant olivae,
Me cichorea, levesque malvae.

Frui

istum speciali idea declarat per vina transmarina, eaque pretiosissima, atque *aurea* pocula, quibus se mercator ingurgitat. Simili ornatu Virgil. Ge. II. 505. *Hic petit excidiis urbem* — *ut gemma bibat, et Sarrano indormiat ostro.* — *Cululli* proprie calices fictiles, quibus Pontifices, Virginesque Vestales in sacris utebantur, iuxta Scholl. tum omnino de quibusvis grandioribus poculis ut A. P. 434. — *exsiccet cul. vina*, exquisitiore structura, pro, exsiccet culullos (ut *cadi cum faece siccati* I. 35. 27.) vino epoto, vinum bibat ex aureis culullis. Sed alterum ἐνεργέστερον. — *reparata*, parata (nam verba cum *re* composita pro simplicibus fere adhibere solet Horatius. v. c. I. 37. 24. etsi h. l. ad iteratam mercium permutationem trahere possis, mercatore suas cum Syriis, tum has cum vino commutante) permutata *mercibus Syriis*, aromatis, et unguentis, ex India atque Arabia in Syriae ac Phoeniciae maritima oppida convectis, et inde Romam delatis. — 13. Nexus: Mercatura ei, unde pretiosissima vina paret, suppeditante. *Dis carus ipsis*, Diis ipsis curam eius gerentibus, divitias ei largientibus, antiqua notione. Homer. Il. β. 668. de Rhodiis: ἐφίλησεν γὰρ Διὸς, — καὶ σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων. Hesiod. Ἔργ. 308. ἀφνειοὶ μήλοισι, φίλοι μακάρεσσι θεοῖσι. cf. ad I. 26. 1. — 14. dum *impune*, absque iactura; sine naufragio (cf. I. 17. 5.) saepius quotannis mercaturae faciendae caussa vel *aequor Atlanticum*, littora Africae et Hispaniae, maxime fretum Gaditanum *revisit*, adit, sicque ex crebra mercium permutatione maximum lucrum capit. *Aequor Atlanticum* poeta posuit, tanquam remotissimum, (ut *Hesperia ultima* I. 36. 4.) etsi ultra Gades Romani vix navigaverint. Facile vero perspicitur a poeta h. l. exaggerari omnia, ut luxuriosi hominis imaginem, longissima itinera atque pericula, quo magis luxu diffluere possit, continuo repetentis, vividissime ob oculos poneret.

v. 15. 16. Ego, facili ac tenui victu corpus alens, istas delicias non appeto, fastidio. Praeclare vero istis longe arcessitis, aegreque et cum vitae periculo

Frui paratis et valido mihi,
Latoë, dones, et, precor, integra
Cum

periculo quaesitis lautitiis opponit vilia atque opera levi parabilia, *olivam*, (cf. V. 12. 56.) et ex plantis hortensibus *cichoreum*, κιχορεῖον, s. κιχώριον (nostris *Endivie*) v. Theophr. II. Plant. VII. 11. Plin. H. N. XXI. 15. et *malvam*, μαλάχην, plantam corpori saluberrimam, cf. V. 2. 57. 58. Hesiod. Ἔργ. 41. Hinc *levem*, quae stomachum non gravat. Ventrem etiam movere credita. cf. Martial. III. 89.

v. 17 *sqq.* Sequitur sollennis conversio ad Apollinem in fine carminis, cum votorum expositione e priscorum Hymnorum ratione. Dignae vero vate preces, digna, quae Apollo exaudiat, vota! — *Latoe*, Λατῷε, sili Latonae, Apollo, *dones* δὸς (quod sollenne Hymnorum) da *mihi et valido quoad corpus et integra cum mente*, ἁγνῇ ψυχῇ, animo ab omni scelere puro (v. ad I. 22. 1.) σωφρονοῦντι, *frui p.* graece, pro, da ut corpore atque animo valens *fruar paratis*, τοῖς οὖσι, partis. Praeclarum vero continentiae votum, Horatio *nihil supra Deos lacessenti* (II. 18. 11.) perquam familiare. Ostendit igitur poeta animum divitias splendide aspernantem, ac de praesentium bonorum recto usu unice sollicitum. Simillimae sententiae occurrunt in Menandri Κόλακι (apud Athen. XIV. 22. p. 659. et inde in Grotii Exc. p. 731.) σπονδή — εὐχώμεθα Ὀλυμπίοισι πᾶσι, πάσαις — διδόναι σωτηρίαν, ὑγίειαν, ἀγαθὰ πολλὰ, τῶν ὄντων τε νῦν ἀγαθῶν ὄνησιν. Alii post Acronem *parata* exponunt, quae in promtu sunt omnibus, τὰ εὐτελῆ, quo sensu etsi h. v. recte adhiberi potest (Seneca Ep. XC. *ad* parata *nati sumus; nos omnia nobis difficilia* facilium *fastidio fecimus*) rationi tamen totius carminis, qua se divitiarum caussa vota facturum negat, alter modus magis convenire videtur, cum hic ad proxime antecedentia tantum referri possit. Vt taceam, ieiuni quid ipsis votis sic inferri. — 19. *nec turpem*, tristitia deturpatam, tristem, morosam, γῆρας ἀτερπὲς, λυπηρὸν, adeoque senectutem hilarem, suavem, iucundam. Hinc perspicuitatis caussa adiectum puta, *nec cithara carentem*, quae adhuc cantu delectetur, atque exhilaretur. Alii *turpem* vitiis, vel per λιτότητα, honoratam: neutrum ad sensum carminis, αὐταρκείας notionem ubique ingerentis. Ad sententiam poetae Eurip. Herc. fur. 676 sqq. μὴ ζῴην μετ' ἀμουσίας, αἰεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην. ἔτι τοὶ

Cum mente; nec turpem ſenectam
Degere, nec cithara carentem.

γήρων ἀοιδοῖς κελαδῶ Μνημοσύναν (Mnemoſynen, Muſas, ut mihi adſint, ex more invocem). Id. in Erecht. fragm. in Stob. floril. Grot. p. 211. μετὰ δ' ἡσυχίας πολιῷ γήρᾳ συνοικοίην, ἀείδοιμι δὲ στεφάνοις κάρα πολιὸν στεφανώσας. E Theognideis ſpectant huc vv. 769. 770. τόδ' (σοφίης μελέδημα) αἰὲν ἔχων τερποίμην φόρμιγγι καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ, καὶ μετὰ τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὸν ἔχοιμι νόον.

CARMEN XXXII.

ARGVMENTVM.

Odarii huius initium ludentem potius, quam argumento alicui intentum ac praeparatum poetam prodit. Animo enim remissiori atque otioso indulgens poeta sollemni ritu lyram invocat, ut carmen sibi suppeditet, et in hac ipsa statim omnes suas cogitationes subita conversione defigit: dumque huius vim ac virtutes exponit, totius simul poeseos, maxime lyricae, laudes complectitur. Ita carmen exiit fortuiti magis, ut ita dicam, argumenti, atque effusum potius, quam laboriose anxieque expressum. Dum vero eosdem modos, quos olim Alcaeo suggesserit, poeta lyram poscit, haud obscure se et Alcaei imitatorem, simulque Romanae fidicinem lyrae (IV. 3. 23.) h. poeseos lyricae inter Romanos auctorem profitetur. cf. omnino IV. 3. — Initium atque incessus totius carminis paullo insolentior effecit, ut Intpp. suum potius quam poetae sensum secuti, diverso quisque modo, summam carminis constituerent. Alii enim Horatium hoc carmen composuisse existimant, cum a Maecenate vel ipso etiam Augusto invitatus esset ad scribendum sollemnius aliquod carmen forte feriis Latinis aut Apollinaribus ludis canendum: alii eo tempore factum autumant, quum posceretur sua dicta (uti Scholl. eloquuntur) edere: alii denique carmini saeculari, quod Augustus ei iniunxisset, praelusum a poeta volunt: Iani

tandem Horatium a Maecenate aliove amico in lyram suam carmen facere iussum contendit. Quas quidem VV. DD. opiniones, e prava, ut nobis quidem videtur, primorum vv. interpunctione atque interpretatione enatas, cum nulli idoneo superstructae sint fundamento, pluribus refellere nihil attinet.

AD

A D L Y R A M.

Poſcimur: — ſi quid vacui ſub umbra
Luſimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat, et plures, — age, dic Latinum,
Barbite, carmen,
Leſbio

v. 1 ſqq. *Poſcimur*, poſcor, impellor, impelli me ſentio ad canendum, θυμὸς ἐποτρύνει ἀείδειν, Apollinis vel Muſarum impulſu. Eundem enim, quem vates, poetae furorem ſimulant, ſeque Apollinis vel Muſarum ἰφετμαῖς (Orph. Arg. 6.) ad pangenda carmina excitari, et quae eae *dictent* (Prop. IV. 1. 133.) ſe effari aliis perſuaſum haberi volunt. Stat. Silv. IV. 4. 95. *vocat arcitenens alio Pater*, h. aliud me carmen adgredi iubet. Id. initio Thebaidis: *evolvere Thebas Pierius menti calor incidit: unde iubetis ire deae?* Claudian. de R. P. I. init. — *prodere cantu mens congeſta iubet.* — *Iam furor humanos noſtro de pectore ſenſus expulit, et totum ſpirant praecordia Phoebum.* Hoc loco ſimpliciter eſt, fert animus, lubet aliquod carmen lyra modulari, ſcribere, nihil amplius. Hortatur igitur lyram, ut ſibi numeroſe nunc accinat, quae nec antea ſibi invocanti defuerit. — *Age dic*, ede *carmen*, ſonos, modulos carminis, carmine *latino* nunc reſona, qui olim *graeca* Alcaei ἄσματα reddideris, expreſſeris. Quum ad lyram carmina olim canerentur, ratio in promtu eſt, cur is, qui carmen ſcribit, lyram pulſare, et lyra, quae illud numeris refert, ipſum carmen modulari, fundere dicatur. cf. III. 11. 7. Idem color in Sapphus fr. ἄγε μοι, δῖα χέλυ, φωνάεσσα γένοιο. Theogn. 739. φόρμιγξ δ' αὖ φθέγγου θ' ἱερὸν μέλος ἠδὲ καὶ αὐλός. — *Si quid* olim cecini *tecum*, tuas fides pulſando, quod in hunc et plures in annos vivat, dignum adeo, quod ad poſterorum memoriam perveniat, quod perpetuo placeat: doete pro vulgari, ſi digne fides tuas percuſſi. Sollennis haec poetarum ratio, ut, evulgatis iam aliquot carminibus, quae cum plauſu a civibus ſuis excepta noſſent, in novi argumenti tractatione Apollinis, Muſarum vel adeo lyrae opem certiorem atque praeſentiorem

Lesbio primum modulate civi;
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive iactatam religarat udo
Litore navim,

Libe-

sibi spondeant. Valer. Flacc. I. 5—7. *Phoebe mone; si Cymeae mihi conscia vatis stat casta cortina domo; si laurea digna fronte viret.* Stat. Achill. I. 8. *Tu modo, si veteres digno deplevimus haustu, da fontes mihi, Phoebe, novos, ac fronde secunda necte comas;* et inde Olymp. Nemes. (iuxta Wernsd. in Poet. min. T. I. p. 282.) Laud. Herc. 6—9. — *Si* sollennis obtestandi precandique formula. v. Bentl. h. l. et Heyn. ad Virg. Aen. IX. 406. Idem vero orationis color, ut IV. 9. 9. *nec si quid olim lusit Anacreon* caet. — *vacui* curis, *curis expeditis* (I. 22. 11.) adeoque otiosi, nullis negotiis districti; cf. I. 26. init. — *sub umbra* praeclare ad exornandam τοῦ *vacui* imaginem adiectum. Ovid. Amor. II. 18. 3. *Nos, Macer, ignavi Veneris cessamus in umbra*, h. amatoria carmina ludimus. Martial. IX. 84. nostri forte loci memor: *Haec ego Pieria ludebam tutus in umbra.* — *ludere* alias de carminibus levioris argumenti, hic vero de quibusvis intelligendum. Sic παίζειν Graecis, veluti Pind. Ol. I. 24. οἷα παίζομεν φίλαν πρὸς τράπεζαν. cf. Ruhnk. ad Tim. p. 222. — *tecum* suaviter! nam lyra poetae est συμπαίστρια, dum modos carminis exprimit. Virgil. Ecl. VIII. 21. *Incipe Maenalios mecum mea tibia versus.* Sic ὕμνος φόρμιγγι συνοίμιος Apollon. Rh. II. 161. *et hunc in annum et plures*, κὴ νῦν κήπειτα, s. ἐς ὥρας, graeca suavitate, pro, diu, perpetuo. v. Valken. ad Theocr. Adoniaz. p. 370. — *Vivere* de carminibus, v. ad IV. 9. 11. De barbito, quo omnino lyrica poesis designatur, v. I. 1. 34.

v. 5 *sqq.* O barbite Alcaei, ὦ Λεσβῷε βάρβιτε! nihil amplius; nam reliqua ad ornatum spectant. Satis diserte hac appellatione poeta innuit, se in argumentis carminum, eorumque tractatione Alcaeum maxime secutum esse. Nam *barbitos Alcaei* dicitur, uti *sides Teïa* (I. 17. 18.) quae carmina Anacreonteis similia, λύρα Ὁμήρου (Anacr. XLVIII.) quae epica refert. Potest tamen simpliciter ornatus caussa adiectum videri, ad lyricam omnino poesin declarandam. — *modulate*, qui pulsatus es (passive) *Lesbio* civi

Liberum et Musas, Veneremque, et illi
Semper haerentem Puerum canebat,
Et Lycum, nigris oculis nigroque
Crine decorum.

O

civi a Lesbio cive, Alcaeo. Ita fere expediunt h. l. intpp. Nihil tamen impedit, quo minus simplicius interpretemur: qui modulatus es, h. qui carmen edidisti, suggessisti primum Lesbio civi, Alcaeo. Nam proprie modulatur lyrâ poeta, qui eam pulsat; tum exquisitiore ratione et ipsa modulari dicitur, quae *modos dicit* (III. 11. 7.) *carmen dicit*, quo eodem orationis colore versu proximo usus fuerat. Sic non opus erit passiva significatione accipere. — *Primum*, praecipue, maxime. Nam per Alcaeum maxime lyrica poesis exculta fuit. Inventorem barbiti Terpandrum Lesbium tradit Pindarus apud Athen. XIV. p. 635. — 6. Docte iam aliquot Alcaei carminum argumenta enumerat poeta, in lusibus et amoribus occupata. cf. Hermes. El. v. 47—50. Gravioris argumenti erant *minaces* eius *Camenae* (IV. 9. 7.) quibus *tyrannos insectabatur*. (Quinctil. X. 1.) Sed illorum tantum meminit poeta, ut suavior oppositio fieret: Alcaeus bello fortis, idemque amatoriorum carminum scriptor. — *Qui*, *ferox bello*, bellicosus, αἰχμητὴς ὢν, πολεμικὸς γενόμενος (ut Athen. de eo L. XIV. p. 623.) *inter arma* sive terrestre (propter v. s.) bellum gereret, *sive navim* ventis *iactatam*, quae altum non amplius tenere posset, *religarat*, alligarat (de hoc τοῦ *religare* usu loquendi adi Gronov. Diatr. Stat. c. XXXIV. et Valken. ad Hippol. 752. adde Lucan. Pharf. VII. 860.) e prisco more (v. ad I. 14. 6.) litore *udo*, ἁλικτύπῳ. Postrema haec accipiunt fere: sive in portu quiescebat: quo tota oppositionis vis enervatur. Imo maximum sententiae recte constituendae momentum τῷ *iactatam* inest, Alcaeum nimirum, quamvis navis eius ita adflicta esset, ut litus sibi petendum esset, *tamen Lib.* caet. — *Liberum*, spectant haec ad Alcaei ᾄσματα παροίνια, quorum fragmenta nonnulla servavit Athen. IX. 8. p. 430. Male vero faciunt, qui haec numina unius eiusdemque carminis argumentum fuisse arbitrantur, et ad illustrandam istorum συνεδρίαν multa vano studio constipant. — 10. *Puerum*, παῖδα, filium *semper haerentem* Veneri, adhaerentem, assiduum Veneris comitem. — 11. *Lycum*, Alcaei amasium, *nigris oculis dec.*

O decus Phoebi, et dapibus supremi
Grata testudo Iovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cumque salve
. . . . . Rite vocanti.

ἰοβλέφαρον, cf. Anacr. 29. 4. adde Schrader. ad Mus. p. 190. Sunt haud dubie epitheta ab ipso Alcaeo isti Lyco tributa. Respexit ad ista in Lycum carmina Cic. de Nat. D. I. 18. *Nobis, qui adolescentibus delectamur, etiam vitia saepe iucunda sunt. Naevus in articulo pueri delectat Alcaeum. At est corporis macula naevus: illi tamen hoc lumen videbatur.*

v. 13 *sqq.* Exitus carminis ad Hymni rationem proxime accedit. — *decus Phoebi*, ἄγαλμα, lyra, gestamen Phoebi: nihil amplius. Cui non in mentem veniunt illa Pindari Pyth. α. init. χρυσέα φόρμιγξ, Ἀπόλλωνος καὶ ἰοπλοκάμων σύνδικον Μοισᾶν κτέανον. — *grata dapibus*, adhibita in conviviis Deorum: res ab heroicis temporibus (Hom. Od. ϑ. 99. ρ. 269.) ad Deos traducta. De Apolline Homer. Il. α. 603. Pind. Nem. 5. 42. ἐν δὲ μέσοισι φόρμιγγ' Ἀπόλλων ἐπτάγλωσσον χρυσέῳ πλάκτρῳ διώκων. Hinc φόρμιγξ δαιτὸς ἑταίρη Homer. H. in Merc. 31. — *supremi* ὑψίστου, ὑπερτάτου. — *lenimen laborum* potest esse, cuius cantu deliniti labores minus sentimus, ut II. 13. 38. Prom. et Pel. *parens dulci* eiusdem Alcaei lyrae *sono laborum decipitur*: qua eadem de caussa Orpheus lyram ἐπαμήγανα μέχϑων vocat Arg. 88. Potest etiam esse: propter quam labores fortiter perpetimur, a poëtis immortalitatem inde consecuturi: τοὶ γὰρ ἀοίδιμον ἔργοις ἀϑάνατόν τε μὲν αὔξουσι Μοῦσαι, ut in notissimo Aristotelis Scolio, apud Brunk. Anal. I. p. 177. Esset adeo Pindari λύτρον, ἄπονα μόχϑων. Simplicissimum tamen fuerit, accipere, quae animum, curis fatigatum, recreat, τερψίνοος. — 15. *salve*, χαῖρε, laeta, (v. ad I. 2. 46.) propitia mihi fis, tanquam Dea, suaviter! pro vulgari, modos ac carmina mihi suppedites, quandocunque (v. Obss.) te *rite vocem*, invocem: splendide etiam hoc pro, quotiescunque te, fides tuas pulsem. *Rite* petitum a sacris, quae certis caerimoniis apparari decet: h. l. augustam orationi speciem conciliat; nihil amplius.

CAR-

CARMEN XXXIII.

ARGVMENTVM.

Vix dubitandum videtur, quin ad Albium Tibullum, cuius et nomen et elegiae diſerte commemorentur, hoc carmen ſcriptum ſit. Nam quod ad eleyandam hanc ſententiam Viri docti afferunt, iuniorem Tibullo a Glycera praelatum dici, quem tamen admodum iuvenem obiiſſe conſtet, et Glyceram Tibullo amatam hoc carmine declarari, cuius tamen in Tibulli elegiis ne nomen quidem extet: hoc quidem vix ullius momenti eſſe videtur. Nam ſi hos Glycerae amores ad extremos Tibulli annos cum ipſa hac ode referas (quod et Ayrm. fecit in Vita Tib. p. 133.) quidni tandem fieri potuit, ut Tibullo aetatis a. XXXI. agenti aliquis multo iunior Glycerae amorem auferret, atque huic ideo magis probaretur? Neque plus alteri, quod a ſilentio ducitur, argumento tribuendum arbitror, quum multa Tibulli interciderint, et ipſa, quae aetatem tulere, manca admodum ac lacera ad nos peruenerint. Eo enim, ut Glyceram eandem cum Nemeſi ſtatuerent, quosdam delapſos eſſe nollem, cum ratio non appareat, cur Horatius puellae nomen aliud fingeret, quam quod Tibullus ſeu verum ſeu fictum carminibus ſuis inſeruerat, et in Nemeſi avaritia tantum, in Glycera autem perfidia ac faſtidium notetur. Caeterum ipſius argumenti deſcriptio ſatis expedita. Tibullum de Glycerae perfidia graviter querentem vicemque eius dolen-

tem consolaturus Horatius omnibus hoc usu venire ait amantibus, ut dispares fere, h. qui forma atque animi indole ipsis plane dissimiles sint, sectentur, ab iisque amari cupiant. Praeclare hoc poeta ulterius exornat, a Venere desiderium, quo ad sui dissimiles amore ferantur, hominibus iniectum fingendo.

AD

AD ALBIVM TIBVLLVM.

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Inmitis Glycerae, neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi iunior
Laesa praeniteat fide.

Insi-

v. 1 *sqq.* Moderate feras, ne te supra modum excrucies, *memor* (*μεμνημένος*, ut Theocr. ζ. 69. adde Nostri I. 36. 7.) *Glycerae immitis*, docte pro vulgari, propter Glyceram *immitem*, duram in te, asperam, amorem tuum aspernantem. Tibull. I. 4. 53. *tum tibi mitis erit, rapias tum cara* (*φιλήματα*) *licebit oscula*, et III. 6. 12. *Ille facit mites* (e praeclara Heynii emendatione) *animos deus, ille ferocem contudit.* Nisi omnino h. l. est; saevam, crudelem, ob *laesam* (v. 4.) pristinam *fidem.* — 3. 4. docte ac breviter, pro: neve conqueraris, quod alius tibi praeferatur. Pro questu in genere *elegos* (nam his *querimonia primum* expressa est A. P. 75.) posuit, quibus superbiam ac perfidiam Glycerae Tibullus conquestus fuisset. — *Decantes elegos*, elegis decantes, describas, prodas dolorem tuum de perfidia puellae. — *miserabiles*, quae immitem Glycerae animum permoveant, emolliant, apposite ad naturam elegiaci carminis (sic *flebilis Elegia* Ovid. Amor. III. 9. 3.) maxime Tibulliani. Hinc *elegis* Tibullum *molles amores flevisse* dicit Domit. Marsus in epigr., Tibulli carminibus annexo, IV. 15. 3. — 3. *cur*, propterea quod (ut Ep. I. 8. 10.) alius te *iunior*, hoc ipso quod aetate sit iunior, (sic *iuniores quaerit adulteros* nova nupta III. 6. 25.) *praeniteat*, praeferatur, iuvenili forma gratior, acceptior sit Glycerae, quod alium nunc amet, *laesa* amoris pristini *fide* tibi data, te, quem constanter amaturam pollicita fuisset, neglecto.

v. 5 *sqq.* Communem hanc esse amantium conditionem, ut raro admodum voluntatum atque animorum consensum mutuum experiantur, exemplis statim cum aliorum tum suo ipsius docte poeta ostendit. Lamb. ad pedestrem rationem Lyricum deprimit, dum verba sta iungit atque explicat: Albi, ne forte doleas caet. hoc te scire volo, insi-

BODLEIAN MUSEUM OXFORD

Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
Declinat Pholoën; sed prius Appulis
Iungentur capreae lupis.
Quam

insignem tenui caet. Orationis color petitus videtur e Moschi Id. VI. 1 sqq. ἤρα Πὰν Ἀχῶς τᾶς γείτονος, ἤρατο δ' Ἀχὼ σκιρτητᾶ Σατύρω, Σάτυρος δ' ἐπεμήνατο Λύδαν. Ὡς Ἀχὼ τὸν Πᾶνα τόσον Σάτυρος φλέγεν Ἀχὼ, καὶ Λύδα Σατυρίσκον· Ἔρως δ' ἐσμύχετ' ἀμοιβᾷ. adde Callim. ep. XXXIII. 5. Χ' οὑμὸς ἔρως τοιόσδε· τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται. — *Lycorida torret*, urit, incendit, tenet *amor Cyri*, eius amore flagrat, amat eum Lycoris; sed is eam non curat, animo ad aliam inclinato. Docte hoc ad sqq. retulit poeta. — *Insignem* decoram (ut I. 21. 11. et 32. 12.) praeditam *tenui*, angusta, brevi *fronte*, pulchram omnino, nota poetarum ratione. Tenuem frontem apud veteres in honore atque laude pulchritudinis fuisse passim scriptores antiqui testantur. Hinc et comam in frontem propectebant, ut βραχὺ τῷ μετώπῳ μεταίχμιον relinqueretur. Lucian. T. II. p. 441. ed. Reiz. adde Martial. IV. 41. 9. — *Cyrus* idem putatur, qui Tibullo *Marathus* audiat, quod is eiusdem Pholoës, celebris eius aetatis puellae, fastidia expertus sit; unde Tib. I. 8. 69. *Oderunt, Pholoë, moneo, fastidia divi.* Sed plures amatores Pholoë superbe ac fastidiose habere potuit. — 7. *declinat in Ph.* docta brevitate pro, alienus a Lycoridis amore, Lycorida fastidiens inclinat, propensus est in Pholoën, sed *asperam*, ab ea vicissim fastiditus, spretus. Amplius hoc exornavit poeta sqq. Pholoë haud dubie eadem, quae III. 15. 7. Chloridis filia, et II. 5. 17. *fugax* dicta. — neque tamen Pholoë potietur. Pro hoc ἐμφατικωτέρως poeta, ἀδυνάτῳ usus: Diversissimae naturae animalia facilius concordabunt, amore mutuo fruentur, *quam* caet. Virgil. Ecl. VIII. 26. 27. *Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes? Iungentur iam gryphes equis.* Etiam Aristoph. Pac. 1076. πρίν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ. cf. V. 16. 30. — *iungentur* amore, honestiore vocabulo. — 9. *turpi* sibi viso, quem adeo amore indignum iudicabat, quem fastidiebat, odioso, inviso. Poterat adeo Cyrus Lycoridis iudicio satis commodus ac venustus haberi, non item Pholoës puellae superbae, atque alterius amore

Quam turpi Pholoë peccet adultero.
Sic visum Veneri: cui placet impares
Formas atque animos sub iuga aënea
Saevo mittere cum ioco.

Ipsum

amore occupatae animo. Alii ad mores Cyri illiberaliores, inducti maxime I. 17. extr. vel ad nefandam pueri mollitiem referunt: utrumque docte quidem, sed parum apte ad totius loci sententiam. — *Adultero*, amanti se, et hoc pro tenui, *ei*, nihil amplius. v. ad I. 25. 9. — *Peccet*, amori eius succumbat, votis eius satisfaciat, vicissim eum amet: nam *peccare* poetis omnino est, amare. v. I. 27. 17. Tibull. IV. 7. 9. Caeterum in Pholoë substitit poeta, ne et ipse, protracta longius sententia, fastidium crearet. Forte tamen haud inepte censeas, poetam τὸ ἦθος puellae asperae, quae nullius amorem expetat, hoc modo repraesentare voluisse.

v. 10 *sqq.* Generalem sententiam, exemplis iam declaratam, nunc demum subnectit poeta. Vulgari formae: ita fere constitutum est, ut caet. dignitatem ac vitam tribuit, ad Venerem hanc animorum dissensionem referendo. Ad formulam *sic visum* comparant Homer. Il. β. 116. et Virgil. Aen. III. 2. adde eund. Aen. I. 283. et cf. Burm. ad II. 427. — *cui placet*, quae solet hominis *forma* atque *animo*, studiis, voluntate *impares*, plane diversos *sub iuga mittere*, domare, desiderium in iis excitare, facere, ut dispares (IV. 11. 31.) sectentur, sicque votorum nunquam fiant compotes. Pectus amore incensum a Venere dicitur perdomitum, adeoque subiugatum, imagine a bove, qui iugo subiectus est, petita, Graecisque ac Latinis perquam familiari. Hinc Venus s. *Cupido imperitare* amanti (Tibull. II. 3. 34.) et amans contra Veneri *servire* (Tib. II. 3. 30. IV. 5. 13.) dicitur. Μήτηρ ἀνάγκης suaviter ideo Venus dicta Orph. H. 54. 3. Similiter Paul. Silent. XXXII. 4. (Anal. Br. III. 81.) αὐχένα σοὶ κλίνω Κύπρι μεγαιπόλιος, fere ut Tibull. I. 3. 90. *Veneris vinclis colla subdere.* Stat. Silv. I. 2. 77. *edomui victum, dominaeque potentis ferre iugum, et longos iussi sperare per annos*, ex Amoris persona. Ab hac diversa prorsus est altera, et ipsa poetis, etiam Horatio, satis frequentata loquendi ratio, ut, qui mutuo amore fruuntur, eidem iugo subiecti dicantur, veluti III. 9. 18. *quid si prisca redit Venus, diductosque iugo cogit aëneo?* adde II.

Ipsum me melior quum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Hadriae
Curvantis Calabros sinus.

II. 5. 2. Theogn. 365. μή μ' ἀέκοντα βίῃ κεντῶν, ὑπ' ἅμαξαν ἄλκων, εἰς φιλότητα λίην, Κύπρι, προσελκόμενος, ut alios mittam. Atque hanc quidem omnes illustrando huic loco attulisse intpp. omnino mireris, qua a totius carminis sententia vix quidquam alienius excogitari potuit. — *aenea*, dura, unde te non extrices, quibus frustra obnitaris. — *saevo cum ioco* saevum in modum sic iocata, amantes ludibrio habens, misere excrucians, amore iniecto, eius tamen potiundi spe negata. Similiter Fortunae, pro arbitrio agenti *ludum insolentem* tribuit Noster III. 29. 50. et *iocandi saevitiam* Claudian. in Eutrop. I. 25. Male *Iocum* Deum intelligunt Porphyr. Lambin. alii.

v. 13 *sqq.* Ipse libertinam sector, dum meum amorem longe praestantior puella expetit. *Venus*, puella, ut I. 27. 14. Prop. I. 1. 33. *melior*, melioris conditionis, ac moribus commodioribus, ex oppositione seqq. — *peteret*, amaret, ut Prop. II. 16. 27. *Quum te tam multi peterent, tu me una petisti.* — *detinuit* eadem brevitate, qua v. 7. *declinat*, pro, abstraxit me ab altera, sibique totum addixit, plane illaqueavit *grata compede*, suavi amoris vinculo, ἡδεῖ δεσμῷ. v. ad IV. 11. 23. — 15. puella iracunda, aspera, proterva. *Acrior*, saevior *fretis*, fluctibus *Hadriae*, maris Hadriatici. — 16. tempestuosi, procellosi; pro hoc ornate, quod *curvat*, fluctus excitat, turbat *sinus Calabros*, qua se in Calabriam insinuat. Ποιητικώτερον tamen videtur: *curvantis sinus* dictum accipere pro, facientis sinus vel se curvantis (κυρτὸν ἐὸν κορυφοῦται Hom. Il. δ. 426.) dum a Calabriae littore refunditur, ac longo tractu recedit, χέρσῳ ἐρηνύμενον, ut Hom. l. l. Sollenne hoc in tempestatis descriptione. v. Virg. Ge. III. 238. Plerique post Lamb. explicant: in Calabriam se insinuantis; quod satis otiose a poeta adiectum esset. Caeterum usitata est poetis animi iracundi cum mari commoto (III. 9. extr. *improbo iracundior Hadria*) et tranquilli cum eodem sedato ac placido (Aeschyl. Agam. v. 748. Helenam appellat φρόνημα νηνέμου γαλάνας) comparatio.

CAR-

CARMEN XXXIV.

ARGVMENTVM.

Argumenti huius carminis ratio ea est, ut vel mediocris poeta eo inflammari, ingeniumque in eo pertractando cum laude experiri possit. Lyrico tamen generi illud maxime convenire cum abunde huius rei fidem hoc carmen faciat, tum ex ipsius lyricae poeseos, in iis potissimum, quae sensus feriant, quaeque animum graviter commotum prodant, exprimendis occupatae, natura atque indole facile intelligitur. Horatius igitur, cum sereno caelo tonuisset, cuius phaenomeni naturales caussas adsequi non liceret, gravissime eo perculsus ad ipsos Deos auctores illud refert, quasque de Diis animo concepisset notiones, Epicureorum placitis simillimas, nunc retractare, providentiamque adeo, quam aliquamdiu negasset, amplecti iterum se coactum manifesto hoc argumento fatetur. Neque vero poetam, ad tempus certe, ista re commotum fuisse mirum videbitur ei, qui, quam superstitiosa religione alligati Romanorum animi omnium rerum insolitarum caussas in Deos verterint, meminerit. Perperam igitur faciunt, qui totum carmen pro irrisione Stoicorum habent, cui vel incessus carminis inprimis in exitu gravis refragatur; vel Horatium hic abiurare philosophiam Epicuream, seque ad Stoicam iterum convertere volunt, cum ipse se nulli sectae adhaerere profiteatur I. Ep. I. 13. vel denique

nique meliorem vivendi rationem eum polliceri putant, inducti forte initio carminis; sunt tandem, qui poetam unice hoc agere existiment, ut eos, qui cum caerimoniis et ipsos Deos tollendos censerent, ad saniorem mentem reduceret; ut aliorum omittam argutias.

Parcus

Parcus Deorum cultor et infrequens,
Insanientis dum sapientiae

Consul-

v. 1 *sqq.* Ego qui caeteris hominibus aliquamdiu rectius mihi sapere videbar, inveteratam illam ac penitus insitam de Diis, eorumque in res humanas vi atque effectu opinionem tanquam vanam atque insulsam irridendo; nunc demum intelligo, quam perverso mentis acumine hoc fecerim, et in quo impio errore versatus sim. Prius membrum per consequens extulit poeta: qui Deorum cultum neglexi, templa eorum non frequentavi. Nam qui Deorum providentiam tollit, is et cultum ipsorum negligat necesse est. Hanc vero generalem adsumi debere sententiam, docent sequentia. Horatius igitur *parcus* est *Deorum cultor*, parcit (φείδεται) Deos colere, eos omnino non colit, negligit, non curat: *infrequens* adeo est, exquisitiore vocis usu, pro, templa Deorum non frequentat, non adit, ut sacra iis faciat, ac vota nuncupet. Pedestris prorsus ratio est, quam fere ab intpp. initam videas, qua parce atque infrequenter, h. parco sumtu ac raro admodum Deos a se cultos Horatium confiteri h. l. volunt. Porro si in hoc solo se graviter errasse fateretur Horatius, quod parum lauta Diis obtulisset sacrificia, summa fere carminis in declarando eius ad lautiora Diis paranda sacra post tonitru, claro caelo editum, promtiore animo ponenda esset: quod quidem vel per se statuere (nam et vilia munera, pio animo oblata, Diis accepta esse ait III. 23. 17.) atque huius carminis argumentum facere quam ieiunum sit, facile intelligitur. — *dum erro*, a recto cursu deferor, aberro; v. ad v. 4. *consultus sapientiae*, professus sapientiam, h. deditus, occupatus opinionibus, quibus repertis vel adscitis mire mihi sapere videbar, quas pro verissimis amplectebar, Deorum providentiam tollendo: quum tamen haud dubio providentiae divinae documento ostenso se egregie falli cognosceret, sapientiam illam, s. dogma istud vocat *insaniens*, quod providentiam neget, quam non nisi insanus ac vecors negare audeat, qui adeo gravissimus error est. Similis sententiarum atque orationis habitus est in Eurip. Heracl. 901.

Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor

ἔχεις ὁδόν τιν', ὦ πόλις, δίκαιον. (rectum cursum tenes, recte agis, Deos venerando) οὐ χρή ποτε τόδ' ἀφελέσθαι, τιμᾶν θεάς. Ὁ δὲ μὴ φάσκων, ἐγγὺς μανιῶν ἐλαύνει, a recto tramite devius, insane aberrat. Est adeo *sapientia insaniens* hominis perverse argumentantis, mireque deliramentis suis sibi placentis, σοφίᾳ ἄσοφος: de quo loquendi genere, Graecis maxime usitato v. Lamb. et intpp. ad Lucian. de Merc. Cond. T. I. p. 698. ed. Reiz. Caeterum Epicuri placita, ad quae ista Horatii proxime accedunt, simpliciter *sapientiam* appellat Lucret. V. 10. *qui princeps vitae rationem invenit eam, quae nunc appellatur Sapientia*, quo sensu etiam hic positum putabat Creech. — 3. 4. Nunc animi sententiam immuto, retracto, providentiam iterum agnoscendo. Docte atque ornate hanc sententiam poeta extulit. — *retrorsum vela dare*, retro navigare *cogor*, ut *iterem*, (ita enim iungenda erat oratio e pedestri ratione) repetam, iterum ineam, s. continuem *cursus relictos*, cursum, viam, a qua aberraveram, quam olim tenueram. Nanta nimirum relictos cursus iterat, qui, cum cursum v. c. Alexandriam versus primo dirigeret, mutato consilio Pelusium tendit, mox, improbato eo, Alexandriam rursus petit. Poeta igitur, qui providentiam primum statuerat, mox casum in rebus humanis dominari sibi persuaserat, se priorem nunc iterum amplecti sententiam insigni aliquo ostento coactum esse dicit. Eadem metaphora Graeci scriptores ἀναστρέχειν, ἀναδρομεῖν adhibent; v. Gesn. ad Orph. Argon. 1202. Πνέειν φρενὸς τροπαίαν Aeschyli (Agam. 228.) docte cum nostro loco comparavit Abresch. Animadv. P. I. p. 267. adde Lucian. Hermot. T. I. p. 769. ed. Reiz. et Nostri Ep. I. 1. 15. 18.

v. 5 — 8. Iovem enim prospicere terrarum orbi, eiusque vim ad omnes res pertingere evidentissimo argumento deprehendi. Sed hoc statim ponit poeta, et, quam inde cogit, providentiam Deorum, specialibus notionibus (vv. 12 sqq.) declaratam subiicit. Scilicet quum ex prima admiratione hominum, quod tonitrua iactusque fulminum extimuissent, ea a rerum omnium praepotente Iove effici crederentur (sunt verba Cic. de div. II. 42. adde Eurip. fr. e Sisypho n. I. v. 28 sqq. p. 472. ed. Lips.) mox, quum nubes et ventos iis fere coniuncta observassent, istorum conflictum unicam istius phaenomeni caussam haberent; facile eo deducti sunt, ut

Cogor relictos. Namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum:

Quo

ut tonitru sereno caelo editum, cuius adeo vix ulla physica appareret ratio, ad Deos auctores revocarent, atque ad commonefaciendos terrendosque hominum animos excitatum sibi persuaderent. Hinc in ostentis atque prodigiis fere habitum antiquis temporibus. v. Virg. Ge. I. 487. Lucan. I. 530. Seneca Thyest. 263. Iam Homer. Od. v. 113. ἦ μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' οὐρανοῦ ἀστεροέντος· οὐδέποθ' ἥδε γέφυρα ἐστί· τέρας νύ τεῳ τόδε φαίνεις. Horatius igitur insolita hac re, ad tempus certe, perculsus atque attonitus se revocat, certissimumque inde providentiae argumentum deducit. Oratio ipsa pro rei, quae describitur, maiestate satis splendida, et magnifica: adsumta prisca atque augusta Iovis curru alato per caelum invecti ac tonitru cientis imagine. Maxime vero haec pars carminis, quae huius primarium est argumentum, illuminanda erat, re, ut fit in timore, amplificanda atque in maius augenda, quo et se haud levi de caussa graviter commotum ostenderet, eundemque et in aliis sensum excitaret. Parum scite igitur agunt, qui vv. 9—12. pro digressione habent. *Diespiter*, diei ac lucis pater (iuxta Varr. de L. L. IV. 10.) est Iupiter, appellatione non valde quidem frequentata (occurrit III. 2. 29. et in Sulpiciae Sat. v. 33.) sed apposita h. l. in vi eius, per naturam prodita, declaranda. — *plerumque dividens nubila*, findens nubes *igni corusco*, fulmine; graphice prorsus pro, qui alias e nubibus fulmina emittit, qui nonnisi nubilo caelo tonare solet, cuius rei naturales adeo caussas statuere licet. Proprie sententia ita fere efferenda erat: quum tonitru ventorum ac nubium conflictu oriri creditum sit; Iupiter, quo fulmen sibi ereptum vindicaret, sereno caelo tonuit, sicque vim suam ostendit. — *Per purum* caelum, per sudum, δι' αἰθρίας. — *egit equos et currum*, copia Homerica, ἅρμα καὶ ἵππους ἤλασεν v. c. Il. Θ. 438. pro vulgari: vectus est. — *tonantes*, χαλκοκρότους (Aristoph. Equ. 549.) χαλκόποδας, Homerico epitheto. Equorum pulsu hunc fragorem excitatum poeta dicit, qui et currui adsignandus erat. Vtrumque innuit Virg. Aen.

Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx et invisi horrida Taenari
Sedes,

VI. 590. 1. de Salmoneo: *qui nimbos et non imitabile fulmen Aere* (curru aerato) *et cornipedum pulsu simularat equorum;* nisi et hic χαλκοκρότους ἵππους repraesentare voluit, ut *aere et pulsu* pro aereo pulsu accipiatur. — *currum volucrem*, alatum, πτηνὸν ἅρμα, antiquo phantasmate. Certatim intpp. laudant Platonis locum e Phaedro: (T. IX. p. 321. Bip.) ὁ μέγας Ζεὺς, πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. ad quem respexit Lucian. Piscat. T. I. p. 592. Apollod. I. 6. 3. haud dubie ex antiquo poeta: Ζεὺς δὲ — ἐξαίφνης ἐξ οὐρανοῦ ἐπὶ πτηνῷ ὀχούμενος ἅρματι ἐπ' ὄρος ἐδίωξε Τυφῶνά: ita iste locus refingendus videtur. Eadem imago in monumm. obvia: v. c. apud Gor. Gemm. Flor. T. I. p. 108. Similiter Soli πτερόφορα ὀχήματα tribuit Eurip. fragm. Phaeth. n. VIII. T. II. p. 463. Lips. quae et ipsa in monumm. passim repraesentata videas. Celeritatis notionem isti phantasmati subesse, facile perspicitur. Hinc πτηνὸν βέλος fulmen dictum Eurip. Herc. fur. 179. πτηνὸν ὅπλον Orph. H. XVIII. 8. et *alae fulminis* Latinis, veluti Virg. Aen. V. 319. Valer. Flacc. II. 95. cf. omnino Burm. in Iove Fulgur. c. V. Michaelem in Comment. Soc. Sc. Gott. T. II. et ad Lowth de sacra Hebr. poesi p. 189. et Doering. in comment. de alatis Deorum imagg. p. 25. — 9. *quo* currus fragore, s. ut Virg. Ge. I. 329. eloquitur, *quo maxuma motu terra tremit; fugere ferae:* fere ut Orph. H. XVIII. 13. ὃν (Δία καταιβάτην) καὶ γαῖα πέφρικε θάλασσά τε παμφαινόωσα, καὶ θῆρες πτήσσουσαν. Tremorem istum per totam naturam diditum docta enumeratione declarat poeta. — *bruta*, etsi immobilis; ex antiqua opinione. Sic *iners* III. 4. 45. Seneca Thyest. 1020. *Immota tellus pondus ignavum iaces?* cf. Serv. ad Virg. Aen. X. 322. Auget adeo notionem rei. — 10. cuius sonitus etiam ad infera loca penetravit. Designat ea per *Stygem*, Inferorum fluvium et *sedem Taenari*, ad quam per specum in Taenaro (Maleae promontorio) descensus est, Infernum. Nam *sedes* de locis inferis ex usu poetis recepto. v. Virg. Aen. VI. 639. Tibull. I. 3. 67. v. ad Propert. IV. 11. 3. — *horrida*, squalida, tristis, Τάρταρος εὐρώεις, perpetuo rerum inferarum epitheto. — *invisi*, obscuri, qui *iter tenebricosum* (Catull. III. 11.) pandit. Vnde et in Apuleio Metam. VI. *per portus* (Taenari) *monstratur iter invisum* pro, *invium* reponere gestie-

Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare

gestiebat Toup. ep. crit. p. 126. Forte tamen poeta Taenaro epitheton adiecit, quod magis ad inferam sedem spectaret. Ita plane Seneca Herc. fur. 664. *Hic* (in Taenaro) *ora solvit Ditis invisi domus.* Esset adeo *sedes invisa*, abdita, abscondita, subterranea, Ἀΐδης Graecorum. Alii volunt esse: στυγερὸν, κρυερὸν, quae Homerica Hadae sunt epitheta, laudato II. 14. 23. sed ibi *invisae cupressus* mortis adiunctam habent notionem; et altera ratio omnino aptior rei a poeta descriptae. Caeterum comparent rei poeticae studiosi similes poetarum descriptiones, Hesiod. Theog. 837. maxime a v. 849. Sil. V. 388. et Petron. de Mutat. reip. Rom. 122 sqq. — *Atlanteus finis*, τέρμονες Ἀτλαντικοὶ, (ut Eurip. Hippol. 3. et 1053.) ὅροι Ἀτλαντικοὶ (Id. Herc. fur. 234.) h. remotissimae terrarum plagae. Nam Atlante, notissimo Africae monte continentis pars occidentalis finiri credebatur antiquis temporibus. Alii proprie accipiunt, montemque istum tonitru concussum intelligunt: alii Atlantem pro quibusvis altissimis montibus positum putant: alii denique isto commoto et ipsum caelum, quod ei inniteretur, commotum innuere voluisse poetam statuunt. Sed caeli commoti ratio non tam longe petenda erat, curru per ipsum acto: tum dicendum poetae erat, Atlanteus vertex vel sim. ut taceam, nostram explicationem plus dignitatis rei inferre.

v. 12 — 16. Certissimum hoc providentiae divinae argumentum! Deorum numine omnia per universum terrarum orbem geri atque administrari nunc plane persuasus sum. Pro hac generali specialem at luculentissimam rei ideam poeta posuit, rerum humanarum vicissitudines ad Deos auctores referendo, ipsisque imperium in reges adeo (cf. III. 1. 6.) vindicando. Eadem argumentatione Eurip. Troad. 608. ὁρῶ τὰ τῶν θεῶν, ὡς τὰ μὲν πυργοῦσ' ἄνω τὰ μηδὲν ὄντα, τὰ δὲ δοκοῦντ' ἀπώλεσαν, *agnosco vim Deorum in excollendis* caet. *Deus*, Iupiter *valet ima*, quae infimo loco posita sunt, *summis mutare*, in summum, et quae in summo, in infimum locum reponere ac detrudere. Simili colore Archilochus in Floril. Stob. Grot. p. 437. ἄνδρας ὀρθοῦσιν (θεοὶ) μελαίνῃ κειμένους ἐπὶ χθονί· πολλάκις δ' ἀνατρέπουσι, καὶ μάλ' εὖ βεβηκότας ὑπτίους κλίνουσι. De Fortuna Palladas CXX. 3. (Anal. Br. II. 431.) καὶ τοὺς μὲν κατάγουσι πάλιν σφαιρηδὸν εἰείρει,

Mutare et insignem attenuat Deus,
Obscura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna

ἀείρει, τοὺς δ' ἀπὸ τῶν νεφελῶν εἰς Ἀΐδην κατάγει. Nostrum imitatus est Senec. Thyest. 598. *Ima permutat brevis hora summis.* — 13. Eadem sententia, sub aliam imaginem revocata. *Insignem*, honoribus, divitiis caet. splendidum, conspicuum *attenuat*, tenuem reddit, obscurat, *obscura* contra, ignobiles, *promens*, in lucem protrahens, insignes reddens. Docta ratione invertit ac variavit genera (*ima*, *insignem*, *obscura*) poeta, cum pedestris norma masculino genere totam sententiam extulisset. Omnino in toto hoc loco adornando graecum poeta exemplum secutus videtur. Simillimi coloris sunt Hesiodei vv. (Ἔργ. 5—7.) ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει· ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει (*insignem attenuat*) καὶ ἄδηλον (*obscura*) ἀέξει· ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει (*attenuat*) Ζεὺς ὑψιβρεμέτης: et Eurip. in fr. Androm. apud Stob. t. CV. eadem generum permutatione: ὁ μὲν ὄλβιος ἦν· τὸ δ' ἀπέκρυψεν θεός· ἐκ κείνων τῶν τότε λαμπρῶν νεύει βιοτός. Adde Pind. Nem. η. 57. de obtrectatione: ἁ τὸ μὲν λαμπρὸν βιᾶται, τῶν δ' ἀφαντῶν κῦδος ἀντείνει σαθρόν. — 14. Vlterior sententiae antecedentis amplificatio et exornatio: Deus huic imperium aufert, atque in illum transfert. Pro *Deo* est *Fortuna*, Μοῖρα, fatum, quod cuique Deus adsignat. Hinc μοῖρα θεοῦ Homer. Od. λ. 291. Pro imperio est eius insigne, diadema, et pro hoc paullo audacius, *apex*. Nam regum Persarum omninoque Orientis regium insigne erat diadema, apice munitum, tiara. cf. III. 21. 20: Quem igitur Fortuna regno exuit, huius capiti tiaram demit. — *rapax sustulit*, copia poetica, pro, rapuit, abstulit, ἀορίστως. — *cum stridore acuto* μετὰ συριγμοῦ πτερύγων φερομένη, ad declarandum impetum, quo apicem ablatura advolat. Alatam enim eam fingi, satis notum. v. ad III. 29. 53. Solius igitur ornatus caussa adiecta haec videri possunt: non indocte tamen tumultus ac turbas, quae subitas imperii conversiones comitari solent, a poeta declarari cum quibusdam suspiceris. Laudant Cic. Att. II. 9. *minore sonitu, quam putabam, hic orbis reipublicae conversus est.* Adde Calpurn. Ecl. I. 84 sqq. *Ipse Deus Romanae pondera molis fortibus excipiet sic inconcussa lacertis, ut neque translati sonitu fragor intonet orbis.* ad quem locum docte disputat Wernsd. in Poet. min. T. II. Exc. III. p. 520. Seneca Quaest.

Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit, hic poſuiſſe gaudet.

Quaeſt. Nat. III. Praef. *nunc cum maxime Deus alia* (imperia) *exaltat, alia ſubmittit, nec molliter ponit, ſed ex faſtigio ſuo nullas habitura reliquias iactat.* Eadem imago ad homines ex alto potentiae faſtigio deiectos traducta, veluti Cic. Or. in Catil. II. 10. *qui homines ſi ſtare non poſſunt, corruant; ſed ita, ut non modo civitas ſed ne vicini quidem proximi ſentiant:* fere ut Lucian. in Contempl. (T. I. p. 512. 13. ed. Reiz.) *οὗτος μὲν ἀνασπασθεὶς ἄνω μετέωρός ἐστι, καὶ κατὰ μικρὸν καταπτῶν, ἀποῤῥαγέντος τοῦ λίνου, ἐπειδὰν μηκέτι ἀντέχῃ πρὸς τὸ βάρος, μέγαν τὸν ψόφον ἐργάσεται· οὗτος δὲ, ὀλίγον ἀπὸ γῆς αἰωρούμενος, ἢν καὶ πάσῃ, ἀψοφητὶ κείσεται, μόγις καὶ τοῖς γείτοσιν ἐξαισθόντος τοῦ πτώματος.* — *hic poſuiſſe*, huic impoſuiſſe *gaudet*, imponit apicem, imperium defert. Sed alterum cum dilectu; ad Fortunae arbitrium, ad quod res humanas fingit, declarandum. cf. III. 29. 49. Sic *τέρψιν Τύχης* de Fortunae ludibrio dixit Agathias LXVI. 4. (Anal. Br. III. 56.) Similis color ſententiae in Sil. I. 7. *Quaeſitumque diu, qua tandem poneret arce terrarum Fortuna caput.* Ad Alexandri potentiam noſtrum locum traduxit Stat. Silv. IV. 6. 63, *praeſabatque libens, modo qua diademata dextra abſtulerat dederatque et magnas verterat urbes.* Caeterum, ut poeta locum de providentia ſic adornaret, eo quidem aetatis ſuae exemplo, Phraatis et Teridatis, de Parthorum imperio certantium, perduci potuit.

CARMEN XXXV.

ARGVMENTVM.

Quum Augustus duo bella, alterum in Britannos, quo ipse exercitum ducturus erat, alterum in Arabiam ductu Aelii Galli gerendum, a. V. DCCXXXVI. appararet, faustas has populo Romano expeditiones apprecaturus poeta, vota in preces convertit, ac Fortunae pro Augusti exercitusque incolumitate supplicat. Facta hac augusta ad Fortunam conversione, consentaneum erat, ut carmen Hymni naturam indueret, et in celebrandis Deae eiusque potentiae laudibus occuparetur, atque his demum sollenni conclusionis formula preces subiungerentur. Parum igitur docte eos facere arbitror, qui initium carminis, quod in Deae laudibus versatur, pro loco communi de Fortuna vel omnino pro digressione a re admodum aliena habendum existimant. Atque hanc quidem carminis partem splendide admodum poeta exsecutus est, Fortunae vim atque potentiam cum ab effectu (vv. 2 — 16.) tum aliis, quae animos maxime percuterent, imaginibus delineando, quarum non tam cumulum atque complexum, a carminis lyrici indole minime abhorrentem, quem et Hymni antiqui natura non tam excusare quam potius requirere videbatur, aut modum, cum rei ipsi exprimendae tum asperis Romanorum ingeniis valde accommodatum, poetae recte vitio verti posse duxerim, quam potius, quod in adumbrandis iis colores admodum confu-

confuderit, penitusque conturbarit, adeo quidem, ut, quam vim Fortuna ad animos humanos, cum eius, cuius status in deterius mutatus est, tum eorum, qui, dum floreret, amici eius essent, quorum adeo fidos alios, alios perfidos nunc experitur, haberet, verbo, omnia, quae ad eum, qui Fortuna mala uteretur, referri debuissent, ipsi Deae attribueret, quodque in hac diversissimarum imaginum confusione (vv. 21 — 28.) constanter perseverarit, atque ad taediumusque immoratus sit. Initium carminis satis amplum Virorum, qui ingeniosi atque elegantes haberi vellent, coniecturis campum aperuit. Dum enim Horatius Fortunam a loco, ubi praecipue coleretur, sollenni more designat, Antiumque, tanquam Romanus, apte sedem eius domesticam laudat, putarunt nonnulli, omnia, quae Fortunae tribuerentur, ad Antiatem esse referenda, Romanis propitiam, caeteris vero gentibus infestam atque timendam; ut haberent scilicet carmen, uti vocant, individuum, Romanum, domesticum. Quae quidem ratio, quam saepe poetae verbis vim faciat, reique dignitatem elevet, cum per se intelligatur, multo tamen magis constiturum arbitror iis, qui contortas istorum explicandi rationes inspicere volent. Quin alii eo delapsi sunt, ut imagines, quibus Fortunae potestas declaratur, e pictura aliqua symbolica, Antii in Fortunae templo suspensa, a poeta parum subtili iudicio descriptas adumbratasque satis fidenter pronuntiarent, huiusque opinionis praesidium a Necessitatis imagine symbolica repeterent. Iam etsi attributa symbolica, ut perspicuitati, cuius maxima habenda est ratio, consulatur, a personis allegoricis abesse vix posse, multum-

que ea, si ideam personae subiectam haud ambigue exprimant, delectationis afferre lubens largiar; eadem tamen poetis quoque concedi debere facile mihi dabunt ii, qui poetas maxime in hoc intentos, ut res formis expressas animatasque oculis paene subiiciant, suoque hoc optimum quemque iure usum esse meminerint. At elegantiae sensus, inquiunt, hac attributis nimis onerata Necessitatis imagine offenditur. Recte. Sed multo magis eum offensum iri persuasus sum, si oculis ea subiiceretur, ita, ut altera manu clavos trabales et cuneos: altera uncum, et liquidum plumbum gestaret. Monstri sane speciem tibi obiectam clamares, aheneis, tamque crassis praeditam manibus, quae tanto pondere non graventur. Ut taceam, attributa tum demum nimis cumulata videri, ubi omnia uno obtutu, ut fit in pictura, simul cernuntur, ac in hac plumbum liquefactum ne commoda quidem ratione exprimi posse. Omnino hic locus, quem e pictura expressum volebant, luculenter ostendere videtur, quam diversa sit poeseos ac picturae indoles, et quam iniuria saepe faciant, qui picturam, ut ita dicam, poeticam in artis formam redigere, eamque superciliose damnare audeant, si artis subtilitati aut omnino non respondeat, aut aegre se ab ea in ordinem cogi patiatur. Poeta enim rerum phantasiae obiectarum species, quibus mens eius inflammata est, iis potissimum ornamentis repraesentat, quae ἐνάργειαν habent maximam, quae adeo abstracti, quod dicunt, notionem augent, amplificant, atque ad miraculum paene evehunt, unice securus, num ea, quae animum maxime ferire sciat, oculorum quoque iudicio probentur, cui contra satisfaciendo sobrium arti-

ficis

ficis anniti debet studium. Ita plura poetarum figmenta comparata sunt, v. c. Fama Virgiliana. Qui vero actionem, ut vocant, potissimum in Necessitate desiderant, ii non viderunt, Necessitatis, Spei, ac Fidei imagines esse secundarias, h. notiones Fortunae subiectas, quas adeo, ne animum a primaria deducerent ac distraherent, breviter declarasse sufficiebat, etsi vel sic tantum ipsis vitae poeta adfuderit, (Necessitatem Fortunae praeeuntem, Fidemque ac Spem comites eius fingendo) quantum eius, per totam picturam recte dispensatae, ipsis dari poterat.

AD

AD FORTVNAM.

O Diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos:

Te

v. 1 sqq. *Quae regis Antium*, regina Antii, Fortuna; nota ratione, qua Dii Ἐγχώριοι eiusdem terrae praesides habentur (Sic Venerem *Cypri reginam* dixit poeta I. 30. 1. cf. ad I. 3. 1.) et poetis ab eadem designantur, tanquam augustiori appellatione. Antiatem autem Fortunam invocat poeta, tanquam Romanus; nihil amplius. Si tamen coniecturae indulgendum, Antiatinas sortes de suscipienda expeditione consultas, aut sacra Fortunae Antiati pro felici successu ab Augusto facta poetam hac appellatione innuere voluisse existimaverim. Sic Fortunae in Algido supplicationem a Romanis decretam memorat Liv. XXI. 62. — *gratum*, φίλον· amant enim Dii terras, urbes, quae ipsorum cultui sacratae sunt. v. ad I. 30. 3. — 2. Potentissima dea! Sed docte et exquisite notionem hanc generalem enuntiat poeta per enumerationem rerum, quae a Fortuna effectae maximam eiusdem potentiam produnt. *Praesens*, potens, efficax. E crassioribus enim antiquitatis de Diis notionibus maxima eorum vis atque potentia ipsorum demum praesentia manifestari credita; unde *praesentes Dii* omnino potentes (apte laudant Cic. Tusc. I. 12. *Hercules tantus, et tam praesens habetur Deus* caet.) tum in specie, faventes, propitii, ut saepius Virgil. et alii. — *tollere*, graeca structura, pro, ad tollendum, promovendum *mortale corpus*, mortalem (ut θνητὸς Graecis, maxime Tragicis, frequentatur) cum dilectu h. l. quia *levare* illud Fortuna dicitur, *imo de gradu*, ex infimo loco ad summum fastigium. Nam in hoc Fortunae ludibrium, quo homines saepe indignos ad summos honores evehit, maxime cernitur. Graviter inde Iuvenal. III. 38 sqq. *cum sint, quales ex humili magna ad fastigia rerum extollit, quoties voluit Fortuna iocari.* cf. I. 34. 12. III. 29. 49 sqq. — 3. 4. Oppositio

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus; te dominam aequoris,
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.

Te

positio erat: vel de summo gradu deiicere. Sed generali sententiae Romanam, ut ita dicam, ideam substravit. Maximus enim gloriae ac felicitatis apud Romanos gradus, triumphus. Hunc Fortuna *vertit funeribus*, tertio casu, pro, in funera, h. pompam triumphalem in funebrem convertit, ut adeo pro triumpho, quem victor acturus erat, funus eius ducatur. Exemplum huius rei habes in Druso, de quo Auct. Consol. ad Liv. 27. *Funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis, et tumulus Drusum pro Iovis arce manet. Nempe per hos etiam Fortuna iniuria mores regnat, et incerta est hic quoque nisca rota*, v. 51. 2. Alii explicant fere: victorem exercitum clade afficere. Sed altera ratio magis poetica videtur. — *superbos*, splendidos, magnificos; ornat.

v. 5 — 16. Potentia tua quaquaversum patet: totus terrarum orbis a tuo nutu pendet; haud obscura ratione, qua rerum humanarum vicissitudines, atque ea adeo omnia, quae dubii casus atque eventus sunt, Fortunae imperio atque arbitrio subiecta dicuntur. Vulgare autem illud: potestas tua est maxima, docte per consequens (fere ut I. 34. 1.) extulit poeta: Vim tuam, numen tuum omnes sentiunt, ac venerantur. Sed illud, *omnes*, ornate per distributionem ac enumerationem declaravit vv. 5-16. Porro, quum diversa Fortunae in rebus humanis vis appareat, aliis, qui summum felicitatis fastigium attigerint, ab ea inde deiectis, aliis contra in illud levatis; ratio in promtu est, cur hi, qui meliorem rerum suarum conditionem ab ea expectant, ei supplicent (v. 5 — 8.); illi vero eiusdem iniurias metuere (v. 12.) dicantur. — Rusticus *pauper*, inops (ut II. 14. 12.) *ambit*, adit *te prece sollicita*, sollicite, enixe te precatur, ut paupertatem suam leves, bonumque ruris proventum ipsi largiaris. Posterius membrum omisit poeta, cum ratio precum vel ex epith. *pauper*, eluceat. — 6. Mercator implorat te, ut navigatio sua salva sit, ne mercium iacturam faciat (fere ut III. 29. 59 — 61.) vel omnino, ut mercatura sua quaestuosissima sit. Hinc saepe cum Cornucopiae in me-

Te Dacus aſper, te profugi Scythae,
Vrbesque, gentesque, et Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt tyranni,

Iniu-

monumm. obvia. cf. Pauſan. VII. 26. p. 592. Simili commento Τύχη, Πλοῦτον παῖδα φέρουσα, tanquam μήτηρ ἢ τροφὸς Pluti Thebis colebatur, iuxta Eundem IX. 16. p. 741. *Domina aequoris* audit, quia navigatio dubia atque incerta, Fortunae adeo ludibrio cummaxime patet. Spectat huc ſplendidiſſimus Pindari locus Ol. ιβ. 3 ſqq. λίσσομαι — σώτειρα Τύχα· τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνᾶται θοαὶ νᾶες, ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι, κἀγοραὶ βουλαφόροι. Hinc ea cum gubernaculo in monumm. admodum frequentata, v. c. in Spilsbury Gems n. 19. — 7. 8. *Bithyna carina*, merce Bithyna onuſta; nam Bithynia florebat mercatura, et maxime Romanis frequentabatur. cf. III. 7. 3. His autem, Bithyniam petentibus, transeundum erat *Carpathium pelagus*, ab inſula Carpatho, inter Rhodum et Cretam, propter procellas periculoſiſſimum (Propert. II. 4. 10.) apte adeo hic ad partes a poeta vocatum, quo magis ſollicitum de navis ſuae incolumitate mercatorem repraeſentet. — *Laceſſit* ſc. remis, τύπτω ἐρετμοῖς (ut ſaepius Homerus) traiicit illud mare. Lucan. III. 195. *Inde laceſſitum primo mare, quum rudis Argo miſcuit ignotas — gentes.* Senſus igitur loci eſt: quicunque Bithyniam mercaturae cauſſa petit, quod exquiſitius dictum eſt pro quocunque mercatore merces mari advehente.

v. 9 *ſqq.* Poeta imaginum, quibus Fortunae imperium in univerſum terrarum orbem ulterius exornet, ac repraeſentet, ubertate quaſi tumens et confuſus, ſpecialibus notionibus generales ſubiicit; tum iterum per ſpecies rem declarat, iisque immoratur. Quae ratio, Horatio haud infrequens (cf. I. 10. 15. III. 4. 46.) quantum a pedeſtri abhorreat, et quam decens et poeſi lyricae congrua ſit confuſa iſta rerum animo una obiectarum enuntiatio, facile perſpicitur. *Dacus* ulteriorem Iſtri regionem incolens, ac in montibus degens, crebris in fines Romanorum incurſionibus infamis: hinc *aſper*, ferox, bellicoſus. *Saticulus aſper* Virg. Aen. VII. 729. et paſſim. — *Scythae profugi*, vagi, ſedem perpetuo commutantes, ἁμαξόβιοι. v. ad III. 24.

Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad

24. 9. — 10. *Latium* pro universo populo Romano, cuius maxima gloria armis quaesita atque parta. Hinc *ferox* bello (ut I. 32. 6.), bellicosum. *Roma ferox* III. 3. 44. — 11. Vel ipsi reges potentiorem te agnoscunt, metuunt ne se ab imperii culmine deiicias, mutata intestino motu regni forma. Ornatissime haec poeta extulit. *Matrum* filiis timentium sollennis poetis mentio. Nostri loci idea cum ipso orationis colore ducta forte ex Aeschyl. Pers. 260. ubi Atossa mater Xerxis filio similiter timet: οὐδαμῶς ἐμαυτῆς οὐδ' ἀδείμαντος, φίλοι, μὴ μέγας πλοῦτος πονήσας οὐδὰς (*funditus*: male alii.) ἀναστρέψῃ ποδὶ ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεοῦ τινος. Accommodate etiam ad *reges barbaros*, nam praeter Phrygas Persae maxime Graecis barbari dicti. Alii de Phraate, eiusque matre cogitant: quod sane ad Horatii tempora proxime accedit. — *tyranni*, reges *purpurei*, purpura induti, pertinet omnino ad splendorem atque luxum regalem, qui de Persarum regibus satis notus est. *Purpureos reges* eodem sensu dixit Claudian. R. Prof. II. 200. *purpuratos* Valer. Max. VI. 2. extr. — 13. ne labefactes atque subvertas regni statum. Vivida hoc pictura delineavit poeta. Tranquillus ac firmus rerum status declaratur per *columnam stantem*, erectam, quae est omnino securitatis et incolumitatis symbolum. Labefactat eam Fortuna atque *proruit*, vi fundamentis suis emotam prosternit *pede iniurioso* ἀνατρέπει ποδὶ (v. Aeschyl. l. l.) βιαίῳ, ὑβριστῇ, iniuriose, violenter, animo infesto: τὸ καθεστῶτα κινεῖ (ut simili colore Polyb. II. p. 152.) h. imperii formam evertit. Similis imago in Pind. Pyth. δ. 484. ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σείσαι — ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις ἱέσαι δυσκαταλύτοις δὴ γίνεται. *Romanae pondera molis inconcussa* Calpurn. I. 84. *Concutere statum* Senec. Oed. 833. Eodem loquendi genere vel prosaici scriptores usi sunt. Ita enim dicitur, *concutere rempublicam* (Cic. Phil. II. 11.) *reip. statum labefactare*, (Id. Catil. I. init.) *convellere* (Val. Max. IV. 1.) *compositam civitatem labefactare* (Flor. IV. 23.). Contra *imperii molem attollere* dicitur Fortuna Petron. de Mutat. reip. R. v. 85. Facile adeo Horatius eo devenire potuit, ut praesentem imperii statum per columnam erectam declararet. Dici vero vix potest,

Ad arma cessantes ad arma
Concitet, imperiumque frangat.

Te

est, quantum Intpp. in expedienda huius v. sententia hallucinati sint, aliis columnam ad ipsos tyrannos vel eius statuas referentibus, quae a rebelli populo frangantur; aliis Augustum, subtracto Quinct. Varo, quasi titubantem intelligentibus. Sed nimis longum esset, omnes intpp. ineptias afferre. Caeterum tota haec imago ad superiores vv. 9. 10. trahi possit, ut vv. 11. 12. respondeant qui sequuntur, vv. 14—16. hoc sententiarum ordine: Daci, Scythae, Romani metuunt, ne incolumem regni sui statum pessumdes; tyranni autem, ne seditione civium imperio exuantur: quae tamen ratio parum concinna videtur. Sollenne vero Horatio est, unam eandemque sententiam duobus membris efferre, quorum posterius prioris sensum aperiat, omnemque ambiguitatem tollat. cf. ad I. 26. 4. Quum igitur imperium Fortunae vi penitus eversum splendida admodum imagine repraesentasset, hanc, quo magis perspicuam redderet, ad seditionem civium, quae primaria atque unica fere eversi status publici caussa esse solet, revocat, novoque membro exponit. Vulgaris enim sententiarum contextus erat: ne proruas, ne concidat columna, populo ad rebellandum erecto. Alia igitur agunt, qui columnae a Fortuna deiectae fragore signum arma capiendi, frangendique imperii populo dari lepide comminiscuntur. Res ipsa a poeta vv. 14—16. praeclare tractata, atque oculis paene subiecta. cf. Virg. Aen. I. 149 sqq. — *ne populus frequens — concitet*, docta brevitate, pro, ne populus congregetur, frequens coeat (ut *coetus*, de factiosis congregationibus) conspiret, et *cessantes*, caeteram multitudinem, alios (nihil amplius; declarat enim magis istorum rerum novandarum ardorem, quam horum tarditatem. cf. III. 28. 8. Virg. Aen. VI. 211. *avidusque refringit cunctantem*) *concitet*, instiget *ad arma* (quod cum vi repetitum, quasi adclamatio sit, ad arma, cives, ad arma!) in tyrannum capessenda, sicque *imperium*, imperii statum, formam, *frangat*, evertat, immutet, abolita tyrannide. Ad sententiam poetae spectat Bacchyl. fragm. in Anal. Br. I. p. 149. θνητοῖς οὐκ αὐθαίρετοι οὔτ' ὄλβος, οὔτ' ἄκαμπτος Ἄρης, οὔτε πάμφθερσις στάσις· ἀλλ' ἐπιχρίμπτει νέφος ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλαν γᾶν ἁ πάνδωρος Αἶσα.

v. 17.

Te ſemper anteit ſaeva Neceſſitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Geſtans aëna, nec ſeverus
Vncus abeſt, liquidumque plumbum.

Te

v. 17—20. Declarata per partes Fortunae potentia, nunc, quae illa in homines conſtituat, certiſſimum eventum habere, neque precibus (*οὐ σφαγίων κλύει* Eurip. Alc. 978. *prece non ulla mobilis* Senec. Oed. 991.) ea averti, aut vi (etenim *καὶ τὸν ἐν Χαλύβεσσι δαμάζει σοῦ βία σίδαρον* Eurip. l. l. v. 984.) propulſari poſſe vivida pictura oſtendit. Fortuna igitur h. l. eſt Graecorum Τύχη ἀναγκαία (Sophocl. Ai. 485.) Πότμος, Μοῖρα, Ἀνάγκη. Sed ſeiunxit hanc Fortunae ſubiectam notionem poeta, ac Neceſſitatem tanquam Fortunae miniſtram (quae *anteit* eam) repraeſentavit, eadem fere ratione qua Κράτος et Βία ad Iovis ſolium ſtare (Callim. H. in Iov. 67.) eiusque mandata exſequi (Aeſchyl. Prometh. init.) finguntur. Iam quum ea, quae immutabilia ſunt, quae adeo evitare non licet, clavo adacto firmata atque conſtricta priſca loquendi ratio ſymbolica efferret (Aeſchyl. Suppl. 949. de populi decreto: *τοιάδε δημόκρατος ἐν πόλει μία ψῆφος κύρωντα — τῶνδ' ἐφήλωται τοῖς γόμφος διαμπάξ, ὡς μένειν ἀμαρέτως.* Id. Trag. laud. 448. *πόλεμον αἱρεσθαι — κἀπὸ τοῦ ἀνάγκης καὶ γομφόμφωτα σκάφος στρεβλαῖσι ναυτικαῖσιν, ὡς προσηγμένον.* Pind. Pyth. δ. 125. de navigatione Iaſoni a Pelia iniunota: *τίς δὲ κίνδυνος κρατερὸν ἐδάμασσεν δῆσιν ἄλοις;* h. *quo periculi metu permotus Pelias hanc expeditionem demandavit Iaſoni?* Ad Amoris vim eleganter transtulit Plaut. Aſin. I. 3. 4. *fixus eſt hic animus tuus clavo Cupidinis;* quod *libidinibus ſe conſtringendum tradere* eſt Cic. de Fin. I. 47. Petron. c. 75. *Noſti, quod ſimul deſtinavi, clavo trabali fixum eſt.*) poeta ad Neceſſitatis vim indomitam (Ἀνάγκην κρατερήν, uti ſaepius Homero audit) omnia ſibi ſubiicientem, firmiterque conſtringentem deſignandam ornatum inde repetiit, eique tribuit *clavos trabales*, quibus trabes aedium compingebantur, graves adeo et portentoſae magnitudinis; *cuneos*, qui, ut validius adſtringerent, atque continerent, inſeri ſolebant (Vitruv. X. 12.) *uncum* denique *ſeverum*, vi impactum, tenacem, quo lapides conſolidabantur, et *liquidum*, liquefactum *plumbum*, unco, quo firmior laxis inhaereret,

Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno: nec comitem abnegat,
Vtcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

At

circumfusum, κορώνας μολυβδοσφιγγέας Oppian. Cyneg. I. 415. Spectat huc Eurip. Androm. 265. καὶ γὰρ, εἰ πέριξ σ' ἔχει τηκτὸς μόλυβδος, ἐξαναστήσω σ' ἐγώ. Fati rigorem ulterius declarat epith. *faeva*, δεινὴ, et *manus aëna*; qua eadem ratione *pensa* Parcarum *ferrata* vocat Claudian. R. Pros. I. 53. — *nec abest*, orationis variandae caussa, pro tenui, *insuper, praeterea et*, ut Virg. Aen. VI. 89. 90. *non — defuerint: nec — Iuno aberit*, et Aen. VII. 610. *nec — absistit limine Ianus.*

v. 21 *sqq.* Specialibus iam ideis immoratur poeta, et, quam vim Fortuna adversa ad animos humanos habeat, exponit. Vulgarem sententiam: In adversa fortuna restare misero spem et fidem h. fidos amicos, (ex oppos. *vulgus infidum* v. 25.) animare voluit poeta, Fortunae attribuendo, quae proprie ad eum spectarent, qui malignam eam experitur. Nam spes est in afflicto; fides spectatur in amicis eius. Iam quum adversas res poeta per fugam s. abitum Fortunae declarasset, necesse erat, ut Spem et Fidem, quas in homine misero perstare dicere vellet, easdem comites Fortunae datas, abeunti inhaerere, eam comitari: falsos contra amicos, qui laetiori tantum Fortunae adhaerere soleant, ab ea recedere fingeret. Vnde liquido apparet, Horatium hic Fortunam mox Deam, mox fortunam s. conditionem hominis miseram in animo habuisse, sicque totius imaginis satis scite inchoatae lineas penitus conturbasse. Nam ad Deam spectant unice illa: *utcunque domos linquis;* reliqua, si ornatum demas: *te spes et fides colit, nec comitem abnegat, mutata veste*, tum tota sequens strophe conditionem ac statum hominis, cuius domum Fortuna reliquerit, declarant. Nisi hoc statuatur, sane, qua tandem alia ratione diversissimae inter se imagines conciliari possint, non intelligo. In vitiosa hac orationis ambiguitate mirandum non videtur, Bentleium ad emendationem h. l. confugisse, quam cum reliquorum Intpp. opinionibus excussam vide in Obss. Verba ipsa ita iungenda videntur: *Te, utcunque*, quandocunque, ubi *inimica*, irata *linquis domos* per te antea *potentes* factas,

At volgus infidum et meretrix retro
Periura cedit: diffugiunt cadis
Cum faece ſiccatis amici
Ferre iugum pariter doloſi.

Serves

etas, hominem divitiis abundantem deſeris, h. bonis exuis, et calamitatibus deprimis, *mutata veſte*, mutato habitu (parum ſubtili iudicio ad Fortunam poeta retulit, quod afflicto adſignandum erat; nam is mutat veſtem ſplendidam, ſumta ſordida, veluti reus factus, vel omnino pannis ſe involvit, perditis omnibus) *colit*, praeſto tibi eſt, adhaeret *Spes* (quae et alibi Fortunae iungitur, diverſa tamen ratione. Sic Macedon. XXXIX. (Anal. Br. III. 122.) Ἐλπίδας Τύχης ἑταίρας vocat, quatenus utraque homines ludit.) et *Fides rara*, pauci ex amicis, qui fidem in adverſa fortuna praeſtant (Etiam in hoc epitheto deligendo parum accurate verſatus eſt poeta, cum a notione *Deae* nos avocet.) *velata* induta, ornata *panno albo*, veſte candida; haud obſcura figmenti huius ratione. *nec* tibi *comitem* ſe *abnegat*, comites abnegant, recuſant te comitari (fere ut Valer. Flacc. III. 695. *an ſeſe comitem tam triſtibus actis abneget.*) h. perſtant in rebus adverſis.

v. 25 — 28. Contra, *qui fortunis alicuius inducti amicitiam eius ſecuti erant, hi, ſimulac fortuna dilapſa eſt, devolant.* (Auct. ad Herenn. IV. 17.) *Vulgus*, maior pars amicorum, cum contemtu ſic dicta, ut opponatur *raras Fidei*. Ovid. ex Pont. II. 3. 8. *Vulgus amicitias utilitate probat.* Forte tamen proprie intelligendum de vulgo ſ. infima plebe, cuius favor cum Fortuna mutatur (Iuven. X. 73. *quid turba Romi? ſequitur Fortunam, ut ſemper, et odit damnatos*) nam amicorum in ſpecie mentio fit v. 27. — *Meretrix periura*, perfida, fallax, infida. — *retro* a te *cedit*, deſerit te. — 26. *cadis ſiccatis*, epotis, exhauſtis (ut I. 31. 11.) *cum faece* ἐκ τρύγος: quod eſt omnino pro, opibus exhauſtis. Sed alterum multo invidioſius, quod amicum non caſu aliquo bonis exutum, ſed a ſemetipſis ſpoliatum poſtea deſeruntur. — 28. *doloſi ferre* graece, pro, quam ut ferant, ſubeant *pariter* ἐξ ἴσου, aequa parte *iugum*, doloſe, perfide ſe ſubducentes, detrectantes *iugum*, non ferentes conditionem a Fortuna impoſitam, calamitates. Eadem forte imago in Theognid. 127. οὐ γὰρ ἂν ἐδίλης ἐνδοῖ νέον — πρὶν πατρα-

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos, et iuvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.

Eheu

πειραθείης ὥσπερ ὑποζυγίου. Ad totam sententiam Id. 79 sqq. παύρους εὑρήσεις — ἄνδρας ἑταίρους πιστοὺς ἐν χαλεποῖς πρήγμασι γιγνομένους, οἵτινες ἂν τολμῷεν, ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες, ἶσον τῶν ἀγαθῶν τῶν τε κακῶν μετέχειν.

v. 29 *sqq.* Exposita e priscorum hymnorum ratione Deae potentia iam ad preces se convertit. *Serves Caesarem et iuvenum examen*, per litoten, pro: expeditionem istam faustam esse iubeas devictis Britannis et Orientis populis. — *ultimos orbis* terrarum homines. *Vltima* enim *Occidentis insula* habebatur Britannia (Catull. XXIX. 4. et 13.) ipsique inde dicti *ultimi* Catullo (XI. 11.) et aliis. Sic *extremi hominum Morini* Virg. Aen. VIII. 727. *extremi orbis Iberi* Lucan. VII. 541. — *iuvenum examen*, exercitum ad bellum eductum. Nam in hoc comparationis vis ponenda. Aeschyl. Pers. 126 sqq. πᾶς γὰρ ἱππηλάτας τε καὶ πεδοστιβὴς λεὼς, σμῆνος ὣς ἐκλέλοιπε μελισσῶν, σὺν ὀρχάμῳ στρατοῦ. Etsi alias simpliciter de multitudine dicatur. Sic ἐσμὸς νούσων Aeschyl. Suppl. 692. ἐσμὸς παίδων (ut *vernae ditis examen domus* V. 2. 65.) Antip. Sid. XLIII. 8. (Anal. Br. II. 18.) *populorum examina* Avien. Descr. O. 304. et 315. *Iuvenes, iuventus, pubes*, multoties apud Virgil. et alios de militibus. Hoc loco tamen proprie accipiendum videtur: nam erat exercitus *recens*, nuper conscriptus, veteranis militibus dimissis. Nisi *recens* magis ad *examen* pertinet, ut sit: exercitus nuper, modo ad bellum eductus. — *timendum*, debellaturum, subiugaturum; magnifice, pro, quod militatum abit, bellum infert *Eois partibus*, Eoae terrae plagis, *et Oceano rubro*, ad mare rubrum h. Indicum sitis, omnino pro, Orientis populis, Arabibus et Parthis. Nam adversus hos maxime expeditio Aelii Galli, quam poeta h. l. innuit, suscepta videbatur. v. ad I. 29. init.

v. 33 *sqq.* Sententiarum nexus ita animo informandus videtur: Serva Augustum cum exercitu, sicque curam populi Romani, quem, bellis civilibus immersum, aliquamdiu aversata

es,

Eheu cicatricum et ſceleris pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefaſti
Liquimus? unde manum iuventus

Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova

Incude

es, iterum ſuſcipe: pudet enim nos ſceleris, quo divina humanaque iura violavimus, h. belli civilis. Oratio plena indignationis atque affectus. — *cicatricum*, vulnerum, caedis, pugnae civilis, quae *ſcelus*, ſollenni idea. Lucan. II. 286. *Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur.* v. ad I. 2. 29. — *fratrum* caedis. Amplificavit hanc ideam Lucan. II. 147. *fecit ſibi quisque nefas: — domini per viſcera ferrum exegit famulus: nati maduere paterno ſanguine: — in fratrum cecideruntpraemia fratres.* — 34. *quid refugimus*, nihil tam atrox, tam nefarium fuit, quod non perpetrare ſuſtineremus, ad quaevis facinora promtiſſimi fuimus, ſcelus ſcelere cumulavimus. *Multus* enim *ſcelerum facies* (Virg. Ge. I. 506. de eadem re) bella civilia ſecum ferunt; ex his poeta memorat tantum Deorum contemtum. — *dura aetas*, duri, nullo pudoris ſenſu inde revocati, impii. V. 16. 9. *impia perdemus devoti ſanguinis aetas.* — 35. *quid intactum* caet. nihil non *nefaſti*, nefarie attigimus, quod adeo tangere nefas erat, h. res ſacras, templa Deorum violavimus, caede polluimus, diripuimus. — 36. *manum continuit*, abstinuit *metu Deorum*, Deos vindices reverita. — 37. *quibus aris*, num templis *pepercit?* Lucan. II. 103. *ſtat cruor in templis multaque rubentia caede lubrica ſaxa madent.* Spectat etiam ad ſacrilegia, neglectumque Deorum cultum. cf. III. 6. 1.

v. 38 *ſqq.* Vtinam hoſtes potius Romani imperii iis armis, quae in nosmet convertimus, petantur, ac deleantur! (fere ut I. 2. 22. *quo graves Perſae melius perirent.*) Pro hoc ornatius eſt: *Vtinam ferrum* in civibus *retuſum*, hebetatum *nova incude diffingas in M.* docta brevitate pro, iterum in maſſam conflatum refingas, recudas atque vertas in Maſſ. Fortuna cudit enſem, ad fatalem bellorum neceſſitatem deſignandam.

Incude diffingas retuſum in
Maſſagetas Arabasque ferrum.

dam. Aeſchyl. Choeph. 645. προσχαλαιεύει Αἶσα φασγανουργός. Egregie vero bellorum civilium atrocitatem atque diuturnitatem declaravit poeta per arma retuſa atque fracta, quae adeo incudi reddi oportebat, ut uſum in bello iterum praeſtarent. Argutantur alii. Ex hoſtibus poeta memorat *Maſſagetas*, Scythiae gentem, Parthis vicinam et *Arabas*, cum dilectu propter vv. 31. 32.

CAR-

CARMEN XXXVI.

ARGUMENTUM.

Numida quodam e gente Plotia, Horatii familiari, ex Hispania, confecta a. V. DCCXXX. Augusti in Cantabros, cui interfuisse videtur, expeditione, Romam reverso, poeta cum ipsi, tum amicis eius, e quibus Lamiam honoris caussa nominat, felicem reditum gratulaturus in gaudii, quo primum ad canendum impulsus fuerat, affectu declarando occupatur, quoque magis eum testatum faciat, diem votis pro servato amico Diis persolvendis, festisque epulis celebrandum indicit. In tenui hoc argumento placet officiosa Horatii sedulitas, unice hoc agentis, ut epulae tam festa luce dignae apparentur, caeteraque adsint, quae ad exhilarandos convivarum animos vim aliquam habere possint, in quorum brevi at vivida enumeratione praecipua carminis virtus cernitur. Caeterum similis argumenti est II. 7. Catulli c. IX. ad Verannium et Iuvenal. XII. quae cum nostro comparari velim.

AD PLOTIVM NVMIDAM.

Et ture et fidibus iuvat
Placare et vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidae Deos,
Qui nunc Heſperia ſoſpes ab ultima
Caris multa ſodalibus,
Nulli plura tamen, dividit oſcula,
Quam

v. 1 *ſqq.* Lubens voto, cui, Numida incolumi reverſo, obſtrictus ſum, me nunc exſolvo, ſacrum Diis, pro eiusdem ſalute promiſſum, offerendo. Erat adeo ſacrificium *debitum*, ex voto, votivum (ut *votiva iuvenca* Epiſt. I. 3. 36. *votiva aedes* II. 17. 31. et II. 7. 17. *obligatam redde Iovi dapem.*) impetratis iis, quae a Diis precatus erat. Ovid. Faſt. V. 596. *meritus votis debita ſolvit honos.* Tibull. IV. 4. 23. *debita reddet certatim ſanctis laetus uterque focis.* Declarat autem poeta ſacrum per *tus, fides* (nam et cantu admixtis tibiis et lyra ſacra peragebantur. IV. 1. 21. *Illic — duces tura, lyraeque et Berecyntiae delectabere tibiae mixtis carminibus non ſine fiſtula.* Ad ſua tempora morem iſtum perduraſſe teſtatur Porphyr.: „Fidicinas hodie quoque Romae ad ſacrificia adhiberi, ſicut tibicinas, nemo eſt qui neſciat.“ Res in monumm. quoque paſſim obvia.) et *hoſtiam.* — *Placare Deos* generali notione accipiendum pro, ſacra iis offerre; ut III. 23. 3. *ſi ture placaris et frugi Lares.* Iuvenal. XII. 89. in eodem argumento: *hic noſtrum placabo Iovem, Laribusque paternis tura dabo.* — *vituli ſanguine*, caede, vitulo mactando. — *cuſtodes Numidae*, qui Numidam cuſtodierint, ob ſervatum Numidam. Omnino vulgaris priorum vv. cum ſeqq. nexus erat: Diis vota ſolvenda ſunt, quod Numidam, deſideratiſſimum amicis ſuis, maxime Lamiae, incolumem reduxerint, vel: quod Numidam amicis eius ſalvum reddiderint. Pro hoc ſuavius poeta: *qui nunc ſoſpes* reverſus *ab Heſperia*, Hiſpania, *ultima* terrarum verſus occidentem, vel omnino, longinqua, ut *ultima Africa* II. 18. 3. — *dividit*

Quam dulci Lamiae; memor
Actae non alio rege puertiae,
Mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota:
Neu promtae modus amphorae,

Neu

vidit oscula sodalibus, inter sodales, modo hunc modo illum osculo impertiendo. Seneca Thyest. 1023. *osculare: divida amplexus tribus.* Suaviter haec declarant, quam exoptatus Numida amicis fuerit, certatim ei felicem reditum congratulantibus. — 7. *dulci*, suavi ac veteri amico. Ornate hoc exposuit in sqq. — *memor* propter, (ut I. 33. 1.) quod pueritiam egerit *non alio*, eodem cum illo *rege* usus, inde a pueritia adeo cum eo coniunctus. Rex igitur h. l. est, qui instituendae regundaeque iuventuti praeficitur, *custos* dictus A. P. 161. et Virgil. Aen. V. 546. Alii de rege in ludis puerilibus accipiunt; quod ipsum puerile videtur. Nec melior eorum ratio, qui Lamiam *regem* h. patronum Numidae a pueritia fuisse contendunt; cui refragatur vel v. sq. — 9. quocum *simul togam* praetextam virili *mutavit*, togam virilem una sumsit.

v. 10 *sqq.* Festus igitur hic dies habeatur, hilariterque transigatur. Hilaritatem specialibus ideis poeta declaravit per compotationem, saltationem, epulas, et, qui epulis inserviunt, florum copiam. — *Ne careat*, cum vi: haec, si quae alia, distinguenda, signanda est *nota Cressa*, terrae quae Cretica habebatur, cretae nota, h. alba; proverbiali locutione pro: in felicissimis numeretur. Alias dicitur, *albo lapillo diem notare*, de qua loquendi ratione multus est Bentl. qui tamen parum dextre Statii Silv. IV. 8. 39. *Albanoque cadum sordentem promere fumo, et cantu signare diem* eidem accommodat, corrigendo: *et* creta *signare diem.* Nam *redimire chelyn*, quod antecedit, de solo apparatu intelligendum; et *cantu signare diem* eadem ratione dictum, qua Ovid. Fast. V. 474. *honore signare diem.* — *dies pulchra*, laeta, felix, fausta, ut IV. 4. 39. Alias est *lux candida*, *nivea* et sim. — 11. *neve modus* adhibeatur *amphorae*, h. vini ex amphora hauriendi, in potando modum excedere decet, fas est per diei sollennitatem. Simili colore Stat. Silv. I. 5. 11. *Iunge, puer, cyathos, sed ne numerare labora; cunctantemque intende*

Neu morem in Salium sit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Bassum Threïcia vincat amystide:

Neu

tende (corrige sine haesitatione: *impelle*) *chelyn.* — *Promtae* e cella vinaria, atque in medium positae, sollenni vocabulo. H. l. simpliciter ornat. Alii tamen, eo inducti, sententiam sic constituunt: ne modus sit in promendis de cella amphoris; quam admodum vereor, ut linguae leges ferant. — 12. nec absit saltatio, tripudium, more Saliorum. *Pede terram quatere* (I. 4. 7.) *pulsare* (I. 37. 2.) *pedem ferre* (II. 12. 17.) *movere*, ut πάλλειν πόδα αἰθέριον Eurip. Troad. 546. sollennia de saltatione. H. l. non tam concinnus ille, certisque pedum mensuris adstrictus corporis motus intelligendus, quam potius, qualis in effusiore laetitia deprehenditur, exultatio, tripudium, Saliis Martis sacerdotibus fere proprium. v. Liv. I. 20.

v. 13. 14. *Damalis ne vincat Bassum*, docte et exquisite pro, certent inter se *amystide*, bibendo. Ἄμυστις est, ut Hesych. explicat, συνεχὴς πόσις, quum poculum uno spiritu exhauritur. Hinc ἀμυστὶ πίνειν, veluti Anacr. XXI. 2. quod alias est χανδὸν πίνειν. Alii quodvis grandius poculum, de quo absque respiratione ebibendo inter convivas certetur, sic dici existimant, nullo idoneo auctore. Est adeo proprie h. l. *ne vincat amystide*, in eo certaminis genere, cuius lex est, ut poculum uno ductu exhauriatur, tum omnino, in bibendi certamine. *Thraciam* vocat ad exemplum Callimachi apud Athen. XI. 477. (in fragmm. Bentl. n. CIX.) Καὶ γὰρ ὁ Θρηικίην μὲν ἀνήνατο χανδὸν ἄμυστιν ζωροποτεῖν: quia Thraces vinolenti, et ἀκρατοπόται. v. I. 26. 1. Alii a Thracibus hunc certandi morem repetitum volunt: de quo tamen aliunde non constat. Caeterum cum turpe esset feminis ingenuis, vinum bibere, Damalin libertinam fuisse, Numidae olim amatam (v. v. 19.) forte fidicinam vel omnino arte musica excellentem (quales commissationibus adhibitas fuisse constat vel e II. 11. extr.) satius est statuere. — *multi meri*, multibiba ac merobiba, ut Plaut. Curc. I. 1. 77. de lena. Similis formae est locus Ovid. Metam. XIV. 252. *nimiique Elpenora vini.* Eadem de Cleo, femina bibacissima, praedicat Phalaecus apud Athen. X. p. 440. et inde in Anal. Br. II. 525. Χρυσωτὸν (Κροσσωτὸν malebat Toup. App. ad Suid. p. 78.) κροκό-

Neu desint epulis rosae,
Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalin putres
Deponent oculos; neo Damalis novo
Divel-

κρεκόεντα περιζώσασα χιτῶνα τόνδε, Διωνύσῳ δῶρον, ἔδωκε Κλεώ, οὕνεκα συμποσίοισι μετέπρεπεν· ἶσα δὲ πίνειν οὔτις οἱ ἀνθρώπων ἤρισεν οὐδαμά πω. *Bassus* et ipse insignis bibacitatis fuerit oportet. De celebri iamborum scriptore, Ovidii amico (Trist. IV. 10. 47.) cogitant nonnulli; parum probabiliter.

v. 15 *sq.* Florum sollennis mentio in convivii apparatu. v. v. c. III. 29. 3. et extremum h. l. carmen. Memorat ex his *rosas*, *apium vivax* σέλινον ἀείφυλλον Nicand. Ther. 211. χλωρὸν Mosch. I. 103. *vivaces hederas* eodem sensu Seneca Oed. 455. et *lilium breve*, cito deflorescens, ut *rosa brevis* II. 3. 13. *dominus brevis* h. brevis aevi II. 14. 24.

v. 17—20. Omnes Damalis amore incendentur, neque tamen eo potientur. Damali in Numidam animo conversa. Vivide satis atque ornate descripsit haec poeta. — *in Damalin deponent oculos*, breviter et exquisitiore forma, pro, oculos in Damalin coniicient, in eaque deponent, defigent, pulchritudine eius quasi obstupefacti. Xenoph. Sympos. c. I. (ed. Bach. p. 117.) ὥσπερ ὅταν φέγγος τι ἐν νυκτὶ φανῇ, πάντων προσάγεται τὰ ὄμματα, οὕτω καὶ τότε τοῦ Αὐτολύκου τὸ κάλλος πάντων εἷλκε τὰς ὄψεις πρὸς αὐτόν. Heliodor. II. p. 123. καθάπερ ἀρχέτυπον ἄγαλμα πᾶσαν ὄψιν καὶ διάνοιαν ἐφ' ἑαυτὴν ἐπιστρέφει. — *putres*, resolutos, humidos, molles, amore tabescentes, (ὄμμα τακερὸν, ὑγρὸν, λίχνον v. c. in Callim. fr. Bentl. n. CVII.) *natantes et quadam voluptate suffusos.* (Quinctil. Inst. XI. 3.) cf. ad I. 13. 6. —18. *neque* tamen Damalis *divelletur*, divelli se patietur *adultero* (tertio casu) ab amplexu adulteri, amatoris, Numidae. — *novo* iterum sibi reddito, quem denuo amplectitur; nihil amplius. — *ambitiosior*, quem arctius amplectitur, cui tenacius inhaeret quam hederae arborem ambire solent; pervulgata poetis imagine. Catull. LXI. 32. — 35. *mentem amore revinciens, ut tenax hedera huc et huc arborem implicat errans.* Claudian. Fesc. XIV. 19. *quam frondens hedera stringitur aesculus, quam lento premitur palmite populus.*

Iam

Divelletur adultero,
Lascivis hederis ambitiosior.

Iam Eurip. Hec. 398. ὁποῖα κισσὸς δρυὸς, ὅπως τῆσδ' ἕξομαι. cf. V. 15. 5. — *lascivis* magis ad Damalin lascive Numidam amplexam spectat, docte inde ad hederam arbori se implicantem traductum.

CAR-

CARMEN XXXVII.

ARGVMENTVM.

Pugna Actiaca a. V. DCCXXIII. commissa, etsi sequentis demum anni initio Alexandriam Augustus peteret, eaque capta Antonium et Cleopatram ad voluntariae mortis desperationem adigeret, poeta, quo et fortius legentium animos feriret, reique gestae dignitatem extolleret, ab historice veritate discessionem fecit hactenus, ut rem tanquam continuo gestam, Augustum adeo Antonio et Cleopatrae e pugna ista fugientibus instantem, obsessamque statim captamque ab eo Alexandriam, tum necem Cleopatrae insecutam traderet. Eodem ordine rem expositam habes apud Flor. IV. 11. Iam initio statim carminis effusioris laetitiae sensum, quo contactus ad canendum accesserat, prae se ferens poeta ad communem hilaritatem sodales exhortatur, diemque festis epulis celebrandum indicit. His enim patriae quemque amantissimum nunc vacare, omnique omnino laetitiae genere certare oportere, propulsato, quod metu omnium continuisset animos, patriae periculo. Quum enim Cleopatra imperii Romani potiundi spem impotenti animo concepisset, ab hac, superata atque incendio absumta eius classe, tam turpiter deiecta est, ut fuga vitae suae consulere necesse haberet, eoque tandem inopiae, instante Octaviano, redigeretur, ut, ne in hostium potestatem veniret, ipsa sibi manus inferret. Eminet hoc carmen vividissima

rerum

rerum expositione, affectuum vi, elocutionisque ornatu splendido. In adornando vero Cleopatrae charactere sensum plane Romanum secutus videri debet poeta. Evertendae enim reip. Romanae consilium non poterat, quin civi Romano, qui Capitolii arcem aeternam caputque imperii orbis terrarum haberet, temerarium videretur, cuius tamen temeritatis culpam idem a Cleopatra, quod expers muliebris metus voluntariam mortem ignominiosae praeferret, satis redemtam iudicabat. Ita fere de Antonio Vellei. II. 87. Antonius se ipse non segniter interemit; adeo ut multa desidiae crimina una morte redimeret. Caeterum comparent cum h. c. Nostri V. 9. Virg. Aen. VIII. 675. et Propert. III. 11. et IV. 6.

A D S O D A L E S.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, Sodales.

Ante-

v. 1 *sqq.* Effrenis laetitiae sensum, quo ad canendum excitatus erat poeta, ipsa oratio per breves sententias praecipitata mire adiuvat; cui insuper vim addit *τὸ nunc* repetitum et v. *erat*, de quo statim. Generalis sententia erat: hilariter hunc festum agamus diem! Pro hoc statim, quibus animum exhilarari vult, commemorat vinum, saltationem, epulas: fere ut I. 36. 11 sqq. Initium fluxisse videtur ex Alcaei similis argumenti carmine, cuius primos vv. servavit Athen. X. 8. *νῦν χρὴ μεθύσκειν, καὶ τινα πρὸς βίαν πίνειν, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος.* — *pulsanda tellus*, saltandum, tripudiandum (ut I. 4. 10. adde I. 36. 12. Ovid. A. A. 1. 112. Fast. VI. 330.) *pede libero*, libere, effuse, ut animum metu liberatum decet. Nam ad totum animi habitum hoc epith. pertinet. Propert. IV. 6. 61. in eadem re: *prosequitur cantu Triton, omnesque marinae plauserunt circa* libera signa *Deae*, h. laetitiae signa plausu edidere. Pessime ibi Intpp. Sic *πεῦς ἀνόστος* Eurip. Hel. 875. *pes inimicus* Prop. II. 6. 38. *superbus* Senec. Med. 253. *iniuriosus* supra 36. 15. et sic centies. Minus commode alii h. l. interpretantur: *pede libero* a catenis, quae a Cleopatra timendae erant, s. recuperata libertate. — 2. nunc epulae apparentur splendidae ac magnificae pro diei sollennitate. Docte et augusta specie hoc poeta extulit, orationis colore a supplicationum caerimoniis desumto. Decreta enim ad pulvinaria Deorum vel ob res feliciter gestas vel ad ipsorum iram prodigiis aut calamitate publica manifestatam placandam supplicatione Deorum statuae in lectis circa aras collocari, iisque amplissimae dapes apponi solebant. Vbi igitur ad gratias Diis agendas ea fieret, privata cum publica certabat laetitia, festis epulis aliisque prodita. Cic. in Catil. III. 10. *quoniam ad omnia pulvi-*

Antehac nefas depromere Caecubum
Cellis avitis, dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et Imperio parabat

Conta-

pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum coniugibus et liberis vestris; laudante iam Lamb. Eodem orationis splendore ac dignitate sollennes epulas devicta Cleopatra indicit Prop. IV. 6. 1 sqq. Alii proprie h. l. accipiunt, veramque a poeta supplicationem edici existimant. Sed haec parum commode interiecta esset aliis, quae ad privatam laetitiam spectant; tum carmen est ad Sodales, non ad populum Rom. ut III. 14. ubi multo graviorem ingenii incessum in eadem re suadenda deprehendas. — *Saliares dapes*, epulae opiparae et magnificae. Hinc *epulari Saliarem in modum* proverbialiter Cic. Att. 5. 9. v. Torrent. — *ornare pulvinar dap.* instruere, adponere dapes pulv. — *tempus erat*, est, sed alterum eleganter animum laetitiae testificandae vel minimam moram impatientius ferentem depingit. Aristoph. Eccles. 872. τί ποτ' ἄνδρες οὐχ ἥξουσιν; ὥρα δ' ἦν πάλαι. Senec. Med. 111. *Multifidam iam tempus erat succendere pinum.* Propert. II. 8. 16. *magni nunc erat oris opus.* ubi v. Broukh. Idem elegans usus partic. *dudum* et *iamdudum*, v. c. Ovid. A. A. II. 457. *Candida iamdudum cingantur colla lacertis.* Tib. III. 6. 63. *Iamdudum Syrio madefactus tempora nardo debueram fertis implicuisse comas.* Alii graecismo rem expediunt, parum opportune, arbitror.

v. 5 sqq. Quod antea, rep. in summum discrimen adducta, *nefas*, impium fuisset, civem Romanum dedecuisset. Pro hac vulgari transeundi forma docte poeta sententiam priorum vv. alia idea speciali, qua vitam iucundam in genere designat, iterum repraesentat. *Caecubum* pro quovis nobiliori vino, quod adeo festa tantum luce bibatur, *repositum ad festas dapes* V. 9. 1. cf. Prop. III. 6. 63. Tib. II. 1. 27. *depromere* (v. ad I. 9. 7.) e *cella avita*, in qua vinum ab avo reconditum fuerat, adeoque vetustum. *Testam paternam* similiter dixit Tibull. I. 10. 48. — *6 sqq.* Splendide, pro, dum Cleopatra reip. Romanae interitum parabat. Pro republica est *Capitolium*, cum dilectu; nam aeternitatis illud rei Romanae certissimum pignus habebatur. v. III. 3. 42. et III. 30. 8. Hinc *ruinas* eius *dementes*,

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum, quidlibet impotens
Spe-

tes, feminae dementis, quas non nisi demens animo struere possit. — Quo everso, *Funus*, finem se simul impositurum sperabat *Imperio* Romanorum in universum terrarum orbem. Plus dignitatis habet, si ita accipias, quam si simpliciter de evertenda rep. Romana cogites. Ita quoque Vellei. II. 85. *Advenit deinde maximi discriminis dies, quo Caesar Antoniusque productis classibus pro salute alter*, in ruinam alter terrarum orbis *dimicavere*. Caeterum colorem orationis e Nostro duxit Valer. Max. V. 2. de Coriolano: *funus et tenebras Romano imperio minitantem*; unde patet, legi debere: *funus et ruinas* caet. Facile vero intelligitur, ad invidiam rei augendam haec a poeta ita adornata esse; nam non tam exscindi populum Romanum volebat Cleopatra, quam ei imperare, regni sede Alexandriam translata. Res satis nota e Dione L. 7. adde Propert. III. 11. 29 sqq. Flor. IV. 11. — 9. cum spadonum turba, quos et in consilium adhibebat, et exercitibus praefecerat. Infra V. 9. 13. *Romanus miles — spadonibus servire rugosis potest*. Indignitatem rei ipsa oratione auxit poeta. Nam istum spadonum comitatum *gregem* vocat per contemtum (ut Sueton. Tit. c. 7. *libido propter spadonum greges suspecta in eo erat.*) eumque *contaminatum*, impura libidine attritum (Propert. de Cleopatra III. 11. 30. *et famulos inter femina trita suos*, eadem virulentia) impurum, infamem. Apte Tacit. Annal. XV. 37. *Vni ex illo contaminatorum grege in modum sollemnium coniugiorum denupsisset*, laudante Bentl. Alii ad eviratione nem trahunt. — *turpium morbo* turpi morbo infamium, morbosorum, παθικῶν. Nam *morbus*, ut Gr. νόσος, πάθος, de impura libidine dicitur. Catull. LVII. 6. *Morbosi pariter, gemelli utrique*. Senec. ep. 83. *impudicus morbum confitetur ac publicat*. φιλόπαιδα νόσον habes in Callimach. Epigr. XLIX. 4. Possis etiam epith. *turpium* ad corpus s. faciem rugis inde ante tempus deformatam trahere: qua eadem vi *rugosos spadones* Noster dixit V. 9. 13. et *frontem hispidam* IV. 10. 5. adde Claudian. in Eutrop. II. 67. — 10. *quidlibet . . . ebria*, rebus secundis in summam spem imperii Romani potiundi adducta. *Impotens* est is, qui sibi temperare, modum servare nequit, veluti in laetitia (Liv. XXX. 42. *ex insolentia, quibus nova bona fortuna*

Sperare, fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem

Vix una sospes navis ab ignibus:
Mentemque lymphatam Mareotico

Rede-

tuna sit, impotentes laetitiae insanire.) hinc *impotens sperare*, in sperando, quae immodicas spes animo conceperat, quae, qua erat animi impotentia, quidlibet se adsequi posse confisa erat. — *ebria* docte pro insanens, mente prorsus alienata, impos sui et hoc graviter pro, elata, animosa, insolens facta *fortuna dulci*, fortunae blanditiis. Sic *μεθύων πληγαῖς* Amycus acceptis vulneribus impos sui factus, *ἀμηχανῶν* dicitur Theocr. XXII. 98. *μεθύων ἔρωτι*, h. *ἀκρατῶς ἐρῶν*, Anacr. in fr. p. 279. ut *ebrii* amore *ocelli* Catull. XLV. 11. et fim. Sunt, qui epith. *dulci* ad v. *ebria* poetam allusisse existiment. Sed poetis *dulcia* omnino dicuntur ea, quae animum oblectant, vel adspectu laeta sunt. Caeterum non tam res feliciter gestae Cleopatram in spem regni erexerant, quam amor Antonii, qui imperium Romanum pretium libidinum (Flor. IV, 11.) ei promisisset. Igitur de hoc *fortuna dulcis* unice capiendum.

v. 12 *sqq.* Spem tamen istam abiecit, classe ab Octaviano ad promontorium Actiacum graviter adflicta. — *minuit furorem* dispulit, excussit animo insaniam affectati imperii, spem regni impotenti animo conceptam, quod *vix una navis sospes* evasisset, servata esset *ab ignibus*, quibus reliquae absumtae essent, quod tota paene classis igni deleta esset. Rem tradit Dio L. 54. et alii. Spectant adeo haec ad Antonii classem, quae, ab eo deserta, in longum fortissime pugnandi perseveraret constantia, ac paene tota cremaretur. Cleopatra enim cum LX navibus, vix inito proelio aufugerat. Quarum quidem, nullius quippe ad fortunam belli iterum tentandam momenti, nullam rationem habuit Horatius, ut poeta; graviter tamen ideo accusatus a T. Fabro Epist. II. 55. — *Mentem lymphatam*, lymphatico metu, s. vano terrore correptam. Ovid. Halieut. 49. *animalia — vani quatiunt lymphata timores.* Seneca ep. 13. *nulli tam perniciosi — quam lymphati metus sunt: caeteri enim sine ratione, hi sine mente sunt. Lymphati* enim dicuntur subito Nymphae adspectu

Redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem

Remis adurgens: accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus

Vena-

spectu consternati, ab eaque in furorem acti, οἱ κατεχόμενοι Νύμφαις (ut Hesych. v. Νυμφόληπτοι) seu, ut Ovid. Her. IV. 47. *quas Dryades Faunique bicornes numine contactas attonuere sui;* tum omnino mente alienati, atque ita perturbati, ut prae consilii inopia caeco pavore corripiantur. Iam lymphaticum s. inanem timorem Cleopatra prodiderat, cum vix inito proelio, rebus adhuc integris, fugam statim cum navibus suis moliretur; cuius timoris atque adeo amentiae caussam ad ebrietatem poeta retulit, ut simul profligatam eius luxuriam notaret. — *Mareoticum* vinum, ad. Mareotidem paludem. v. Strabo XVII. p. 1150. cf. Heyn. ad Virgil. G. II. 91. — *redegit in* s. ad *veros timores*, effecit, ut haud temere amplius timeret, verum ipsius animo incussit timorem. Proprie esse videtur: dispulit insaniam Mareotico menti offusam hactenus, ut, cum antea sine caussa trepidasset Cleopatra, nunc vere se ad incitas redactam intelligeret. — *adurgens* premens, proxime insequens eam *ab Italia*, quam classe petitura fuerat, adeoque retro *volantem* praecipiti fuga ablatam. Ita iungere praestat, quam *ab Italia remis adurgens*, quod languidius videtur, etsi ad rei veritatem dictum foret. Nam Caesar anni sequentis demum initio ex Italia reversus Alexandriam petiit. Dio LI. 5. Horatius tamen ita rem adornasse videtur, ut praeter Liburnas naves et ipse Caesar statim post pugnam Actiacam Cleopatram persecutus sit. Neque aliter Flor. IV. 11. *Prima dux fugae regina — sed instare vestigiis Caesar — prope manu tenebantur.* — 17. Comparatio Homerica Il. χ. 139. sq. Πηλείδης δ' ἐπόρουσε — ἠΰτε κίρκος ὄρεσφιν, ἐλαφρότατος πετεηνῶν, ῥηϊδίως οἴμησε μετὰ τρήρωνα πέλειαν. cf. Eurip. Androm. 1141. Ovid. A. A. I. 117. *molles* timidas, imbelles (IV. 4. 31.) communi animalium timidorum epitheto. v. ad I. 15. 31. — *citus* cursu concitato persequens, vestigiis instans. —

 nivalis

Venator in campis nivalis
Haemoniae: daret ut catenis

Fatale monstrum; quae generosius
Perire quaerens, nec muliebriter

Ex-

nivalis cum dilectu, nam per hiemem venari sollenne. Hinc nivis ac frigoris constanter in venatus descriptione mentio fit. v. ad I. 1. 25. et V. 6. 7. Sed negant omnino hoc epith. in Thessaliam, mitiori caelo subiectam, cadere, ideoque *Aemoniam* de Thracia, quam ab Aemo, eius monte, sic appellatam volunt, interpretantur, invito usu loquendi atque analogia. Montanas vero Thessaliae regiones nive consitas fuisse plura veterum evincunt testimonia. *Ossa pruinosum vexit* glacialis *Olympum* Claudian. de R. Pros. III 257. adde in Ruf. II. 181. Stat. Ach. I. 476. de Achille: *quis enim Aemoniis sub vallibus alter creverit, effossa reptans nive.*

20. *Vt catenis daret*, in vincula coniiceret, omnino pro, ut viva ea potiretur, eamque triumphali pompae reservaret. Quod Augusti consilium diserte tradit Plutarch. Ant. p. 952. τὸν Προκουλήϊον ἔπεμψε κελεύσας, ἢν δύνηται, μάλιστα τῆς Κλεοπάτρας ζώσης κρατῆσαι. Καὶ γὰρ ἐφοβεῖτο περὶ τῶν χρημάτων, καὶ μέγα πρὸς δόξαν ἡγεῖτο τοῦ θριάμβου καταγαγεῖν ἐκείνην. Quod ipsum poeta innuit per catenas s. vincula Cleopatrae iniicienda. Stat. Silv. III. 2. 119. *anguiferamque domum, blando qua morsa veneno Actias Ausonias fugit Cleopatra catenas.* Nam catenati pompam triumphalem devicti hostium duces ornabant, mox in carcere necandi. cf. V. 7. 4. Eodem colore Senec. Troad. 152. *Non assuetas ad sceptra manus post tergu dabit; currusque sequens Agamemnonios — laetis fiet pompa Mycenis.* Propert. III. 9. 52. *Accepere tuae Romula vincla manus* de Cleopatrae imagine in triumphi pompa circumlata. Vnica *monstri* appellatione poeta summa ἐναργείᾳ totam Cleopatrae, feminae profusissimae luxuriae, libidinis incestae (e Romanorum sensu, v. c. Lucan. VIII. 693.) atque inexpletae, tum animo impotentissimae, adeo, ut, quae mulier, eaque externa esset, (Lucan. X. 66. *Leucadioque fuit dubius sub gurgite casus, an mundum, ne nostra quidem, matrona teneret.*) Romano totinsque adeo orbis terrarum imperio inhiaret, hocque ab Antonio libidinum pretium pacta esset,

Expavit ensem, nec latentes
Classe cita reparavit oras;

Ausa

esset, (Flor. IV. 11. *Haec mulier Aegyptia ab ebrio imperatore pretium libidinum Romanum imperium petit.* cf. Prop. III. 11. 31.) imaginem absolvit. Inde Flor. l. l. *Antonius — totus in monstrum illud, ut mente, ita animo quoque et cultu desciverat.* De Catilina similiter Cic. in Cat. II. 1. *nulla iam pernicies a monstro illo atque prodigio moenibus comparabitur. Fatale* pestiferum, exitiosum reip. Romanae. Optime totum hunc locum illustrat Lucan. X. 59. 60. de Cleopatra: *Dedecus Aegypti, Latii feralis Erinnys, Romano non casta malo.*

v. 21 *sqq.* Illa autem indignum rata hoc modo perire, gloriosiorem vitae exitum, ense arrepto, tentavit; cumque mori decrevisset, non ignotos maris aut Nili recessus, in quibus delitesceret, sed regiam animo plane regio petiit, ibique regali induta cultu mortem sibi, admota corpori aspide, conscivit. Quam diversa ab hac pedestri poetica sit ratio, maxime in sententiarum nexu, facile animadvertas. — *generosius*, mortis genere, quod magis reginam deceret, quam quo ignominiose per triumphum, manibus revinctis, ducta in carcere afficeretur. — 23. Inverse: fortiter ensem manibus tractavit, quo se peremtura fuerat. Vim enim sibi, prolato telo, inferre conabatur, Proculeium, qui se ad Octavianum ducturus esset, conspicata, qui illud manibus eius vix extorsit. Plutarch. l. l. — *muliebriter* e sexus sui imbecillitate, timida indole. *muliebris metus expertem*. Cleopatram *spiritum reddidisse* similiter dicit Vellei. II. 87. — *nec classe*, quacum e proelio effugerat, *cita* citata, citato cursu, fuga praecipiti *reparavit*, paravit, quaesivit, petiit, *oras latentes*, latebrosa loca, tutos recessus, quo Augustus non secuturus fuisset. Affert quidem Plutarch. p. 948. de transvehendis e Nilo in sinum Arabicum navibus eam primo cogitasse, et inde Arabiam vel Hispaniam (Dio. LI. 10.) petere voluisse; abiecisse tamen illud consilium, cum naves aliquot, primum transmissas, ab Arabibus Petraeis combustas audisset. *Praeparatae* eius *in Oceanum fugae* meminit quoque Flor. l. l. Sed suppressit haec poeta, ne generosae Cleopatrae indoli, in voluntariae mortis, etsi ei vita offerretur, consilio capiendo, et maxime in dissimulando, quod adeo neque regno amisso superstes esse, nec ad triumphum deduci sustineret, insigniter proditae quidquam detraheret. Cf. Obss.

Aufa et iacentem vifere regiam
Vultu fereno, fortis et afperas
Tractare ferpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;

Deliberata morte ferócior:
Saevis Liburnis fcilicet invidens

Pri-

v. 25 *fqq.* Quin, quum ftatim poft pugnam Actiacam de morte fibi confcifcenda deliberaffet, eamque decreviffet, tanto *ferocior* animofior inde facta (colorem inde petiit Stat. Theb. XII. 760. *Iam letale furens, atque audax morte futura;* et VII. 699. *vires fiducia leti fuggerit, indo viro maioraque membra, diesque laetior.*) *aufa* eft *vifere* adfpicere, intrare fuftinuit *regiam* aulam *iacentem*, afflictam, proftratam (Sic *iacens regnum* Senec. Troad. 54.) exquifite; ex intimo Cleopatrae fenfu, quem ipfa difimulabat *vultù fereno*, ad laetitiam compofito, quo ipfo animum magnum et fortem prodebat. Praeclara vero oppofitio eft in *aufa vultu fereno* et *iacentem regiam.* Ad rem v. Dio LI. 5. — *fortis*, fortiter, forti animo *tractare*, manibus verfare, tangere, corpori admovere *ferpentes afperas*, iratas, noxias. cf. Virg. Ge. III. 433. — 27. ut morfu earum venenato periret. — *atrum* mortiferum, exitiofum. Sic *atra lues*, *atra fames*, *atra cura* et fim. cf. Virg. Ge. II. 130. Aen. II. 221. — *corpore combiberet*, corpus imbiberet, inficeretur veneno. Dum corpus in genere nominat, et ipfe, qua parte venenum admiferit Cleopatra, in medio relinquere videtur; nifi poetae verba, (v. 26. *afperas tractare*) ad eorum fententiam trahenda exiftimes, qui Cleopatrae brachium ab afpide, (nam in hoc ferpentum genere fere confentiunt, veluti Plutarch. p. 955. Vellei. II. 87. Flor. IV. 11. cf. Morgagni Opufc. II. 29.) antea laeeffita, admorfum ftatuunt. Κεντήματα λεπτὰ in eius brachio apparuiffe diferte tradit Dio LI. 14. Vnde et in triumpho Cleopatrae imaginem adligatis brachio afpidibus circumlatam fuiffe docet Prop. III. 9. 53. *brachia fpectavi facris admorfa colubris, et trahere occultum membra foporis iter*, ubi v. Burm.

v. 30 *fqq.* Ne captiva Romam ad triumphum duceretur.

Or-

Privata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

Ornate ſingula. *Invidens*, φθονοῦσα, quod invideret, quod victoriae inde ornamentum accedi nollet, adeoque turpe, ignominioſum ſibi exiſtimans, *Liburnis* navibus *deduci triumpho* ad triumphum. *Liburnae* naves parva ac velocia navigia, ad eorum ſimilitudinem facta, quibus olim Liburni, piraticam facientes uſi eſſent. Biremes fere fuiſſe oſtendit Luciani locus T. II. p. 403. ed. Reiz. ταχυναυτοῦν σκάφος, τούτων τῶν δικρότων, οἷς μάλιστα χρῆσθαι Λιβυρνοὶ δοκοῦσιν. De eorum celeritate Sil. XIII. 240 ſqq. *Quanta eſt vis agili per caerula ſumma Liburnae, quae, pariter quoties revocatae ad pectora tonſae percuſſere fretum, ventis fugit ocior, et ſe, quam longa eſt, uno remorum praeterit ictu.* Atque horum maxime opera Antonii naves apud Actium disiectas fuiſſe, Dio et alii teſtantur. II. l. ideo potiſſimum memorantur, quod Auguſtus iis ad reginam perſequendam capiendamque uſus eſſet. — *ſaevis*, hoſtiliter inſequentibus, hoſtilibus, ornat ſimpliciter. Alii tamen hoc epith. inducti non de Liburnis navibus ſed de Liburnorum copiis, quae in Auguſti claſſe fuiſſent, hic agi exiſtimant; ſed altera ratio magis poetica eſt, ac verior, quum navibus iſtis Romani potiſſimum vicerint. — 31. *privata*, priſtina dignitate ſpoliata; Appoſite Zenob. Cent. V. p. 121. ed. Schott. ἡ δὲ Κλ. αἱρουμένη μᾶλλον ἐντίμως ἀποθανεῖν, ἢ ἐν ἰδιωτικῇ τάξει ἐπὶ θεάτρου ἀτιμασθῆναι, ἀνῃρεῖν ἑαυτὴν ἐμέλησεν, quae maximam partem hauſta ſunt e Dione LI. 11. — *ſuperbo* ad apparatum triumphi magnificum ſpectat; tum et animum triumphantis declarat. v. I. 35. 3. Sic *ſuperbos* victoriae *nuntios* dixit IV. 4. 69. — *non humilis mulier*, generoſae indolis, quod regina mori mallet, quam, regno exuta, victoris triumphum ornare. Facit huc Livii fragmentum, quod Porphyr. ad h. l. ſervavit: „Nam et T. Livius refert, illam, cum de induſtria ab Auguſto indulgentius tractaretur, identidem dicere ſolitam, εὐθριαμβεύσομαι.“ Similia tradit Flor. IV. 11. extr.

CARMEN XXXVIII.

ARGVMENTVM.

Simplicitatem in convivio adornando commendaturus poeta ſpeciali eam idea, quam ipſum anni tempus ſuppeditaret, eleganter ita expreſſit, ut nimiam pueri in conquirendis roſis, quae iam fere deflorui ſſent, ſedulitatem increpet, ſolamque myrtum, cuius facillima copia ſit, coronis nectendis adhibere iubeat. Qua ad puerum apoſtrophe facta tantum abeſt, ut carminis virtus elevetur, ut putant nonnulli, ut ea potius iuvetur atque animetur. Omnino in tradenda communi, quam vocant, ſententia ita fere verſatur Horatius, ut eam ſemper rei, loco, ac tempori accommodet, eique in rem praeſentem verſae novum vigorem, novamque gratiam hoc artificio adſtruat. Oratio terſa et comta, ſimplex tamen munditiis, quaſi verita, ne ipſa operoſiore cultu argumenti vim iugulet atque enervet.

AD

AD PVERVM.

Perſicos odi, puer, adparatus;
Displicent nexae philyra coronae;
Mitte ſectari, roſa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil adlabores
Sedulus curo; neque te miniſtrum
De-

v. 1 *ſqq.* *Odi* cum vi, pro, minime delector, non appeto *Perſicos apparatus*, ſplendidum, luxurioſum convivandi morem, Perſis fere proprium. De Perſarum τρυφῇ ac πολυτελείᾳ in apparandis epulis nota omnia. cf. Athen. IV. c. 10 et 11. Valer. Max. IX. 1. qui ſua hauſit e Theophr. vel Soſibio, e quo iſta laudat Athen. l. l. p. 144. — *philyra* interior tiliae tunica ſ. membranula nectendis floribus adhibita. Ovid. Faſt. V. 337. *Ebrius incinctus philyra conviva capillos.* *Coronae* adeo *philyra nexae* ſunt, quibus varii flores intextae ſunt, *ſutiles* proprie dictae; v. Martial. IX. 91. 6. *plectiles*, Plaut. Bacch. I. 37. h. l. eſt myrtus cum roſis, quae maxime ad convivales coronas adhibebantur. Similis generis et uſus coronae erant, quas Lesbii ὑποθυμιάδας vocabant, teſte Phileta apud Athen. XV. p. 678. Φιλήτας ἐν Ἀτάκτοις ὑποθυμιάδας Λεσβίους φησὶ καλεῖν μυρσίνης κλῶνα, περὶ ὃν πλέκειν ἴα καὶ ἄλλα ἄνθη. — 3. Vulgare erat: mitte ſectari roſam, quo caet. *Mitte* noli, ut ſaepius. — *Sectari*, exquirere, inveſtigare, *quo locorum* ſicubi roſa aliqua *ſera*, quae ſerius efflorucrit, *moretur*, adhuc extet, reperiatur. De hoc inſano Romanorum luxu, qui longe quaeſita alienique temporis delicias maxime appeterent appoſite Lucian. Nigrin. T. 1. p. 73. τούτους γὰρ εἶναι, τοὺς — τὸν οἶνον ἐν τοῖς συμποσίοις μετὰ κρόκων καὶ ἀρωμάτων ἐκχέοντας, τοὺς μέσου χειμῶνος ἐμπιμπλαμένους ῥόδων, καὶ τὸ σπάνιον αὐτῶν καὶ τὸ παράκαιρον ἀγαπῶντας, τὸ δὲ ἐν καιρῷ, καὶ κατὰ φύσιν, ὡς εὐτελὲς ὑπερηφανοῦντας. Seneca ep. CXXII. *Non vivunt contra naturam, qui hieme concupiſcunt roſam?* Adde Martial. IV. 28. 4. VI. 80. Senec. Ep. CXXII.

v. 5 *ſqq.* Simpliciſſima ſtructura fuerit: *curo*, μέλει μοι, cupio,

Q. HORATII FLACCI
CARMINVM
LIBER SECVNDVS.

CARMEN I.

ARGVMENTVM.

C. Asinius Pollio, virtute bellica prudentiaque civili clarissimus, idemque in caussis forensibus agendis exercitatissimus, tragoediarumque scriptor nobilissimus, quum in enarranda bellorum civilium, quibus ipse interfuisset, historia occupatus esset, hoc ad eum carmen scripsit Horatius; cuius descriptio, si rerum ac verborum ornatum demas, nobis quidem facillima videtur. Laudat et exhortatur Pollionem poeta, ut, quod tam praeclare inchoa-

inchoaverit opus, quam primum ad finem pertexat. Iam, quae illud tam desideratum faciant, et cur ab eo potissimum, tam enixe efflagitet, duas maxime adfert caussas, et operis suscepti difficultates, quas eum optime profligaturum sciat, et, quam summam ei tribuit, artem historicam. Ac huius quidem alteram virtutem, quam afferre debet historicus, prudentiam civilem, initio statim carminis docte declarat, mirisiceque in Pollione extollit; alteram, δύναμιν ἑρμηνευτικὴν, uberius designat coloribusque vividissimis repraesentat inde a v. 17. Delatus sic, animoque complexus singularum rerum gestarum memoriam impetu quodam ad contemplandam detestandamque bellorum istorum atrocitatem abripitur, a quo se demum v. 37. praeclara inflexione revocat. Incessus carminis multum gravitatis habet; doctrina et ornatus in singulis admirabilis, imagines rerum lectissimae, ut perfectissimis Horatii carminibus illud accensendum sit. Quae tamen ipsae huius c. virtutes, prave intellectae ac distortae, plura super eius consilio opinionum peperere monstra, quae, cum iusta interpretatione profligare studuerimus, ulterius hic exagitare nihil attinet.

AD ASINIVM POLLIONEM.

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique caussas et vitia et modos

Lu-

v. 1 — 8. Perfectissimum in forma operis sui Pollionem statim initio carminis poeta repraesentat, bellorum civilium descriptionem totiusque operis ambitum iis adumbrando coloribus, qui et suscepti laboris difficultates, miramque in iis profligandis Pollionis dexteritatem, omninoque historiam eius tanquam consummatae artis exemplum ostendunt. Laudat enim huius viri insignem cum in rimandis belli istius caussis, tum in explorandis, recteque expendendis, quibus illud administraretur, quique adeo rebus vel prospere vel male gestis momentum facerent, modis spectatam *σύνεσιν πολιτικὴν*, quam iure palmarem Historici virtutem iudicat Lucian. de conscr. Hist. §. 34. Conf. omnino Gell. N. A. L. V. 18. Scilicet historiam perscripturus ita versari debet, *ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam caussaeque noscantur*, ut Tacit. Hist. I. 4. Vulgaris omnino vv. 1 — 8. enuntiatio erat: Tu, o Pollio, bellorum civilium historiam paras, arduum hercle! atque difficile opus! *Tractas*, exponis, describis *motum civicum*, motus civiles, quae turbae in rep. extiterint, quorum factiones civitatis statum subverterint, *ex Metello consule* inde a Metelli consulatu. Diserte adeo poeta motum ab ipso bello civili (v. 2.) distinguit, innuitque societatem trium principum, Pompeii, Caesaris et Crassi, reip. opprimendae caussa initam, quae per decem annos bello civili prolusit. v. Dio XLVII. 54. Appian. B. C. II. 9. Sueton. Caes. 19. Facta haec imperii pactio a. V. 694. Q. Caecilio Metello Celere, Lucio Afranio Coss. Quae cum insecutorum bellorum civilium semina contineret, recte inde Pollio historiam suam exorsus est. Proprie igitur hic *motus* de turbulentis reip. temporibus accipiendum; qua notione saepius apud Ciceronem et alios occurrit. Alii post Porphyr. et Lamb. de ipsius belli civilis primordiis capiunt; quod etsi loquendi usus ferat (ita v. c. Sil. I. 20. *Iamque adeo magni repetum primordia motus*. et Stat. Achill. I. 438.); diserte

Ludumque Fortunae, gravesque
Principum amicitias et arma

Non-

diserte tamen partes operis (*motus* et *bellum civ.*) distinguere videtur Horatius, memorato inprimis Metelli consulatu, qui X annos bellum civile antecessit. Quam difficultatem Torrentius, qua hanc interpretationem premi videbat, ita removere conatus est, ut Q. Caecil. Metellum Pium, qui a. V. 701. cum Cn. Pompeio consulatum gessit, intelligendum statueret. Si omnino ab hac standum est, malim *motum bellique caussas* copia poetica et ornate dictum accipere pro, motum eiusque caussas, bellum cum caussis, quae adeo Pollioni inde a Metello consulatu arcessendae erant. — *Civicus*, antiqua forma, ut III. 24. 26. *civica rabies*, et Ep. I. 3. 23. Male eam Florus, adfectator talium, intexuit IV. 2. *furorem civicum* dicens. — 2. *belli caussas*, quomodo intestini isti motus bellum civile excitaverint, quomodo inde bellum civile exarserit. Proximae quidem, quae istam imperii societatem dissolverent, caussae erant caedes Crassi apud Parthos (Lucan. I. 106. *Parthica Romanos solverunt damna furores: Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est, Arsacidae: bellum victis civile dedistis.*) et mors Iuliae, Caesaris filiae, Pompeio nuptae. Tum enim mutuo metu, adfinitatisque vinculo soluti Pompeius nec parem, nec Caesar superiorem ferre, armisque uterque de principatu contendere coepit (v. Flor. IV. 2. Senec. Ep. 94. extr.). Quorum quidem capiendorum Caesari praetextum fuit sublata tribunorum intercessio v. Sueton. c. XXX. unde et hanc belli a Caesare moti caussam ab ipso Pollione traditam discas, quod Caesari, si privatus rediisset, Milonis exemplo circumpositis armatis caussa apud iudices dicenda fuisset. *Publica* vero huius belli *semina*, quae vocat Lucan. I. 159. erant luxuries, et conflata inde multis rei familiaris egestas, qui adeo salva rep. salvi esse non possent (ut de Lentulo Vellei. II. 49.) quibus Caesar *plane palam bello civili opus esse* diceret. Sueton. Caes. c. XXVII. — *vitia*, in administrando bello utrinque, maxime a Pompeianis, admissa, e. g. quod Pompeius tam flagitiose imparatus acerrimum ducem exercitumque provocasset; quod Roma Italiaque excessisset; quod victoria apud Dyrrhachium reportata uti nescivisset; quod bellum, quod ipsi trahendum esset, impetu suo gereret; quod Caesarem, Thessaliam petentem, cum ei in Italiam transmittendum esset,

seque-

Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae

Tra-

sequeretur, Aegyptumque post pugnam Pharsalicam, non Africam, contenderet, caet. Alii vitia aetatis istius, quae bellum civile traxerint, intelligunt, nescio quam bene. — *modos*, ipsum belli gerendi modum. Etiam hoc late patet. Nam et quantis copiis, quibus utrinque sociorum auxiliis, quibus terrarum locis, et quanta pertinacia partiumque illud gestum sit odio, comprehendit. *Modos* tamen ad fortunam v. sq. quoque trahere licet; ut sint τρόποι τῆς Τύχης, *varietas Fortunae propria* ut Cic. de Div. II. 109. Eurip. Troad. 1205. τοῖς τρόποις αἱ Τύχαι πηδῶσι. Idem in Ir. apud Stob: in Flor. Grot. p. 463. τῆς Τύχης οὐχ εἷς τρόπος. — 3. *Ludum Fortunae*, fortuitos rerum eventus, ubi, quae summa ratione provisa erant, eventu destituuntur, temere contra coepta, feliciter cadunt. Maxime tamen duorum ducum fata a poeta respici puto; Pompeii, *in se tam discordantem fortunam experti, ut cui modo ad victoriam terra defuisset, deesset ad sepulturam* (Vellei. II. 53. adde Petron. de Mut. R. 239. sqq. *Ille tremor ponti, saevi quoque terror Hydaspis, et piratarum scopulus: modo quem ter ovantem Iupiter horruerat; quem fracto gurgite Pontus, et veneratus erat submissa Bosporos unda: pro pudor! imperii deserto nomine fugit, ut* Fortuna levis *Magni quoque terga videret.*): Caesaris, Pompeium, a quo ad tantum dignitatis fastigium evectus sustentatusque in eo esset, deprimentis, ad incitasque redigentis, moxque, ubi rerum potitus esset, in curia interemti. In his enim vicissitudinibus *Fortuna ludere*, iocari dicitur. Vid. ad III. 29. 50. — *Principum amicitias*, initam inter Caesarem, Pompeium et Crassum potentiae societatem, coniurationem, *gravem* sc. reip. *quae Vrbi* (Vellei. II. 44.) *orbique terrarum nec minus diverso quoque tempore ipsis exitiabilis fuit.* Hinc *male* h. in reip. perniciem (nisi potius est *parum, simulate*) *concordes* vocat Lucan. I. 87. Id. v. 84. *Ta caussa malorum facta tribus dominis communis Roma.* In animo forte h. l. habuit Senec. de Provid. c. 3. *Inimicitiae potentum graves sunt? opponatur simul Pompeio, Caesari, Crasso.* Caeterum subtexta haec sunt belli civilis descriptioni, quae ordine priora sunt; quod in poeta lyrico neminem offendere debet. — *et arma nondum exp. u. c.* Idea poetica, qua belli civilis impietatem vivide ostendit poeta;

Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Paul-

nihil amplius. Fruſtra ſe torquent alii, ut ſententiarum progreſſum eruant, explicando: ut ceperint arma cives, adeoque ipſum bellum; vel, quod eodem redit, proelia ipſa civium adverſus cives cogitando. — *uncta* tincta, adſperſa, polluta *cruoribus* cruore, ſanguine *nondum expiato* adeoque civium recens caeſorum ſanguine adhuc madida, ſtillantia. Nam populus mutua ſuorum caede ἄγος committit, quo piaculis exſolvendus eſt; ipſa adeo arma, ſanguis ita profuſus expiandus eſt. *Scelerata* ideo vocat *arma* Lucan. VI. 406. Docte vero poeta innuit bella civilia Marii, Cinnae, Sullae vixdum finita, quum novum inter Pompeium et Caeſarem ſuboriretur. — 6. *Periculoſae plenum opus aleae*, ornate et docte pro, opus periculoſiſſimum, rem magnam et arduam moliris: nihil amplius. Ineſt adeo laus prudentiae eius civilis, diiudicandis, quibus utrimque bellum gereretur, rationibus proditae. Totius carminis conſilium pervertunt, qui Pollionem ab incepto opere deterreri ſic ab Horatio exiſtimant, quod illud ipſi gravem offenſionem, ſi cum iudicii libertate, et ex veritate rem ageret, multorumque odium concitaturum foret. *Alea* de quavis re aucipiti; quo et ſpectat notum proverbium, ἐξείφδω κύβοις. v. Schott. Adag. p. 359. — 7. Eadem ſententia, docte variata et maiore cum vi expoſita. *Incedis* ſuper *ignes*, *ſuppoſitos*, ſubiectos, latentes ſub *cinere doloſo*, qui ignem occultat. Eſt Gr. διὰ πυρὸς βαίνειν. Eurip. Electr. 1182. Appoſite ad Noſtri locum Callim. ep. XLVI. 1. 2. Ἔστι τι καὶ τὸν Πᾶνα, κεκρυμμένον, ἔστι τι ταύτῃ, καὶ μὰ Διώνυσον, πῦρ ὑπὸ τῇ σποδιῇ. Similiter Philodem. XV. 4. (Anal. Br. II. 86.) πῦρ τύφεται ἐγκρύφιον. Propert. I. 5. 5. *Et miſer ignotos veſtigia ferre per ignes.* ubi v. Gebh. et Abreſch. ad Aeſchyl. I. p. 21.

v. 9 — 12. Nexus: Quo difficilius opus illud eſt, quod adgreſſus es, tanto maior omnium eius tam egregie a te inchoati eſt exſpectatio; ut qui illud a te ſolo commodè tractari poſſe intelligant. Fac igitur, ut, omni tua cura ac ſtudio in hoc converſo, quam primum illud deſiderium expleas. Iam quum Pollio eodem tempore tragoediis ſcribendis vacaret, poeta ſententiam ita convertit: Omittas tantisper tuum, quod arti tragicae tam laudabiliter impendis, ſtudium, donec belli civilis hiſtoriam detexueris. Qua exquiſita converſione haud vulgaris

tra-

Paullum ſeverae Muſa tragoediae
Deſit theatris: mox, ubi publicas
Res

tragicis Pollionis ſtudiis laus ſimul adfunditur; quae quidem paulisper ſeponenda ſuadet Horatius, non quo ea opere eius hiſtorico inferiora iudicaret, ſed quod alterum partem hiſtoriae Romanae comprehenderet atque illuſtraret, quae maximis rerum converſionibus inſignis eſſet, quod adeo Romanis, hiſtoriae ſuae tantopere ſtudioſis, plus praebiturum voluptatis intelligeret. — *Muſa tragoediae*, Muſa tua tragica, ut *tragica Camena* A. P. 275. — *ſeverae*, rebus funeſtis, triſtibus occupatae. Ovid. Amor. III. 1. 11. *Venit et ingenti violenta Tragoedia paſſu: fronte comae torva, palla iacebat humi.* Severitatem omnino cuique graviori carminis argumento tribuunt poetae. Propert. II. 8. 13. *Nunc volo* ſubducto *gravior procedere* vultu; *nunc aliam citharam me mea Muſa docet.* — 10. *deſit*, abſit *theatris*, abſtineat ſe paullum a theatro, ne conſpiciatur per aliquod tempus in theatro. Scilicet ipſi fabularum auctores partes actoris e poetica ratione ſuſtinent, ut mox v. 12. vel Muſae eorum tragicae deferuntur, ut h. l. Sic Ovid. Ep. ex Pont. IV. 16. 29. *Muſaque Turrani, tragicis iuniſa cothurnis.* — *Mox, ubi* hiſtoriam belli civilis pertexueris, tragoediis ſcribendis ſtudium iterum tuum addices. Subiecta haec a poeta, ne quid operibus eius tragicis a ſe detrahi exiſtimet, quod hiſtoriam eius impenſius flagitet. Ornatiſſime vero ſingula a poeta elaborata. Vbi *res publicas*, res populi Romani (ut *res imperii* I. 2. 26. *res Romana* et al.) rempublicam bellis civilibus turbatam *ordinaveris*, in ordinem reſtitueris, compoſueris, quod exquiſita ratione dictum pro, ubi hiſtoriam ad ea reip. deduxeris tempora, in quibus iterum convaluit, ubi finitis bellis civilibus reip. quies et ordo ſuus redditus eſt, adeoque ad finem eam perduxeris. Scilicet poetae rerum, quas geſtas deſcribunt, ſe participes, auctores ſuavi figmento profitentur, cuius exempla in Virgilio, Propertio, aliis, paſſim obvia. Tiro legat Burmanno notata ad Anthol. Lat. 1. p. 230. et ad Prop. I. 7. 1. Cf. et ad Noſtri II. 19. 12. ubi ſimiliter turbatum ab Intpp. Bentleii quidem ratio, *ordinare* cum Gr. *συντάττειν*, *σύνταγμα* comparantis, indeque ei novam ſignificationem *τοῦ ſcribere, enarrare* vindicantis, aliquam doctrinae ſpeciem prae ſe fert, minus tamen poetica cenſenda eſt. Ali-

Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,

Insigne maestis praesidium reis,
Et consulenti Pollio curiae,

Cui

brum insulsa super h. l. commenta referre nihil attinet. — *grande munus* caet. Pollionem tragoediarum scriptorem tragoedum repraesentat h. l. poeta; de qua ratione paullo ante monuimus, poetis haud infrequenti. Sic Dosennus Comicus *non adstricto socco pulpita percurrere* dicitur Epp. II, 1. 174. Adde Saleii Bassi ad Pis. 226. (Wernsdorf. Poet. min. IV. p. 276.) *Maecenas tragico quatientem pulpita gressu* (ita omnino legendum: ut Ovid. loco supra laud. *ingenti violenta Tragoedia passu.* Vulgo inepte: *caestu*) *evexit Varium.* Est igitur: *repetes*, absoluta historia iterum suscipias, sustineas, agas *munus*, partes tragoedi, iterum incedas *cothurno*, cothurnatus in scena; h. tum studium tuum ad scribendas tragoedias iterum conferas. — *grande*, grave ob argumenti et sententiarum gravitatem; etiam ob verba grandia. Seneca Ep. C. *Sit aliquid — tragico grande, comico exile.* cf. A. P. 80. — *Cecropio*, Attico. Eandem laudem Pollionis tragoediis tribuit Virgil. Ecl. VIII. 10. *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.* Pacuvium et Attium non solum tragoediis sed etiam orationibus expressisse Asinium tradit Auctor de Corr. Eloq. c. 21. Iam vide quomodo exquisitam poetae rationem ad pedestrem traduxerint intpp.

v. 13 — 16. Nunc demum Pollionem adloquitur poeta, reliquarumque eius virtutum elogium artificiose adnectit; quod prorsus a vulgari ratione recedit. — 13. *Praesidium reis* docta structura (ut I. 15. 21. *exitium genti*) pro, praesidium reorum, qui reis praesidio es, eos egregie defendis. Similiter Cottam *praesidium fori* appellat Ovid. ex P. IV. 16. 42. De Ciceronis facundia Corn. Severus fr. 12. (Wernsd. Poet. min. IV. 221.) *Vnica sollicitis quondam tutela salusque.* Carm. ad Pis. v. 40. *tua maestos defensura reos vocem facundia mittit.* Scilicet laudabilius habebatur, eloquentiae vim in reorum defensione ostendere, quam in aliorum accusatione; quod invidiosum erat. De Septimio Severo Stat. Silv. IV. 5. 48. *Est et frementi vox hilaris foro; venale*

Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Iam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringis aures: iam litui ſtrepunt:

Iam

nale ſed non eloquium tibi: enſisque vagina quieſcit, ſtringere ni iubeant amici. cf. IV. 1. 14. — *maeſtis*, ſqualidis, ſordidatis. Caeterum multam inventionem, diligentiamque ſummam, et conſilii et animi ſatis Pollioni tribuit Quinctil. X. 1. amplum autem dicendi genus Plin. Ep. I. 20. 14. *praeſ. curiae*, ſenatui, *conſulenti* te, ſententiam te roganti. Senatui tribuitur, quod proprie conſulis erat, exquiſita ratione; quaſi tota curia a Pollionis ſententia penderet, hanc ſolam expectaret, ſequendamque ſtatueret. Ineſt adeo haud vulgare prudentiae eius civilis elogium. *Conſuli* dicuntur ſenatores, qui rogantur ſententiam, etiam proſa oratione, ut notum. Monendum tamen, ne quis ab intpp. in transverſa abripiatur. — 15. 16. Idemque rebus bellicis clariſſime, ſumme imperator. Pro hoc, quo magis virtus eius imperatoria elucesceret, rerum ab eo praeclare geſtarum mentione iniecta: qui Dalmatas viciſti, de iis triumphaſti. Simplex utique loquendi ratio ferebat: cui laurus parta eſt, qui laurum petiiſti (ut III. 14. 2.) victoriam reportaſti a Dalmatis; pro hoc ornatior erat ſententia: cui laurus Dalmatica, victoria de Dalmatis reportata triumphum ſpecioſiſſimum peperit, inſignis triumphi cauſſam praebuit. Docte hoc ita invertit poeta: cui *laurus*, victoria *aeternos honores*, aeternam nominis gloriam, famam perennem *peperit*, eam conſecutus es; *Dalmatico triumpho*, decreto tibi ob devictos Dalmatas triumpho. Miſſus erat Pollio adverſus Parthinos, populum Illyricum, non procul Dyrrhachio (Dio XLI. 49) ab Antonio a. V. 715. eosque ſubegit. v. Dio XLVIII. 41. Appian. V. de B. C. p. 1135. Triumphum de iis egit a. d. VIII. Kal. Novembr. v. Heyn. ad vitam Virg. chronol. p. CXCIV. Parthinos generali Dalmatarum nomine h. l. comprehendi, hosque a poeta poni, quo illuſtrior ac ſpecioſior Pollionis triumphus eſſet, facile apparet. Etiam Flor. IV. 12. *Dalmatas ab Aſinio Pollione gregibus, agris, armis, multatos* refert.

v. 17. *ſqq.* Alteram Hiſtorici virtutem, δύναμιν ἐμμανεστάτην vocat Lucian. de conſcr. Hiſt. §. 34., quae in iuſta, diluci-

Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque vultus.

Au-

daque rerum gestarum expositione cernitur, adeo quidem, ut singula coram geri spectarique videantur, nunc persequitur, summamque eius laudem Pollioni tribuit Horatius. Ac in ea repraesentanda iis usus est rerum imaginibus, quae et oculos maxime ferirent, animumque percellerent. Accensam iisdem admiratione poetae phantasiam facile sentias in pugnae, qua illam refert, ὑποτυπώσει, tam exacte per partes singulas delineatae, ut erectas utrinque ad classicum acies, tum manus conseri miscerique, duces sudore ac pulvere conspersos per ordines volare, alteram denique aciem turbatam susamque oculis tibi persequi videare. Est haud dubie locus ex elaboratissimis poetae ac splendidissimis. *Iam nunc* est animo praecipientis, certoque augurantis, quod a Pollionis ingenio facile exspectari poterat. Nondum enim opus ad finem perductum erat. Extenuant vim loci, qui de particula historiae, Horatio aut lecta, aut a Pollione recitata cogitant; cum proprium sit enthusiasmi futura animo tanquam praesentia, obiicere, et eloqui. — *Perstringis*, feris, percellis, obtundis *aures*, cum dilectu, pro, audire videor *murmur cornuum*, *iam litui strepunt*, et lituui strepitum, h. classicum cani. Oratio in his lectissima. *Murmur* proprium de gravi cornuum; uti *strepere*, *strepitus*, *stridor* de lituui acuto sono. Seneca Thyest. 574. *Iam filet murmur grave classicorum, iam tacet stridor lituui strepentis.* Lucan. I. 237. *stridor lituûm, clangorque tubarum non piu concinuit cum rauco classica cornu.* Praeclare adeo *perstringere* convenit *murmuri.* Sil. XV. 459. *subitum campo perstrinxerat aures murmur triste tubae.* *Minax* dicitur, quia ad pugnam pertinet, eius conserendae signum dat. Similiter V. 2. 5. *classicum trux*, et Salei. Basso ad Pis. 129. (Poet. min. IV. 260.) *classicus horror* vocatur. Αἱματόεν πολέμου μέλος tribuit σάλπιγγι Antip. Sid. XI. (Anal. Br. II. 8.) — 19. 20. Iam videor mihi cernere, ut *fulgor armorum*, arma fulgore suo *equos fugaces terreant*, paullo audacius pro, tantum ipsis incutiant terrorem, ut terga vertant, consternati aufugiant. Eadem ratio videtur obtinere in Ovid. Her. I. 36. *Et lacer admissos terruit Hector equos*, h. equi conspecto Hectore currui adligato citatiore cursu ferebantur. Plura huius generis exempla vide apud Ouwens N. H.

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere ſordidos,
Et cuncta terrarum ſubacta
Praeter atrocem animum Catonis.

Iuno,

H. III. 3. p. 571. Subeſſet adeo alterius partis in fugam verſae imago ſatis poetica. Malim tamen ad ipſa proelii initia locum referre, hac ſententiarum progreſſione: Videaris tibi cornua et lituos audire, acies utrinque admotas videre, tum equos in primo conflictu fulgentibus appropinquantium hoſtium armis conſternari, caet. Tum *fugaces* exornat tantum terroris iniecti ideam, eſtque ſimpliciter, pavefactos, ſtare neſcios, regi difficiles, ut in ſimili deſcriptione apud Virg. Ge. III. 82. *Tum, ſi qua ſonum procul arma dedere, ſtare loco neſcit, micat auribus, et tremit artus.* — *equitum vultus*, equites, ſed alterum ſignificantius, nam vultus hominis terrefacti colorem mutat, pallet. Forte tamen *terret* ad *equos* tantum ſpectat, et generalis notio, fulgori conveniens, inde elicienda; ut poeta nihil amplius voluerit, quam: fulgor armorum praeſtringit equitum vultum, proelium initur.

v. 21. Iam videor *audire duces* caet. docte pro: animo iam mihi fingo, repraeſento, qua vi, quo ſpiritu, quanto cum vocis tum orationis vigore res a ducibus in pugna fortiter ac ſtrenue geſtas expoſituruſ ſis, ut paene ipſos pugnam obeuntes, bellique pulvere adſperſos oculis videre ſit. Cf. Obſſ. Fortitudinem ducum, eamque a Pollione ad vivum expreſſam declaravit poeta verbis, *non indecoro pulvere ſordidos*, pulvere belli decoros, adſperſos, nota idea ad fervorem pugnae deſignandum. Pariter Martial. VIII. 65. 3. *Arctoi formoſum pulvere belli* Domitianum dicit. vid. 1. 6. 14. — *cuncta terrarum*, totum terrarum orbem a Caeſare *ſubactum*, omnes gentes a Caeſare devictas. Vellei. II. 56. *Caeſar omnium victor, regreſſus in urbem — quinque egit triumphos*, Gallicum, Ponticum, Alexandrinum, Africum, Hiſpanienſem. — 24. Praeter Catonem. Summa *δεινότης* eſt in hoc antitheto. Illuſtrat locum Senec. de Provid. 2. *Quid habeat Iupiter in terris pulchrius, quam ut ſpectet Catonem, iam partibus non ſemel fractis, ſtantem nihilominus inter ruinas publicas erectum. Licet, inquit, omnia in unius di-*

Iuno, et Deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens

Tel-

tionem concesserint, custodiantur legionibus terrae, classibus maria, Caesarianus portas miles obsideat; Cato, quo exeat, habet. Id. Ep. 95. extr. *Quantum in illo vigoris ac spiritus, quantum in publica trepidatione fiduciae est? Scit se unum esse, de cuius statu non agatur: non enim quaeri, an liber Cato, sed an inter liberos sit. Inde periculorum gladiorumque contemtus. Libet admirantem invictam constantiam viri, inter minas publicas non labantis dicere:* Luxuriatque toris animosum pectus. Vnde optime *atrocis animi* notionem h. l. constituas. Est vero in Catone is, qui in tuenda vindicandaque libertate acerrimus, propositique huius tenacissimus, fractis ac perditis omnibus nihil a constantia remittit, *moriendumque ante, quam ullam conditionem Caesaris accipiendam reipublicae* (Vellei. II. 49.) statuit, adeoque obstirmatus adversus omnia, quae libertati obstitura sciat, vel cum vitae iactura. *Atrocitas* adeo omnino in consilii suscepti perseverantia ostenditur, maxime tum, ubi tempora incidunt, quae, ut sententiam mutes, suadere videantur. Atque hoc sensu *atrocem fidem* adhibuit Sil. VI. 577. *atrocem Virtutem* id. XIII. 369.

v. 25—28. Quum totum terrarum orbem h. Pompeianos cum auxiliis eorum ubique terrarum ad internecionem a Caesare deletos, Catonisque invictam constantiam morte voluntaria comprobatam proximis vv. commemorasset poeta; prorsum satis erat, ea nunc subiici, quae maximum utrique rei momentum fecissent. Erat vero insignis illa in bello Africano, quod ductu Q. Scipionis gerebatur, ad Thapsum accepta clades, quae maximam exercitus partem hausit (v. Applan. B. C. II. 97. Plutarchum, et al.) quaque Cato audita *nihil cunctatus, ut sapiente dignum erat, mortem etiam laetus accivit* Flor. IV. 2. Iam quum hanc cladem Romani in ea terra accepissent, in qua ipsi olim Iugurthino Punicisque bellis magnas strages edidissent; vindictae iure hac illos adfectos fuisse ait poeta. Simplicissima enim sententiae horum vv. enuntiatio erat: Civibus ad Thapsum ad internecionem deletis, Scipione cum exercitu in Africa caeso, Iam Afrorum superioribus bellis caesorum ultio Iunoni, numini ipsorum ἐγχωρίῳ defertur a poeta, quo augustior rei esset species, tum ad deos eam referre plane necesse erat, quandoquidem Romani non ab Afris victi, sed suismet ipsi

Tellure, victorum nepotes
Retulit inferias Iugurthae.

Quis

ipsi viribus attriti fuerant. Satis vero consentanea est illa ratio opinioni antiquiorum hominum, qua Dii tutelares eandem gentis suae fortunam belli experiri, vinci adeo, victique urbe ac regione excedere, huiusque iniuriae acceptae, cladisque populo suo illatae ultionem parare dicuntur. Iam vero vulgarem sententiam: Iuno ulta est Afros caesos a Romanis, pari eos clade affecit, docte ita convertit poeta: Iuno Romanorum sanguine Afrorum olim ab ipsis caesorum manes placavit; colore orationis ducto a ritu, quem antiquissimum ipsa eius prodit immanitas, (cf. Homer. Il. φ. 26.) quo hostes capti ad occisorum in bello tumulos mactarentur, ut manes istorum sanguine satiati placarentur. Vnde sanguinis usus tam frequens in his sacrificiis, ipsarumque inferiarum origo. Petitae quoque inde multae, poetis inprimis loquendi formae; v. ad v. 28. — *D. quisquis amicior*, amicus *Afris*, omnes Dii tutelares, qui cesserant *tellure inulta*, victis deletisque Africae incolis, quorum clades ulcisci non possunt; hinc *impotentes*, fatis prohibentibus. Excedunt Dii urbe, regione, cuius tutelam gesserant, hostibus eam vastantibus, nota vel e Virg. Aen. II. 351. ratione. Adde Sil. II. 365. *Et iam damnata cessit Carthagine Mavors.* Nata inde sollennis illa Deorum in urbium expugnatione evocatio. Vid. Macrob. III. 9. — *retulit inf. Iug.* manes Iugurthae a Romanis victi occisique placavit, inferias ei misit *nepotes victorum*, eorum, a quibus deviotus fuerat, h. Romanorum; sed alterum docte cladis vicissim illatae causam declarat. Quo etiam v. compositum *retulit* spectare videtur, cuius praepositionis vis totius loci sententiae accommodanda est. *Vlciscendi* enim studio Iuno Romanis hanc *vicissim* cladem paraverat. *Iugurthae* vero soli ex universis Afris, qui diversis temporibus a Romanis caesi essent, litatum ait, tanquam poeta: et quod indignitas rei, Iugurtha opertus catenis (Flor. III. 1.) a Mario in triumpho ductus, Iunonem et caeteros Africae deos maxime offendisset. Caeterum orationis colorem e Nostro duxit Lucan. I. 39. *diros Pharsalia campos impleat, et Poeni saturentur sanguine manes*: inprimis IV. 788. *Excitet invisas dirae Carthaginis umbras inferiis fortuna novis, ferat ista cruentus Hannibal, et Poeni tam dira piacula manes.* Adde ei. VI.

Quis non Latino ſanguine pinguior
Campus ſepulcris impia proelia
Teſtatur, auditumque Medis
Heſperiae ſonitum ruinae?

Qui

310. X. 392. Seneca de Beneſ. V. 16. *Parum eſt illi capere patriam, niſi everterit, niſi — debitas inferias Gallicis buſtis dueces Romani perſolverint.* Flor. II. 5. *Stricta in principum colla ſecures legatorum manibus litavere.*

v. 29 — 36. Memorata ad Thapſum civium internecio plures diverſis terrarum locis acceptas civili bello clades poetae in mentem revocat, in quarum contemplatione, atrocitate ſceleris abreptus et quaſi attonitus dum omnes cogitationes defigit, a primario carminis argumento abductus ad declarandam deteſtandamque belli iſtius impietatem totus convertitur, eiusque magnitudinem, quanta maxima ἐναργείᾳ poteſt, exprimit. Commotum indignitate rei poetam commotior ipſa eius prodit oratio (fere ut I. 35. extr.): tum ſententia horum vv. plane eadem eſt, ſub ſpeciales tantum imagines revocata; quod et ipſum animo graviter turbato egregie convenit. Sententia generalis erat: Quid? quod ubique terrarum civilibus armis depugnatum eſt, ubique civium ſanguis profuſus eſt. Scenam belli civilis breviter ita adumbrat Flor. IV. 2. *ſi locum et ſpatium, ubi commiſſum eſt; intra Italiam: inde ſe in Galliam Hiſpaniamque deflexit, reverſumque ab Occaſu totis viribus in Epiro Theſſaliaque conſedit: hinc in Aegyptum ſubito tranſiliit: inde reſpexit Aſiam: inde Africae incubuit; poſtremo in Hiſpaniam regyravit, et ibi aliquando defecit.* Recte adeo poeta bello iſto, quod plurimas terrarum partes adtigiſſet, totum terrarum orbem quodam quaſi diluvio correptum dicere poterat. Iam obſerva copiam exquiſitam poetae et ornatum orationis. Sententia iam abſoluta videri poterat his verbis: omnis campus *Latino* Romanorum civium *ſanguine pinguior* factus eſt, eo conſperſus eſt; ſed adtexuit praeclaro artificio poeta, quo utrique maior veri ſpecies accederet, alteram hanc imaginem: omnis campus *ſepulcris* ſuis, caeſorum civium tumulis, h. frequentes in omnibus campis tumuli *teſtantur*, memoriam ſervant, monumento ſunt, *proelia impia*, civium ibi facta eſſe. Sic *Philippos civilia buſta* vocat Propert. II. 1. 27. Terra *pinguescit* ſanguine, in qua multum eius profuſum eſt, nota idea

Qui gurges, aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?

Sed

idea. Virgil. Ge. I. 491. 2. *Non fuit indignum superis bis sanguine nostro — latos Haemi pinguescere campos.* Ovid. Heroid. I. 54. *Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.* Stat. Theb. VII. 545. *Duc illum in campum, vestro qui sanguine pinguis spirat adhuc pinguisque meo. Sepulcra* h. l. simpliciter sunt tumuli, terra exaggerata, ingesta civium corporibus. — *auditumque Medis* caet. Docte cum antecedentibus copulatur sententia, quam pedestris forma ita disiunxisset: *proelia*, s. omnino bella civilia, quae reip. Romanae ruinam, interitum traxere, quibus respublica concussa, prostrata, pessumdata est, h. reip. luctuosissima. Obvia vero ratione respublica, quocunque graviori damno adflicta, compagibus suis solui (ita fere *fluentem remp.* acceperim in Vellei. II. 16.) *ruere* (v. ad I. 2. 25. et 35. 13.) *procumbere* (Vellei. l. l.) dicitur. Iam pro *ruina* s. interitu *imperii Romani*, doctius est *ruina Hesperia*, Hesperiae, Italiae, et pro *gravissima ruina* exquisite est *sonitus ruinae*, cuius fragor ad extremas terrarum oras pertingit, *Medis* s. Parthis *auditus*. Hos vero cum dilectu nominat poeta, populo quippe Romano infestissimos, qui adeo hoc reip. casu laetarentur, votorumque suorum *sua ut urbs haec periret dextera* (V. 7. 8.) facti essent compotes. Cf. omnino ad I. 34. extr. adde Aurel. Vict. 39. *Vbi* (Diocletianus) *fato intestinas clades, et quasi fragorem impendere comperit status Romani, curam reip. abiecit.* — 33-35. Sed et undae civili sanguine infectae, pollutae sunt, civilis belli notas traxere. *Gurgitis* notio generalis est, per species mox a poeta designata. — *Flumina haud ignara*, conscia sunt *belli*, proelia ad ea facta sunt, sanguine polluta sunt; nota loquendi ratione. Eurip. Herc. fur. 365. sqq. Κενταύρων ποτὲ γένναν ἔτρεσε — ξύνοιδε Πηνειὸς ὁ καλλιδίνας caet. Exempla e Latinis poetis adscribere non vacat. Vide Doering. ad Catull. 29. 19. — *lugubris*, civilis. — 34. *caedes Dauniae* sanguis caesorum civium Romanorum (Nam Daunia s. Apulia pro universa Italia posita, solita ratione) *decoloravit*, tinxit, rubefecit quoduis *mare*.

Stat.

Sed ne, relictis, Musa procax, iocis,
Ceae retractes munera Naeniae:

Mecum

Stat. Theb. XII. 410. de Ismeno: *turbatus adhuc et sanguine decolor ibat.* Sidonius *Metauri gurgites* Asdrubalis caede *decoloratos* ait L. I. ep. 5. Sic *mare Siculum Poeno sanguine purpureum* II. 12. 2. Portenti speciem Lucani phantasma habet III. 573. *cruor altus in undis spumat, et obducti concrescunt sanguine fluctus.* — 36. *Quae* omnino *ora* expers est civilis belli? Sic totius loci sententiam poeta complexus videri debet. In specie tamen accipere praestat: Etiam longe dissitas, remotissimas mundi plagas cruore nostro infecimus.

v. 37 — 40. Praeclara inflexione iam revocat Musam suam a tam gravi ac sublimi argumento, eamque ad leviora canenda hortatur. Similis correctio III. 5. extr. — *relictis iocis*, argumento carminum levi, lusibus tantum et iocis occupato; nam in hoc solo Musam suam regnare modeste profitetur. Cf. I. 6. extr. Similiter *molles modos citharae* suae tribuit II. 12. 3. et *lyram iocosam* vocat III. 3. 69. — *Musam procacem* accipiunt fere pro, quae fines suos migrat, quae se carminis generi immiscet, ad quod facta non est, audax, temeraria; sed est simpliciter, proterva, petulans, lasciva, iocosa. Ratio adeo inest, cur iocos, ipsi proprios, relinquere non debeat. Stat. Silv. I. 5. 13. *procax myrtis ederisque solata fronte verecundo Clio mea ludit Etrusco.* Similiter *Elegiam* Stellae *petulantem* vocat idem Silv. I. 2. 7. — 38. *munera Ceae Naeniae* docte et exquisite poeta appellat carmina lugubria Simonidis Cei, θρήνους, *lacrimas Simonideas* Catullo XXXVIII. 8. dictas. Frequentata nimirum poetis ratione carmina sunt dona Musarum. Catull. LXVIII. 10. *Muneraque et Musarum hinc petis et Veneris.* Theogn. 244. ἀγλαὰ Μουσάων δῶρα ἰοστεφάνων. Archiloch. II. (Anal. Br. I. 40.) Εἰμὶ δ' ἐγὼ θεράπων μὲν Ἐνυαλίοιο ἄνακτος, καὶ Μουσέων ἐρατὸν δῶρον ἐπιστάμενος. Vet. Inscr. apud Murat. p. 1086. et Fleetw. p. 202. δῶρά γε Μουσάων καὶ βρέφος ὢν ἀγαπῶν. Iam vulgarior loquendi forma, quaeque omnia Simonidis complecteretur carmina, erat: *munera Ceae Musae* ea dicere (uti *Graiam Cumenam* dixit II. 16. 38. *Musam Teiam* Ovid. Trist. II. 364.) Vt igitur peculiare carminum Simonidis genus, θρήνους, designaret poeta, exquisita ratione in specie eas vocat munera *Naeniae*, tanquam deae istorum carminum lugubrium praesidis, fere ut Elegiam, elego-

Mecum Dionaeo ſub antro
Quaere modos leviore plectro.

gorum, Tragoediam tragicae rei praeſidem poetae faciunt. Sic non opus eſt, Naeniam illam ſatis obſcurae religionis deam cum quibusdam huc trahere. Alii munera naeniae dici volunt, ut *munera militiai* Lucretio; parum apte. — *retractes*, iteres, idem argumentum tractes, ne triſtibus immoreris. — 39. 40. *Mecum* potius *quaere modos lev. pl.* levius feri lyram ſ. fides plectro, leviores modos ſ. cantus lyra mecum modulare, remiſſioris argumenti carmina mecum meditare, lude. Heroica enim, omninoque gravioris argumenti carmina intentiorem et vocis (*μέγα ψοφέουσαν ἀοιδὴν* Callim. in fragmm. Bentl. CLXV. *os magnum* Propert. II. 8. 16. *os magna ſonaturum* Serm. I. 4. 44.) et lyrae modulationem e poetico loquendi uſu requirunt. Senec. Agam. 329. *Sed quale ſoles* leviore lyra *flectere carmen ſimplex, luſus cum docta tuos Muſa recenſet.* Licet et chorda graviore ſones. *Quale canebas, cum Titanas fulmine miſſo fregere dei;* laudante iam Bentl. Eodem ſenſu *maius plectrum* IV. 2. 33. *numeri leviores* Ovid. Amor. I. 1, 19. — *ſub antro Dionaeo*, Veneri dicato, adeoque luſus amatorios, carmina amatoria: nota imagine. v. I. 32. 1. et III. 4, 40. Appoſite Ovid. Amor. II. 18. 3. *Nos, Macer, ignava Veneris ceſſamus in umbra.* Colorem e Noſtro duxit Statius Silv. IV. 5. 57. *Hic plura pones vocibus et modis paſſim ſolutis: ſed memor interim noſtri, verecundo latentem barbiton ingemina ſub antro.*

CAR-

CARMEN II.

ARGVMENTVM.

Ostensurus poeta, quem vere beatum appellare, quem vere sapientem salutare fas sit, solam divitiarum possessionem ad nominis huius honorem tribuendum quidquam momenti efficere negat, quibus omnino recto denum honestoque earum usu (cuius insigne Proculeii exemplum affert) pretium suum statuendum sit. Illos igitur, qui iis ita uti nesciant, in summa rerum omnium affluentia, quod eorum cupiditas numquam expleatur, egenos, et, quod maiorum fame semper exerucientur, nec partis fruantur, miseros pronuntiat; in beatis contra ac ditissimis eos habens, qui excelso animo opes despiciant, iisque, ut sapientem decet, fruantur. Exquisitissimum autem hae sententiae, quae universe positae videntur, Crispi Sallustii continent elogium. Is enim, Historici illius e sorore nepos, et in nomen eius adscitus, Augusti etsi gratia floreret maxima, in equestri tamen ordine persistit, fortunaque, in qua constitutus esset amplissima, laute ac splendide utens, alienissimum ab avaritia et ambitione ostendit animum. Summam poetae artem in tali argumento, quod poeticae tractationi minus aptum videri poterat, lyricis coloribus adumbrando, elocutionisque ornatum insignem in hoc c. admirentur studiosi. Ad rem cf. Theocr. 15. 22. sqq.

AD

AD CRISPVM SALLVSTIVM.

Nullus argento color est, avaris
Abdito terris; inimice lamnae

Crispe

v. 1—4. Sententia horum vv. satis expedita: Divitiae per se plane nullius sunt pretii, seu ut Boeth. Consol. Philos. II. 5. ait, *non sui natura pretiosae sunt.* Docte pro hoc poeta: *Argento nullus color est*, argentum nullum *colorem*, splendorem, (ita *lucis colorem* dixit Seneca Agam. 862.) cuius caussa expetitur, qui ei gratiam conciliat, adeoque nullam gratiam, pulchritudinem habet, quod *abditum*, absconditum, defossum est *terris* in terram, omnino pro, quod usui hominum non inservit. Potest quidem poeta de argento, in terra adhuc delitescente; rudi adeo, nulloque dum colore insigni cogitasse videri, (in quam rem praeclarus est locus Senecae ep. XCIV. *Vis scire, quam falsus oculos tuos decipit fulgor? nihil est istis* (auro et argento) *quamdiu mersa et involuta coeno suo iacent, foedius, nihil obscurius: nihil est illis dum fiunt, et a faece separantur, informius.*) quod et *abditum terris* recte dici potest. Cic. de Nat. D. II. 60. *Nos aeris, argenti, auri venas, penitus abditas, invenimus* caet. Idem de Offic. II. 3. *argentum non effoderetur, penitus abditum.* Salei. Bass. ad Pis. 213. (Poet. min. IV. 274.) *Abdita quid prodest generosi vena metalli, si cultore caret?* Magis tamen totius loci ratio flagitare videtur, ut de opibus, quas magno studio comparavimus, quarum vero usum nobis interdicimus, quas adeo tenebris damnamus, in terram defodimus, intelligamus. Ita vero solenni more avaritia poetis depingitur. Claudian. I. 42. *Hic non divitias nigrantibus abdidit antris, nec tenebris damnavit opes.* Colorem contra accipiunt, *splendent*, luci exponuntur opes, quae usui inserviunt. Boeth. loco supra l. *Atqui haec effundendo magis quam coacervando melius nitent.* Alexis in Excerpt. Grotii p. 597. τοὺς εὐτυχοῦντας ἐπιφανῶς δεῖ ζῆν ἀεὶ, φανεράν τε πᾶσι τὴν δόσιν τοῦ θεοῦ ποιεῖν. Tum res plane conficitur e Serm. I. 1. 44. *At ni ita fit* (ni comminuitur) *quid habet pulchri constructus acervus?* fere ut Theocr. ιϛ. 22. τί δὲ κέρδος ὁ μύριος ἔνδοθι χρυσὸς κείμενος; οὐχ ἅδε φρονέουσιν ὄνασις. — Terra avara

Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Vivet extento Proculeius aevo
Notus in fratres animi paterni:

Illum

ra dicitur, quae argentum, ab usu remotum, diligenter custodit, nihil inde detrahi sinit, avari instar. — 2. *inimice lamnae* caet. Eadem sententia inversa subiicitur perspicuitatis gratia: argentum usu demum splendet, gratiam habet. Docte generalem hanc poeta, de recto divitiarum usu, iustoque iis statuendo pretio praecepturus, dum ad Sallustium inflectit orationem, ad specialem ita revocat: Tu *inimicus* es, odisti (fere ut Seneca de Benef. II. 17. *Indixisti pecuniae odium: hoc professus es, hanc personam induisti: agenda est.*), contemnis, nihili facis *laminam*, argenti massam, argentum; sed alterum cum dilectu, ut vel rude, infabricatum, vel inutiliter reconditum argentum declaretur. — *nisi splendeat usu*, nisi usui, qui ei pretium facit, inserviat; igitur non *per se*, apud te pretium divitiae habent, sed usu demum splendorem adquirunt, propter usum iis aliquid tribuis. — *temperato*, recto, prudenti, non profundendo, aut male dispensando eas. τὸ εἰδέναι αὐτὸν (τὸν πλοῦτον) εὖ διατίθεσθαι, (apud Basil. in Or. quomodo leg. Gr. p. 107. Grot.) γενναίως χρῆσθαι (Menander in Stob. Flor. Grot. p. 93.). Praeclare sic ostenditur Sallustii animus ab omni divitiarum cupiditate liber, iisdemque, ut sapientem decet, fruens atque utens; ut de Tibullo Epp. I. 4, 7. *Dii tibi divitias dederunt, artemque fruendi.* Facit huc Seneca de Vit. B. XXII. *maior materia sapienti viro est animum explicandi suum in divitiis:* nam in his *et temperantia, et liberalitas, et* diligentia, et dispositio et magnificentia campum habet patentem. Ad verba et sensum Stat. Silv. II. 2. 150. *Non tibi sepositas infelix strangulat arca divitias: — expositi census, et docta fruendi temperies.* Id Silv. II. 3, 70. *Idem auri facilis contemtor et optimus idem condere divitias, opibusque immittere lucem.* Iam Pind. Pyth. V. init. Ὁ πλοῦτος εὐρυσθενὴς, ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμένον καθαρᾷ βροτήσιος ἀνὴρ αὐτὸν ἀνάγῃ πολύφιλον ἑπέταν, h. divitiae tum demum vim habent, si quis iis recte uti sciat. Idem Nem. I. 44. Οὐκ ἔραμαι πολὺν ἐν μεγάρῳ πλοῦτον κατα-

Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.

La-

καταμερίσας ἔχειν ἀλλ' ἐόντων εὖ τε πεφθεῖν, καὶ ἀεοῦσαι, φίλοις ἐξαρκέων.

v. 5—8. Rectum divitiarum usum poeta satis habet, uno tantum, at potiori genere commonstrare. Plura commemorat Theocr. l. l. Illud vero illustri aetatis suae exemplo docte repraesentatur. C. Proculeius, eques Romanus, amicus Augusti, rarissimae pietatis erga fratres suos, adeo quidem, ut cum iis, bello civili spoliatis, suam patrimonii partem de integro aequis partibus diviserit, quod iam antea totum cum iis divisisset, iuxta vet. Schol. ad h. l. qui Fannium Caepionem (male quaedam edd. Scipionem dicunt) et L. Muraenam fratres Proculeii laudat. Sed Caepio non fuit frater Proculeii, quod satis patet e Dione LIV. 3. p. 732. Rectius Masson. vit. Horat. p. 304. L. Licinium Varronem Muraenam, et M. Terentium Varronem Muraenam fratres eius asserit. Iam pro vulgari: Proculeius ob liberalitatem in fratres in magna hominum est existimatione, eius liberalitas in omnium ore est, splendide poeta: *vivet extento aevo*, quod copia poetica dictum pro, extendet aevi sui spatium, vitam suam, memoria eius nunquam intercidet, recens erit apud posteros. *Extendimus aetum, vitam*, praeclaris ingenii virtutisque documentis editis, quae nostri nominis memoriam ad posteros propagant. Sil. IX. 375. *brevis hoc vitae, quodcunque relictum, extendamus, alt* caet. Sic *fama extendere vitas* Stat. Theb. IV. 33. quod simpliciore ratione *famam extendere factis* (ut φήμην ἐκτείναι Phalaris Ep. LXVI.) dixit Virg. Aen. X. 468. Exquisitiorem contra idem adhibuit Aen. VI. 807. *virtutem* virtutis memoriam *extendere factis*, memoranda facere, praeclara quaevis moliri. In Horatio tamen extento aevo simpliciter accipi potest, remoto adhuc aevo *vivet* vigebit Proculeii memoria. — 6. *notus animi* animo, qui innotuit, famam consecutus est, qui ostendit animum, qui fuit *animo*, adfectu plane paterno in fratres; omnino pro, ob animum eius pat., liberalitatem in fratres. — 7. 8. Eadem immortalitatis notio, augustiore imagine repraesentata. *Fama* illum *aget*, vehet, tollet *penna*, alis suis, per populos circumferet; longe lateque diffundetur liberalitatis istius fama; noto phantasmate. Propert. III. 1. 9. *Quo me Fama levat terris sublimis et a me nata coronatis Musa triumphat equis.*

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadi-

Claudian. I. 34. *Illum Fama vehit trans aequora* caet. In genere igitur nominis eius famam omnibus terrarum oris celebratum iri ait poeta; iam eandem aeternam innuit per alas *metuentes solvi*, *πεφυλαγμένας λύεσθαι*, quae cavent sibi, ne solvantur, ne a contentione remittant quae adeo tenorem servant, nunquam deficiunt, subsidunt. *Solvuntur* enim ea, quae a rigore remittunt, languescunt, et *metuunt solvi*, quae nolunt, non possunt solvi, exquisita ratione. Bene Lamb. laudat Virg. Ge. I. 246. *Arctos metuentes aequore tingi*, comparato Arati Phaen. 48. *ἄρκτοι κυανέου πεφυλαγμένοι Ὠκεανοῖο.* — *Superstes* ipsi, post mortem eius duratura. Neglectam in hac voce atque confusam personae cum re significata notionem facile animadvertas; a quo vitio non satis sibi caverunt scriptores antiqui. In idem incidit Boeth. consol. philos. II. metr. 7. *Signat superstes Fama tenuis pauculis inane nomen literis.*

v. 9—12. Sententia horum vv. pendet ab interpretatione verborum, *avidum domando spiritum*, quae duplici sensu accipi possunt. Si *spiritum avidum* universe cupiditates interpreteris, erit: *Latius regnes*, regnum tuum, possessiones tuae, latifundia tua ampliora erunt, locupletior, ditior eris, *domando spiritum avidum*, *κρατῶν ἐπιθυμιῶν* si cupiditates coercueris, represseris, si iis imperes, *quam si Libyam Gadibus iungas*, iunctam teneas, una possideas, h. si latifundia tua per totam Africam et Hispaniam pateant, extendantur. Esset adeo gnome: qui panca desiderat, is in re tenui constitutus ditior haberi debet, est altero, cuius immodicis cupiditatibus explendis ne amplissimae quidem facultates sufficiunt. Sic Diogenes *βασιλέως τοῦ μεγάλου ἑαυτὸν ἀπέφηνε πλουσιώτερον, τῷ ἐλαττόνων ἢ ἐκεῖνος κατὰ τὸν βίον προσδεῖσθαι* apud Basil. de leg. Graec. p. 107. ed. Grot. Conf. omnino ad III. 16. 39. sqq. Ad regnum s. imperium hanc gnomen transtulit Seneca Thyest. 470. *Immane regnum est, posse sine regno pati;* et Boeth. Consol. phil. III. 5. *Qui se volet esse potentem, animos domet ille feroces* caet. Atque hanc quidem rationem omnes fere intpp. amplecti videas, a sententiarum nexu etsi satis alienam. Quod si vero *avidum spiritum* e totius contextus ratione de cumulandarum divitiarum cupiditate capias, sententia loci erit: Qui divitiis

Gadibus iungas, et uterque Poenus
Serviat uni.

Crescit

vitiis tenetur, iis adeo augendis unice intentus est, verbo, avarus, tantum abest, ut aliquando expleatur, congestisque opibus fruatur, ut eius sitis potius nova usque cum ipsa pecunia incrementa capiat, (vv. 13 — 16.) sicque nunquam eius fructum iste percipiat. Seneca Herc. fur. 166. *hic nullo fine beatus componit opes, gazis inhians, et congesto pauper in auro est.* Claudian. III. 196. *teneas utrumque licebit Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes, iungentur solium Croesi, Cyrique tiara: numquam dives eris, numquam satiabere quaestu. Semper inops, qui plura cupit.* Plura vide ad III. 16. 28. Iam sententiam istam praeclare sic invertit poeta: Qui *spiritum* pecuniae *avidum* domat, divitias non congerit, eas non per se expetendas, sed usu demum fructuque pretiosas fieri censet, sane is animo ita adfectus *latius regnat*, quantulaecunque eae opes sint, quas possidet, ampliores habet, *quam si Libyam* — *uni*, quam si *non domito spiritu avido*, animo non iis fruendi sed augendis intento, immensas teneat. Atque nunc demum, explorata horum vv. sententia, de nexu cum antecedentibus, recte statuere licet, qui sic animo informandus videtur: Qui divitias magno studio congerit, custoditque, rem servat nullius per se pretii; hoc enim ei demum accedit usu, cuius insigne nuper in Proculeio exemplum vidimus; tum *multas inter opes inops* habendus est, quod *quaerit* semper, *et inventis miser abstinet, et tis met uti.* Iam orationis ornatum excute. *Regnum, regnare* exquisite de latifundiorum possessionibus, in provinciarum spatia dilatatis, adeoque immensis dicitur. Sic *fulgere imperio Africae* III. 16. 31. Apposite Seneca ep. 89. *Hoc quoque parum est, nisi trans Hadrianum, et Ionium Aegaeumque vester villicus regnet; — quam vultis, late possidete, sit fundus, quod aliquando imperium vocabatur.* Sic *regna pastorum* Virg. Ge. III. 476. *regna Petiliana* villam appellat Martial. XII. 57. 19. Alii regnare proprie dictum volunt h. l., parum commode, vel propter sqq. — *Spiritus*, pro animo cum dilectu; est enim animi τὸ ἐπιθυμητικόν; ita πνεῖν, θυμοῦ πνοαί, et *spirare* pro appetere passim occurrit. — *Libya* pro universa Africa, uti *Gades*, quae insula est prope fretum Gaditanum, pro Hispania ponuntur. — *remotis*, nam *Hesperia* s. Hispania versus

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi caussa morbi

Fu-

Occidentem terrarum *ultima* Romanis erat. I. 36. 4. In utraque terra, maxime in Africa, Romani amplissimos fundos possidebant. v. ad I. 1. 9. Qua speciali idea opulentia in genere h. l. docte designatur. *Iungere* alias de continua agrorum possessione dicitur. Lucan. 1. 168. *tunc longos iungere fines agrorum — et longa sub ignotis extendere iura colonis;* h. l. est simpliciter, possessioni suae adiicere, adquirere. Claudian. XV. 4. *Iunximus Europen Libyae*, colore orationis ex hoc ipso loco ducto. — *et utorque Poenus serviat uni*, plane eadem sententia, alia tantum idea adornata, ad quam poeta τῷ *regnare* v. 9. facile ducebatur. Hoc si teneas, expedita est *utriusque Poeni* interpretatio. Sunt adeo Carthaginenses et in Africa, et in Hispania, cuius oram maritimam aliquando tenuere. Vide omnino Obss. — *serviat*, pareat *uni* tibi, tibi subiectus sit, h. si unus omnes istos terrarum tractus possideas. Praeclare igitur respondet *servire* τῷ *regnare*. Similiter Cic. Quaest. Tusc. I. 22. *agros et maria hominum utilitati parere* dixit.

v. 13 — 16. Avari enim cupiditas nunquam expletur, immo *crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit*, Iuven. XIV. 139. Basil. de leg. Graec. libris p. 107. ὅσῳ περ ἂν πλείω προσπεριβάλλωνται, τοῦ ἴσον δέονται ἢ καὶ πλείονος πρὸς τὴν τῆς ἐπιθυμίας ἐκπλήρωσιν, κατὰ τὸν Ἐξηκεστίδου Σόλωνα, ὃς φησι: (Anal. Br. I. 67.) πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται· οἱ γὰρ νῦν ἡμεῖων πλεῖστον ἔχουσι βίον, διπλάσιον σπεύδουσι. Cf. III. 16, 17. et 24, extr. Qui igitur hoc animi vitio s. morbo (ἀργυρέην νόσον Nonnus alicubi appellat) laborat, similis plane est hydropico, cuius sitis restingui nequit. Iam Polyb. Hist. L. XIII. 1. καθάπερ ἐπὶ τῶν ὑδροπικῶν οὐδέποτε ποιεῖ παῦλαν οὐδὲ κόρον τῆς ἐπιθυμίας ἡ τῶν ἔξωθεν ὑγρῶν παράθεσις, ἐὰν μὴ τὴν ἐν αὐτῷ τῷ σώματι διάθεσιν ὑγιάσῃ τις, τὸν αὐτὸν τρόπον τὴν πρὸς πλεῖον ἐπιθυμίαν οἰόντα κορέσαι, μὴ οὐ τὴν ἐν τῇ ψυχῇ κακίαν λόγῳ τινὶ διωρθωσάμενον; qui locus mire Nostrum illustrat. Eadem comparatio est apud Ovid. Fast. I. 211. *Creverunt et opes, et opum furiosa cupido: et, cum possideant plurima, plura volunt. Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda, quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae.* Praeclaro vero artificio comparationi ipsam in-

Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.

Redditum Cyri solio Phraatem
Dis-

involvit poeta sententiam, quo maior ei ex hac lyrica brevitate vis accederet. Oratio plena erat: Sicuti in hydrope sitis non tollitur, nisi morbi caussa sublata: ita nec habendi cupiditas expletur, tollitur, nisi ipso animi vitio sublato. *Crescit diras hydrops*, augetur morbi diritas, ingravescit morbus. Ita quidem *dirus* commune morborum epitheton esset, ut Gr. νόσος ἀργαλέη, χαλεπὴ, *dira lues, dira pestis* etc. Aptius tamen ad naturam huius morbi, omninoque magis poeticum videtur, si hydropem dirum interpreteris, sitis explendae cupidum, siti inexplebili ardentem, qua fere ratione *dira fames, dira cupido* et al. dicuntur. Lucret. IV. 1082. *quoius quo pluria habemus, tam magis ardescit dira cuppedine pectus.* — *indulgens sibi*, obsequendo bibendi cupiditati, dum sitim explere conatur. — 14. *nec sitim pellit*, sedat, restinguit. Morbo adeo poeta tribuit, quod aegroti proprium erat. — *Nisi caussa morbi e venis fugerit*, nisi vitium, quod in venis latet, sublatum fuerit, nisi corpus isto vitio liberatum fuerit: caussam morbi tollas oportet, si sitim, quae ei adhaeret, sublatam vis. — *et aquosus albo corpore languor*, h. aqua intercus, quae corpus *album* reddit, (λευκοφλεγματίαν vocant hoc hydropis genus medicorum filii) qua corpus tumet, eidem detrahatur, inde deducatur. Aqua ista est caussa *languoris*, quatenus totum corpus vitioso isto humore inficitur, adfligitur, nam *languor*, *languere*, in genere de morbis dicitur. Docte adeo *aquosus languor* pro ipso hydrope ponitur. Iam, si comparationis ornatum demas, nuda sententia erit: Avarus ab opum coacervandarum studio non remittet, nisi pravam, quae animum eius obcaecat, evertas persuasionem, nisi ostendas, divitias neminem beatum efficere. Egregie ad rem Seneca ep. 94. *Ipsa vitia removenda sunt.* — *Nisi opiniones falsas, quibus laboramus, expuleris, non avarus, quomodo utendum pecunia sit, exaudiet. Efficias oportet, ut sciat, pecuniam nec bonum nec malum esse: ostendas illi miserrimos divites.*

v. 17. *sqq.* E verae sapientiae praeceptis *beatus non is est, quem vulgus appellat*, ad *quem magna pecunia confluxit: sed*

Disfidens plebi numero beatorum
Eximit Virtus, populumque falsis
Dedocet uti

Vo-

lle, cui bonum omne in anima est, erectus, excelsus, et mirabilia calcans; (Senec. ep. 45.) vera felicitas posita est in externarum rerum contemtu, ἐν καταφρονήσει τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν, Epictet. c. 19. 2. Observa virtutem lyricam poetae in tradenda hac sententia, quae vix poeticum colorem admittere videbatur. Quod e *virtutis* f. sapientiae vera notione ducitur, nimirum illum demum dici beatum oportere, qui opes magnifice contemnat, neutiquam vero, qui iis abundet, hoc ipsi Virtuti tanquam personae, quae rectum de his iudicium ferat, tribuitur. Eodem plane colore Seneca ep. 94. extr. *Inducenda est in occupatum locum Virtus, quae mendacia contra verum placentia exstirpet, quae nos a populo, cui nimis credimus, separet, ac finceris opinionibus reddat.* — *disfidens* in hoc *plebi*, dissentiens a plebe, aliter ac plebs iudicans *eximit numero beatorum*, beatum negat eum, quem magnum felicemque populus vocat. Magnitudinem falsam speciali *regis* idea declaravit poeta, idque *Phraatis* per illud tempus *redditi* restituti *solio Cyri*, in regnum Parthicum. Phraates propter immanem crudelitatem a suis expulsus ad Scythas confugerat, quorum ope a. V. DCCXXX in regnum, victo Teridate, restituebatur, v. Dio LI, 18. Optime adeo evidentissimo Horatius Phraatis, qui varios casus et in sublimi maxime lubricos expertus esset, exemplo usus est, quo ostenderet, *ex constitutione vulgi beatos in isto invidiosa fastigia suo trementes et attonitos, longeque aliam de se opinionem habentes, quam ab aliis habeatur* (Senec. ep. 94. extr.), verbo, divites ac potentes homines non beatos esse. De personata hac felicitate eadem plane ratione idem Senec. ep. 80. *Vides illum Scythiae Sarmatiaeve regem insigni capitis decorum? Si vis illum aestimare totumque scire, qualis sit, fasciam solve.* — *dedocet populum falsis vocibus uti*, vulgo h. iis, qui externo splendore capiuntur, ostendit hoc exemplo, falso istos vocari felices, perverse eos iudicare, hacque admonitione *publicum* ipsis *errorem* (ut Seneca ep. I. vocat) *expellere* conatur. Docta hoc brevitate dixit *dedocere*. *Falsas voces* dicit, quae *malos sermones* Seneca l. l. Caeterum locum illustrat Boethius Consol. Phil. II. 6. *Atqui nec opes inexpletam*

Vocibus; regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,

Quis-

tam restinguere avaritiam queunt; nec potestas sui compotem fecerit, quem vitiose libidines insolubilibus adstrictum retinent catenis — Gaudetis enim res sese aliter habentes falsis compellare nominibus; itaque nec illa potentia iure appellari potest.

v. 21. *sqq. Vni,* soli huic contra Virtus *regnum et diadema tutum*, regni insignia *defert*, regnum tanquam κτῆμα ἀναφαίρετον tribuit, regem, cui diadema, imperium, eripi nequeat, pronuntiat. Eidem defert *laurum propriam*, ei debitam, (nisi praestat: perpetuam, ut *propria munera* Serm. II. 2. 5. *propria dona* Virg. Aen. VI. 871.) vere eum victorem iudicat, qui divitias contemnit, qui cupiditatibus imperat. E Stoicorum philosophia sententiae colorem ductum esse, facile apparet. His enim *sapiens uno minor est Iove, dives, liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,* (Epp. I. 1. 106.) quatenus ista grandi supercilio despicit, infra se posita iudicat. Senec. Thyest. 334. sqq. *Regem non faciunt opes, non frontis nota regiae: rex est, qui posuit metus, et diri mala pectoris;* v. 380. *mens regnum bona possidet*, et 388. *Rex est, qui metuit nihil, rex est qui cupiet nihil. Inest* adeo *dignitas propria virtuti, quam protinus in eos, quibus fuerit adiuncta, transfundit*, Boeth. Consol. Philos. III. 4. — *quisquis ingentes* auri argentique *acervos oculo irretorto*, oculis ad eos non reflexis *spectat*, h. qui aurum ita intuetur, ut, praeteriens id, oculos ad illud non retorqueat, sicque vultu nullam habendi cupiditatem prodat, verbo, qui ὑπερορᾷ χρυσίον, ut Lucian. Pisc. p. 613. T. I. loco valde adposito: προθεὶς χρυσίον, καὶ δόξαν, καὶ ἡδονὴν, ὃν μὲν ἂν αὐτῶν εἴδῃς ὑπερορῶντα, καὶ μηδαμῶς ἑλκόμενον πρὸς τὴν ὄψιν, οὗτος ἔστω ὁ τῷ θαλῷ στεφόμενος· ὃν δ' ἂν ἀτενὲς ἀποβλέποντα, καὶ τὴν χεῖρα ὀρέγοντα ἐπὶ τὸ χρυσίον, ἀπάγειν caet. Senec. ep. 92. *Vadit audacter, et contemtor omnium,* nec ad pecuniam respicit: *aurum argentumque non ad hunc aestimat splendorem, quo imperitorum verberant oculos.* Hinc ἀμεταστρεπτί Graecis idem est ac ἀμελητί. v. doctam Ruhnk. notam ad Tim. Lex. p. 25. Atque ita recte hunc locum interpretatus est olim Cleric. Art. Crit. I. 2. p. 72. sqq. et nuper Ouwens N. H. III. 3. p. 369. Docte vero poeta hominis acervos *praetereuntis* s. *relinquentis* imaginem τῷ *irretorto* indidit; et

 spe-

Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

pectare h. l. non ea virtute ponitur, qua Gr. ὄψιν ἔχειν ἔν τινι et Lat. *oculum adiicere alicui rei* (veluti Cic. in Verr. II. 15. dicitur; sed est simpliciter, acervos ita spectare, ut, si eos relinquas, ab iis discedas, oculos ne retorqueas quidem ad eos. Atque sic non intelligo, quomodo haec viris doctis ἐκ παραλλήλου repugnantia videri potuerint, veluti Lamb. h. l. Abresch. ad Aesch. II. 15. p. 346. et aliis. Qua tamen specie plerosque inductos alteram hanc amplecti videas rationem, qua *oculo irretorto spectare* sit: ita spectare acervos, ut oculos alio non retorqueas, sed eos in acervis defixos habeas; adeoque oculis rectis, qui auri fulgore non praestringantur, aspicere acervos, animo nulla admiratione, aut cupiditate divitiarum perturbato: eadem sententia, quae nec ratione, usuve loquendi destituta est. Seneca ep. 48. *grandia locuti, effecturos vos, ut non magis auri fulgor, quam gladii, perstringat oculos meos, ut ingenti constantia, quod omnes optant, calcemt*. Synes. Or. de regno p. 30. ὡς οὐκ εἰκός γε αὐτὸν διαράμενον βλασυροῖς ὀφθαλμοῖς ἀντιβλέψαι χρυσίᾳ· τοὐναντίον μὲν αἰδεσθῆναι τε καὶ ἐνδοῦναι καὶ τελευτῶντα περιπτύξεσθαι. cf. Lamb. ad h. l. Burm. ad Quinctil. Declam. VIII, c. 9. et Abresch. ad Aesch. l. l. Si tamen subtilius agas, impediti quid ac spinosi sententiae hoc modo erutae inhaerere facile deprehendas; et ἀμφιβολίαν, quae inde oritur, vix habes, quomodo removeas. Nam et avarus irretorto, defixo, h. cupido vultu *nummos* suos *in arca contemplatur* (Serm. I. 1. 65.) quod Graecis est ἀτενὲς ὁρᾷν. cf. Lucian. l. l. Diogenian. apud Schott. in Adag. p. 198. ἀτενὲς ὁρᾷν, ἐπὶ τῶν φιλαδούντων τισίν.

CAR-

CARMEN III.

ARGVMENTVM.

Tritum atque ab Horatio multoties inculcatum de fruenda vita praeceptum nova atque exquisitiore sententiarum conversione repraesentat hoc carmine poeta, ut mirum adeo non sit, interpretes in summa eius constituenda a vero paulum aberrasse. Vulgaris nimirum idearum progressio erat: Fruere, o Delli, vitae commodis, quandoquidem mors, cuius ad omnes fatalis necessitas pertinet, nos omnibus iis, quae suavia ac iucunda censentur, exuit, et haec ipsa vitae usura, quae nobis data est, paucorum admodum dierum summula circumscripta est. Quibus quidem, ut recte perfruaris, neve tibi ipse fructum intercipias, animum tuum adversus utramque fortunam firmatum atque ita tene compositum, ut nec secundis rebus nimium efferaris, neve adversis deprimaris. Docte vero poeta ab hac gnome, quae omnis felicitatis fundamentum haberi debet, exorsus ad primariam carminis sententiam de sectandis vitae deliciis transit, eamque vividissimis coloribus depingit! Iam Q. Dellius, ad quem hoc carmen scriptum est, erat homo varius, ac desultor bellorum civilium, ut Messala eum indigitat apud Senec. Suas. I. 6. Ad Octaviani partes cum a. V. DCCXXIII. transisset, magna eius gratia, magnisque opibus floruit; unde post hunc annum h. e. scriptum recte suspiceris. De Dellio v. Vellei. II. 84.

et ibi Ruhnk. Dio XLIX. 39. et ibi Fabric. E sententiarum autem, quem modo descripsimus, nexu facile intelligitur, parum recte illos facere, qui mores et animum Dellii varium initio carminis a poeta notari, eique universe mentis commendari constantiam volunt. Elocutionem carminis doctam ac vividam, numerorumque suavitatem observent humanitatis studiosi.

AD

AD DELLIVM.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture, Delli,

Seu

v. 1. sq. Vtramque fortunam moderate feras, in utraque fortuna compositae mentis habitum serva. Ornate hanc sententiam duobus membris extulit poeta. *Memento servare*, graviter, ut in re, quae maximi ad vitam beatam est momenti, inculcanda (ut I. 7. 17. III. 29. 32. qua eadem virtute *μέμνησο* Epicteto, et aliis in usu) pro, serva, obtine *mentem aequam*, ne deprimaris, ne perturberis animo *in arduis rebus* in adversa fortuna, aequo iniquam fortunam perfer animo. *Mens aequa*, animus aequus, est erectus, fortis, qui non succumbit *cedit malis; sed contra audentior it*: quae ratio vel in vulgaribus loquendi formis *aequo animo adversa ferre, iniquo pati*, et sim. obtinet. Plaut. Rud. II. 3. 71. *Animus aequus optumum est aerumnae condimentum*. Boeth. Consol. II. 4. *beata sors omnis est aequanimitate tolerantis*. Alii in genere accipiunt mentem aequam, animum aequabilem, in utraque fortuna sibi constantem, neque elatum in secundis (qua notione est apud Ovid. Amor. II. 438. *Nec facile est aequa commodamente pati*) neque in adversis depressum; nec vident, aperte disiungi a poeta, sibique opponi mentem aequam in adversis, et moderatam (v. 3.) in secundis rebus. *Res arduae* difficiles, molestae, *συμφοραὶ σκληραί*, adversae, malae, vi oppositionis v. 2. — idemque in *bonis*, prosperis, secundis rebus serva eam *temperatam*, animum gere temperantem sibi *ab insolenti laetitia*, cohibe te, tempera tibi, quo minus laetitia efferaris, exultes, insolenter, arroganter te geras, moderate, *bene ferre magnam disce fortunam*. III. 27. 74. Incertus in Grotii Excerpt. trag. p. 900. *ἀγαθὸς ἀνὴρ λέγοιθ' ὁ φέρων εὖ τ' ἀγαθά, ἀγαθὸς ἂν εἴη καὶ ὁ φέρων καλῶς κακά*. — *moriture*, quandoquidem tibi moriendum est, (v. I. 28. 4.) *seu maestius omni tem-*

Seu maestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.

Qua

tempore, omnes annos *vixeris*, in perpetuo maerore vitam egeris, genium tuum defraudaveris (apposite Antiphanes c. IV. (Anal. Br. II. 205.) ὁ δὲ χρόνος, ὡς τόκον, οὕτω καὶ πολιὸν τίκτει γῆρας ἐπερχόμενος· κοὔτε πιὼν οὔτ' ἄνθος ἐπὶ κροτάφοις ἀναδήσας, οὐ μύρον, οὐ γλαφυρὸν γνοὺς πότ' ἐρώμενον, τεθνήξῃ, πλουτοῦσαν ἀφεὶς μεγάλην διαθήκην.) *seu* iucunde vixeris. Nexus sententiarum videtur: Moriendi nobis proposita conditio monet nos, ut vitae bonis, dum licet, fruamur; atqui fructum istorum tibi ipse intercipias, nisi animum habeas tranquillum et adversus omnes fortunae insidias compositum. Hunc igitur tibi para, in hoc maxime enitere, ut eum sic ad fruendas vitae delicias informes, ac fingas. Docte haoc ita invertit poeta: Animo opus est tranquillo, ut iucunde vivas; (hoc e vv. 5. sqq. eliciendum) ad hoc exhortatur vitae brevitas, mortisque cogitatio, (*moriture*), quae certo imminet, etiamsi nullum vitae fructum ceperis, omnibusque, quae vitam iucundam efficiunt, nos exuit commodis; Quare fruere istis, dum licet etc. Alia agunt intpp. qui mortis meditationem praesentissimum tranquilli in utraque fortuna animi servandi adiumentum a poeta adferri volunt. Iam illa, „seu iucunde vixeris" vide quam suavi pictura, cuius imago omnes sensus delinit, poeta expresserit. Iucundam vitam declaravit suo more, per compotationem in amoena regione. v. I. 1. 21. sqq. Oratio in his admodum docta et exquisita. — *in remoto gramine* in amoeno recessu. Cf. V. 2. 24. — *per dies festos*, festis diebus. Intellige sacra deorum agrestium (quo vel remoti graminis mentio ducit) quibus *non rubor* erat *madere*, *errantes aut male ferre pedes*. Tibull. II. 1. 30. Cf. ad I. 4. 11. — *te reclinatum bearis*, exquisitiori forma, pro, *reclinatus*, fusus te *bearis*, recreaveris, exhilaveris Falerno optimo. Pro hoc est, *interiore nota Falerni* h. interioris F. interius reconditi, quippe *ad festas dapes repositi* (V. 9. 1.) adeoque praestantioris, vetusti. *Nota Falerni* est cadus vini, cuius nota ostendit, Falernum in eo servari. Adscripta enim cuique amphorae erat nota, s. titulus, qui

Qua pinus ingens albaque populus
Vmbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo:

Huc

qui patriam vini et annum, quo conditum eſſet, monſtraret; res nota. Eſt adeo ſimpliciter pro Falerno (ut Serm. I. 10. 24. *ut Chio nota ſi commiſta Falerni eſt.*) neque in hoc vini virtus quaerenda, quam poeta unice a loco, ubi repoſium erat, cellae ſcilicet vinariae interiori deſignat.

v. 9. *ſqq.* In tam certo igitur tamque anguſto vitae termino ne quaeſo fructum eius deſeras, aut in craſtinum diem differas. At multo acrior ac vividior in exhortando ad iucunde beateque vivendum poeta ipſo ſtatim, quod praeſens datum eſt, temporis momento frui, illicoque convivales lautitias apparari iubet. Suaviſſimis vero, quibus convivii ſcenam adornaret, uſus eſt coloribus; quos ipſos e fundo Dellii petitos, haud temere ſtatuas e v. 18. — Vulgaris ratio erat: Age ſub hanc umbram concedamus, genioque ibi litemus. At γραφικωτέρως poeta: *Qua* parte, δεικτικῶς, hic, ubi pinus et populus umbram conferunt; pro hoc quanto ornatius, *amant conſociare umbram ramis*, arcte conſociant ramos, connexis invicem ramis denſam umbram efficiunt. Iam obſerva dilectum epithetorum. Pinus *ingens*, adeoque diffuſis ramis, patula, opaca. Populus *alba*, ob folia interius candida; cf. Virg. Ecl. IX. 41. Aen. VIII. 276. *Vmbra hoſpitalis* quae grato ſuo refrigerio nos invitat, in qua lubenter requieſcimus, commoramur, mira ſuavitate. Ovid. Met. X. 555. *ecce opportuna ſua* blanditur *populus umbra, datque torum ceſpes. blanditur*, h. blande invitat. Ita et in Tibullo II. 5. 42. *tum vocat errantes hoſpita terra deos* magis poeticum erit, ſi terram *hoſpitam* explices, quae gratam ſedem oſtendit, praebet. *Amant conſociare*, cum vi, arcte ſe invicem amplectuntur, ambitioſe ſe conſtringunt, amantium inſtar. Quo ſenſu *ederas laſcivas* dixit I. 36. extr. Lucian. Amorr. §. 12. (T. II. p. 410.) παντί γε μὴν δένδρῳ περιπλέγδην ὁ φίλερως προσείρπυε κιττός. De hoc uſu v. *amare* fuſe egimus ad I. 25. 4. Lambin. cum aliis quibusdam *amant* pro ſolent, φιλοῦσι dictum vult, invitis Gratiis. — *et* qua *lympha obliquo rivo*, lympha, aqua rivi, rivus obliquo curſu defertur, curſum obliquat,

Huc vina, et unguenta, et nimium brevis
Flores amoenos ferre iube rosae,
Dum res et aetas et Sororum
Fila trium patiuntur atra.

Cedes

quat, qua rivus inflectit se, sinuatur. Nihil amplius. At quam graphice haec expressa! Rapidum cursum rivi designant *fugax* et *tepidare*; (nota loquendi ratione) retardatur is, atque impeditur, obliquis flexibus; hinc *laborat trepidare*, moras istas redimit citatiore cursu. Bene quidem haec procedit ratio; multo tamen exquisitior est haec altera, qua *labor* seu impeditior cursus, rivo tribuitur, quatenus per anfractus procedit; hos enim fraus optica, qua egregie imponi sibi poetae patiuntur, multo angustiores facit. — 13. Hic compotatione nos exhilaremus. *Huc*, in hunc amoenum recessum iube adferri vinum, unguenta, et *flores rosae*, rosarum, ἄνθος, ἄωτον ῥόδων, rosas, quibus coronemur. cf. I. 36. 15. III. 29. 3. — *nimium brevis*, nimis cito defloresentis, ut *breve lilium* I. 36. 16. Suaviter hic et cum vi adiectum, quasi eo admoneamur, ne aetatis iuvenilis tempus, quod aeque cito pereat, e manibus elabi sinamus. — 15. *Dum res* patitur, fert, dum nihil obstat, quominus his deliciis fruaris, adeoque *dum licet* (ut II. 11. 16.) *dum decet* (V. 13. 5.) Declarative adeo subiicitur, dum *aetas patitur*, dum per aetatem decet, *dum canities abest* I. 9. 17. dumque omnino *fila trium sororum*, Parcarum patiuntur, *dum superest Lachesi, quod torqueat* (Iuvenal. III. 27.) dum per fata licet. Poeta igitur sententiam universe positam declarat statim per speciales ideas, noto more. Cuius tamen plane immemores intpp. in *rei* notione constituenda quaquaversum aberrarunt. Lamb. *rem* interpretatur οὐσίαν, τὰ ὑπάρχοντα, facultates, unde esset: dum habes, quod profundas; quod helluone dignum praeceptum esset. Aliorum commenta nec referre, nec expendere vacat. *Sorores* absolute et alibi Parcae dictae (v. c. Senec. Herc. fur. 181. Sil. I. 280. Stat. Theb. I. 631. cf. omnino Ruhnk. Ep. cr. I. p. 50.) muneris tamen earum mentione numeroque ternario adiecto, ut h. l. — *Fila atra*, perpetuo rerum inferarum epitheto. In hoc adeo non argutandum, cum poeta h. l. universe loquatur. Vbi vero de misera cuiuspiam conditione sermo est, sane tum *atra* f. vim habent, et oppo-

nun-

Cedes coëmtis saltibus et domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur haeres.

Di-

nuntur *candidis* (veluti Stat. Silv. I. 4. 125.) melioris notae, felicioris sortis. Ad sententiam poeta Incert. in Grot. Excerpt. Trag. p. 915. *ζῶν παρασκευάζε σαυτῷ στεφάνους καὶ μύρα· χρήσῃ γὰρ αὐτοῖς αἰσθόμενος μεθ' ἡδονῆς.*

v. 17 — 20. Vulgaris sententia: omnibus, ob quae vita expetenda videatur, post mortem carendum esse, omnia aliquando relinquenda esse, nobilitatur, doctaque enumeratione rerum, quibus Dellius beatus haberetur, vivide declaratur a poeta. Cf. II. 14. 21. sqq. Suavis dilectus est verbi *cedere*, pro relinquere. *Cedimus* enim *terra*, *urbe patria*, quam nunquam revisuri sumus, quam aliis colendam, habitandam relinquimus. Sic iam fere Serv. ad Virg. Aen. II. 804. Hinc exquisito euphemismo de abitu e vita. Cf. Serm. I. 1. 19. Nolim adeo de victo et pulso h. l. cum quibusdam intelligere. — *Saltus* h. l. sunt pascua late porrecta, qualia divites Romani, rei pecuariae intenti, per Calabriam et Lucaniam possidebant. Epp. II. 2. 177. *Quid vici prosunt, aut horrea, quidve Calabris saltibus adiecti Lucani, si metit Orcus grandia cum parvis* caet. et V. 1. 27. *Pecusve Calabris ante sidus fervidum Lucana mutet pascua. Pecuaria silvae Lucanae* Calpurn. ecl. VII. 17. Male alii de viridariis, quae in domus impluvio erant, hic cogitant. — *coëmtis*. Habebat adeo plures saltus; tum et Dellium innuit his possessionibus admodum delectatum, quibus adeo aegre cederet. Monendum hoc, ne quis nimis vulgare aut otiose illud adiici existimet. — *domo* quam forte magnificentissimam in fundo haberet, nota Romanorum insania. v. Varro de R. R. XIII. 6. — *villa* plura aedificia, in fundo exstructa, comprehendit, tam ad usum rusticum (quae *pars rustica* et *fructuaria* dicebatur. Colum. I. 6.), quam ad domini eo secedentis commoditates (*pars urbana* Colum. l. l.) ac luxum disposita, puta aestiva, hiberna, thermas, porticus, alia. Hinc *villas* unius villae aedificia dixit Stat. Silv. I. 3. 4. et inde Auson. Mos. 284. — quam Tiberis *lavit*, alluit, proprie; nam innuit villae praetoria, ad Tiberis ripas exstructa, quae erant splendidissima. Stat. Silv. I. 3. 27.

Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, et infima

De

27. et Auson. l. l. vide quos laudat Barth. ad Stat. l. l. *Lavere*, antiqua forma, est et III. 4. 61. 12, 9. et alibi. — 19. 20. Omnes explicant: *Haeres divitiis tuis*, opibus, auro et argento *in altum exstructis*, coacervatis, exaggeratis *potietur*, iisque fruetur; perspicua utique sententia, neque plane ab h. l. aliena; quam tamen Horatius, si bene eum novi, vix voluerit. Vide pedestrem horum vv. rationem: Cedes saltibus, domo, villa: iisque haeres potietur. Iam pro tenui et vulgari *iis*, repetiit villae notionem poeta, eamque ab eius magnificentia, qua ipsa Dellio desideratissima esset, docte admodum et exquisite designavit per *divitias in altum exstructas*, aedes altas, magnis sumtibus exstructas. Plane ut III. 1. 45. *Divitias operosiores* tecta vocat *ex plano in altitudinem montium educta*, ut Seneca loquitur ep. 89. extr. etsi et ibi vulgaria intpp. sectentur. Sic pretiosam supellectilem idem Seneca de tranquill. I. vocat *divitias per omnes angulos dissipatas*. Ovid. Fast. IV. 135. *Aurea marmoreo redimicula solvite collo: demite divitias*, h. ista redimicula. Petron. de Mutat. R. R. 83. sqq. *Ecquid sentis — non posse ulterius periturum attollere molem? Ipsa suas vires odit Romana iuventus, et quas struxit opes male sustinet*, h. molem imperii, quam in tantam altitudinem eduxit, vix sustinet. *Ramos divitiis* h. aureis pomis *graves* similiter dixit Lucan. IX. 361. Caeterum vulgaris interpretatio vel hoc etiam nomine displicet, quod avaritiae notam Dellio inurat; cuius cum nullum in hoc carmine extat indicium, tum eum vel splendida ac magnifica eius villa hic memorata facile ea absoluit.

v. 21 — 24. Neque enim divitiae immunem quemquam a morte praestant. Docte haec generali sententiae, omnibus moriendum esse, per distributionem declaratae, involvitur. Docte quoque partes, quae sibi respondent, disiunguntur a poeta. Caeterum eadem enumeratione iam Pind. Nem. ζ. 27. ἀφνεὸς πενιχρός τε θανάτου πυρὶ σῶμα νίσονται. Simonidis, Menandri et Phocylidis loca huc pertinentia v. in Stob. Floril. Grot. tit. CXIX. Cf. et I. 4. 19. sqq. II. 14. 9 — 12. Nihil refert, divesne et *natus ab Inacho*, stemma tuum ab Inacho *prisco*, antiquissimo Argivorum rege deducens, nobilissimo genere

De gente, ſub divo moreris,
Victima nil miſerantis Orci.

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur urna ſerius ocius
Sors

re ortus *ſub divo moreris*, in ſupera regione verſeris, vivas (ſic *coelo* frui Senec. Oed. 854. *veſci aura aetherea*, φάος ἡλίου ἑρᾷν et ſim. pro *vivere*, ex oppoſ. noctis inferae; res notiſſima. Mire tamen hallucinatur Lamb.) et hoc ornate pro, *ſis. morari* ſuaviter de vitae brevitate, ut Ovid. Met. X. 32. — *infima de gente* oriundus, an maiores tui infimae gentis, humilis conditionis fuerint, adeoque ipſe ignobilis ſis. — 24. Tamen, nihilominus moriendi ad te pertinet neceſſitas. Pind. Iſthm. ζ. 59. θνάσκομεν γὰρ ὁμῶς ἅπαντες· δαίμων (ſors cuiusque) δ' ἄιστος. *Victima* es, devotus, damnatus es *Orco*, Plutoni, θανάτῳ πάντες ὀφειλόμεθα, ut multoties in Anthol. gr. Pluto *nil*, non *miſerans, illacrimabilis*, inexorabilis (ſuavi imagine Aeſchyl. apud Stob. Flor. Grot. p. 485. μόνον δὲ (Θανάτου) Πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ) ἄδακρυς, ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος (Hom. Il. ι. 158.) ηλεής, δυσπειθής (uti ſaepius apud poetas graecos audit) quibus fatalem moriendi neceſſitatem deſignant poetae.

v. 25 — 28. Vlterius huio cogitationi immoratur poeta, quo magis ea Dellii ſeſe inſinuet animo, eumque ad fruendam vitam permoveat. *Omnes eodem*, in eundem locum, in loca infera *cogimur*, compellimur gregis inſtar. v. I. 24. 18. Dictus inde Pluto πολυδέκτης et πολυδέγμων Hom. H. in Cer. 8. et 17. πανδοκεὺς Lycophr. 655. laudante Ruhnk. ad Hom. l. — *ſors omnium verſatur* quatitur, commovetur (πάλλεται) in *urna*, dum ipſa quatitur; quod eſt pro vulgari, omnium ſortes in urnam coniectae ſunt, urna continet. Stat. Silv. II. 1. 219. *Immenſis urnam* quatit *Aeacus umbris*. Infra III. 1. 16. *Omne capax* movet *urna nomen*. Imago, quam Horatius hic expreſſit, quaeque, quantum ſciam, non alibi occurrit, ita apud animum repraeſentanda videtur: Cogitanda Neceſſitas dea, Μοῖρα, Ἀνάγκη, quae urnam tenet, in quam omnium hominum ſortes coniectae ſunt: cuius quidem figmenti ſatis obvia eſt ratio, nimirum, omnes fatali neceſſitati, morti eſſe obnoxios. Iam cuius ſors ſ. no-

Sors exitura, et nos in aeternum
Exilium impositura cymbae.

men inter commovendum excidit, exsilit (ἐξέθορε, ἐξόρουσε, quae sunt Homerica sortitionis verba) *exit*, (quod proprium est Latinis poetis v.) huic fatale est mori. Atque hac quidem idea, facile intelligitur, nihil spectari, nisi hoc omnes nullo delectu aut discrimine mori; sicque satis commode subiicitur vv. 21. sqq. Vti plane III. 1. 15. *aequa lege Necessitas sortitur insignes et imos* caet. Sors ista certo *exitura* est, mors certissima nos manet, moriendum est sive *serius*, sero, aut *citius*, cito, immatura aetate. Propert. II. 21. 58. *Longius aut propius mors sua quemque manet.* Ovid. Met. X. 33. *Serius aut citius sedem properamus ad unam; tendimus huc omnes.* — Sors ista elapsa, dum excidit, *impositura* est nos Charontis *cymbae in exilium*, docta brevitate, pro, cogit nos conscendere Charontis scapham, sicque nos in exilium depellit, ad loca infera deducit, *aeternum*, unde reditus non datur. *Exulum* instar *domo cedimus* (v. 17.) ac terram hanc patriam relinquimus; suaviter.

CAR-

CARMEN IV.

ARGVMENTVM.

Xanthiam Phoceum, hominem forte graecum, Phyllidis servae suae amore captum atque irretitum, istumque, quia servam amare probrosum apud Romanos habebatur, adversus Horatium dissimulantem poeta hoc carmine confirmat atque erigit summorum antiquitatis, qui idem fecerint, virorum exemplis; tum, quo minus istam amare eum pudeat, nobilissimo eam genere ortam vero ait sibi videri simillimum. Laudat in hanc rem, pro certissimoque argumento ponit generosam puellae indolem, moresque ingenuos, qui in hominem infimae sortis et obscuro loco natum vix cadant. Denique haud vulgarem puellae adesse pulchritudinem formaeque concinnitatem, quae amorem eius facile excusent. Leve hoc argumentum nobilitavit poeta insigni ornatu doctrinaque haud vulgari; in singulis vero locis graecum ei ob oculos fuisse exemplum haud vane suspiceris.

AD XANTHIAM PHOCEVM.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu! Prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem:
Movit

v. 1. *Ne pudori tibi sit*, ne erubescas, ne existimationi tuae levem inde maculam adspergi in animum inducas, quod *ancillae*, servilis conditionis feminae amore detinearis, quod servam ames. Dicti isti homines Romanis ancillarioli. Senec. de Benef. I. 9. Martial. XII. 58. 1. — 2. *Briseis*, κούρη Βρισῆος (Hom. Il. α. 274.) Hippodamia, e Lyrnesso, Phrygiae urbe, capta, et Achilli in praedae sortitione data. Homer. Il. β. 690 Hinc *serva* belli iure facta, δουρικτητή. — *movit*, inflexit, amore incendit animum Achillis *prius insolentem*, ferocem, invictum, indomitum adhuc amore; adeoque primum ei amorem inspiravit *niveo colore*, pulchritudine sua. Nisi potius iungere praestat: *Briseis niveo colore*, nivei coloris, pulchra, doctiore structura. Ita vero si hunc locum interpreteris, et maior vis sententiae infertur, qua Achilles servae amore *primum* captus dicitur, et oratio magis poetica videtur, absque transeundi formula. Alii: *prius*, olim ante te, tu non primus es, qui in talem amorem incideris; quod admodum languet; tum sordidi istius amoris excusatio unice in in hoc ponenda est, quod clarissimi quique heroes idem fecerint. *Insolentem* quoque *A.* fere accipiunt, arrogantem, superbum, pervicacem; minus apposito h. l. epitheto. Ferrem, si Achillis mores superbos ex amore prorsus immutatos declarare et potuisset, et voluisset poeta. Recte vero et ex communi poetarum loquendi ratione *insolens, trux, ferox* dicitur, qui amori nondum succubuit, amorem aspernatur. De eodem Achille Stat. Ach. I. 302. *Trux puer et nullo temeratus pectora motu.* Tibull. III. 6. 13. *Ille* (Amor) *facit mites* (e praeclara Heynii coniectura) *animos Deus, ille ferocem contudit, et dominae misit in arbitrium.* adde Ovid. A. A. II. 477. Senec. Hippol. 240. Similiter Boeth. Consol. Phil. II. Pr. IV. *omnis adver-*

Movit Aiacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae:
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta,

Bar-

adversitatis insolentem dixit eum, qui adversam fortunam nunquam expertus est. Praeclare sic respondet τῷ *movit*, h. *inflexit sensus*, ut Virg. Aen. IV. 170. Simpliciter sic adhibuit Arbor. el. ad Nympham v. 51. (Wernsd. Poet. min. III. 221.) *Non Helenae mater, nec par tibi filia Ledae, quamvis haec Paridem* moverit, *illa Iovem.* Iam Terent. Eunuch. III. 5. 19. *In hac commotus sum.* Sic et *motus* saepius amoris, quo animus primum perturbatur, adfectum designat. Caeterum nullam Deidamiae, ab Achille primum amatae, rationem habuit poeta, quo maiorem sententiae vim conciliaret; in quo adeo haerendum non erat. Ad sententiam totius loci Ovid. Am. II. 8. 11. *Thessalus uncillae facie Briseidos arsit, serva Mycenaeo Phoebas amata duci. — quod decuit reges, cur mihi turpe putem.*

v. 5. 6. Tecmessa, Teleutantis (iuxta Sophocl. Ai. 531. secundum alios Teuthrantis) filia, formae pulchritudine cepit Aiacem Telamonium (alter enim Oilei f.); *captiva* serva (δουρίλητος νύμφη Sophocl. tr. l. 900.) *dominum.* Vltima vim acquirunt ipsa collocatione. Res ipsa satis nota e Sophoclis trag. laudata. — 7. *Atrides*, Atrei nepos, Agamemnon, *arsit virgine*, exquisita structura, (ut III. 9. 5. V. 14. 9. *calere aliqua*, I. 4. 19. IV. 11. 33. et passim alibi) pro, amore virginis Cassandrae exarsit, correptus est, oculos et animum in virgine defixit. Cassandra absolute *virgo* dicta, forte quod Apollinis amores, impetrata ab eo vaticinandi facultate, respuisset. *Priameia virgo* eadem dicta Virg. Aen. II. 403. — *rapta* docte pro, captiva, adeoque in servilem conditionem detrusa. Nam *rapi*, *duci*, *trahi*, ut ἕλκεσθαι Gr. solennia vv. in captivitatis notione exprimenda. Homer. Il. χ. 62. υἷάς τ' ἐλελυμένους ἑλκυσθείσας τε θύγατρας. Claudian. Laud. Stil. III. 23. *Hi famulos traherent reges*, caet. Ita quoque acceperim Virgilii locum laud. de Cassandra: *Ecce* trahebatur *passis Priameia virgo crinibus a templo Cassandra, adytisque Minervae.* Nam vim Cassandrae coram Pallade ab Aiace illatam arguunt

Barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore, et ademtus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.

Ne-

guunt *ardentia ira lumina* v. 405. et *passi crines* (ut sit: *virgo passis crinibus*, quamquam et Ovid. Met. XIII. 410. illas voces cum v. *trahebatur* iunxerit. Sed ibi manus eius non constrictae sunt: in Virgilio contra *teneras arcebant vincula palmas.*) Omnea fere intpp. *raptam* explicant, ab Aiace Oilei f. e templo Minervae abstractam; sed huius rei cum parum opportuno loco a poeta facta esset mentio, tum paulo disertius eam expositam exspectares. Omnino observa exquisitam copiam poetae in exprimenda notione *servae*, item *τοῦ amare*. — *medio in triumpho*, statim, ubi victor urbem ingressus, Troia potitus esset; sed alterum docte de Agamemnone Graecorum duce, qui adeo triumphatoris Romani speciem referret. Romanam hanc victoriae designandae ideam pluribus exemplis adsertam v. ad III. 1. 7. Praeclare vero haec a poeta adiecta ad desiderii vim declarandam.

v. 9 — 12. Exquisito ornatu poeta gentem subiicit, de qua Agamemnon triumphaverit, s. quam urbem everterit. Perspicuitatis adeo caussa hos vv. adiectos existima. — *Turmae*, copiae (ut *Lyciae catervae* I. 8. 16. adde C. S. 38.) *barbarae*, *βάρβαρον στράτευμα*, (Eurip. Rhes. 612.) h. barbarorum, Phrygum, Troianorum, e solenni Graecorum appellatione. — *cecidere Thessalo victore*, ornatius pro, caesae, deletae sunt ab Achille Thessalo. — et *ademtus*, occisus (cf. II. 9. 10.) *Hector tradidit* caet. docte pro, mors Hectoris effecit, sublato H. factum est, ut *Pergama*, arx Troiae, ipsa urbs *levior* esset *tolli*, ad tollendum, evertendum, ut Troia facilius caperetur, *ἐφοτέρῃ αἱρεῖσθαι*. Imitationem Homericam Il. *ω.* 243. *ἐπίτηδες γὰρ μᾶλλον Ἀχαιοῖσιν δὴ ἔσσεται κείνου τεθνειῶτος ἐν αἰρέμεν*, notarunt iam alii. Simili colore Pind. Isthm. *η.* 111. sqq. de Achille *ἃ ἠχὶ Μύσιον αἴματι Τηλέφου φόνῳ πεδίον· γεφύρωσε τ' Ἀτρεΐδαισι νόστον· — Τρωΐας ἵππας ἐκπεμπὼν δορί, Μέμνονός τε βίαν ὑπέρθυμον Κάτορά τ' ἄλλους τ' ἀρίστους.* Omnino summam Troiae captae laudem Achilli deferunt poetae, dum urbem cum Hectore vere periisse

Nescias, an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes:
Regium certe genus et penates
Maeret iniquos.

Crede

periisse dicunt. Eurip. Hec. 21. Τροίαν δ' Ἕκτορος τ' ἀπώλετο ψυχή. Archias apud Br. Anal. II. p. 528. Ἕκτορι μὲν Τροίη συγκατέθαψεν. Pentad. in tum. Hect. 3. (Wernsd. Poet. min. III. 278.) *occubuit telo violenti victus Achillis, occubuere simul spesque salusque Phrygum.* v. Wernsd. ad istum l. et ad Lucil. Iun. Aetn. 585. (T. IV. 201.) — *fessis* longo bello, ut Virg. de iisdem Aen. II. 109.

v. 13. Exemplis caussas subnectit poeta, quo eum minus amare istam pudeat: Phyllidem nobilissimo genere ortam esse, eiusque rei coniecturam facile duci posse cum ex eius vultu subtristi, qui amissae pristinae dignitatis memoriam servet, tum ex animi eius nobilitate, quae minime in abiectae conditionis homines cadat. Alii Horatium Xanthiae obiectioni, quod servae istae, quas heroes amarint, nobilissimae fuerint originis, tantum occurrere voluisse existimant, quod parum probabile videtur. — *Nescias οὐκ εἰδῶς ἄν*, nescis an, fortasse, (v. de hac loquendi ratione, si tanti videtur, Cort. ad Plin. IV. 11. et Burm. ad Quinctil. XII. 11.) *Phyll. flavae* pulchrae *parentes beati ὄλβιοι*, nobiles sunt, forte nobiles parentes habet puella, quae nunc servit: docte et ornate pro hoc, respectu amoris eius, *an te generum decorent par. b.* annon parentes habeat, quorum te non pudeat esse generum, quorum filiam te amare haud dedeceat. Καλοὺς γαμβροὺς Eurip. Hippol. 634. cum h. l. comparavit ibi Valken. — 15. 16. *Certe* nobilitatem generis maestus eius vultus arguit. *Maeret*, ob hoc semper subtristis est, quod tam *iniquam* sortem experta sit; dolet, se *regio* splendido *genere* ortam, regiisque *penatibus* innutritam, nunc servam factam. Docte adeo poeta epith. *iniquos* τῷ *penates* iunxit, quod ad totam sententiam spectat. Conditio Phyllidis *iniqua* erat, regia ante, nunc servilis. Vulgo *Penates iniquos* accipiunt de Diis patriis, ipsi adversis, qui adeo puellam in servilem conditionem devenire siverint. Sed subtilius hoc, et *genus* et *penates* docte apud poetas cumulantur. Propert. I. 22. 1. *genus unde mihi, qui sint mihi*

Crede non illam tibi de ſceleſta
Plebe dilectam; neque ſic fidelem
Sic lucro averſam potuiſſe naſci
Matre pudenda.

Bra-

mihi Tulle, penates. Nam *penates*, *domus* in his loquendi formis generis originem deſignat. Τῶν εὐπατρεῖδῶν γεγῶς' οἴκων Eurip. Ion. 1073. et ſaepiſſime alibi. Caeterum totius argumentationis vis in v. *maeret* ponenda: maeror enim, ſplendidorum puellae natalium index erat certiſſimus. Hypſipylen ita depingit Stat. Theb. IV. 740. Tecmeſſam Ovid. A. A. III. 517.

v. 17. Generis nobilitatem produnt etiam mores eius liberales, probi, pudici ἄξι' ἀξίων γεννητόρων ἤθη. Eurip. Ion. 736. — *illam tibi non dilectam eſſe de plebe* poteſt eſſe: illam non de plebe a te amari, quod ornatius dictum eſſet, pro, illam, quam amas, non de plebe oriundam eſſe, non plebeiae eſſe conditionis. Poteſt vero etiam eſſe: illam non e captivis plebeiae ſortis electam, acquiſitam, emtam; adeoque eam non eſſe e plebe: ut *dilecta* captivarum multitudinem reſpiciat, unde Phyllis emta fuerit. Tum *tibi* eleganter παρέλκει; certe nullam vim habet. Atque haec quidem ratio et doctior, et ipſa verborum collocatione altera videtur probabilior. *Plebs ſceleſta* prava indole, pravisque moribus, quae omnia ad privatam utilitatem refert; (hinc *vulgus mobile*, *infidum*, *malignum*. v. I. 37. 25. II. 16. 40.) h. l. perfida, lucro addicta, fraudulenta, periura: quae notiones ex altero, quod ſequitur, membro conſtitui debent. Vulgo explicant, humilem, ſordidam, abiectam: refragante loquendi uſu. Tum poeta ſic argumentatur: Phyllis, quae tam ingenuis moribus tam generoſa indole praedita eſt, e plebe nata eſſe nequit, quippe quae ſceleſta eſt. Sed interiectam ſententiam novo poeta membro extulit, et exornavit ſqq. — 18. *Neque eam ſic fidelem* fidam in amore, animo vere tibi deditam, *ſic averſam*, alienam, abhorrentem a *lucro*, quo ſolo invitatae meretrices viris ſubblandiuntur, amoremque ſimulant, *naſci potuiſſe matre pud.* talem eſſe poſſe, ſi nata eſſet matre, cuius eam pudere debeat, adeoque infimae ſortis, abiectiſſimae conditionis, ſi ignobili genere orta eſſet.

v. 21

Brachia et vultum teretesque suras
Integer laudo: fuge suspicari,
Cuius octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum.

v. 21—24. Denique liberalis eius facies, praestantissimaque forma amorem tuum facile excusatiorem facit. Quod quidem meum de eius pulchritudine tanto verius haberi debet iudicium, quo minus illud amore ducitur, cuius ne suspicio quidem in hominem, a quo proficiscitur, annum quippe XL aetatis agentem, cadere potest. Ita si horum vv. sententiam constituas, haud sane temere adsuti aque primario carminis consilio alieni videbuntur, aut, ut amoris suspicionem a se amoliretur adiecti. Partes pulchritudinis ponuntur, nota poetica ratione; et in his *brachia* et *suras*, cum dilectu: quoniam haec in servabus, quae brevissimis tunicis utebantur, quaeque nec longas manicas habebant, maximam partem nuda conspiciebantur, cum *matronae* contra, *praeter faciem*, *nil cernere* liceret, *caetera — demissa veste tegentis*. Serm. I. 2. 94. 95. — *teretes*, clementer extantes, sensimque tenuatas, ut ait Lactant. de O. D. 5. *tumentes* contra s. enormes V. 8. 10. — *integer*, animo integro, intacto, plane vacuo ab amore istas puellae dotes extollo, eximias iudico; ut III. 7. 23. cf. Burm. ad Val. Fl. II. 374. — *fuge*, noli *suspicari*, amori quidquam in hoc datum existimare, quandoquidem *aetas* mea *trepidavit claudere*, clausit *octavum lustrum*, XL. annorum spatium exegit, absolvit. *Trepidare* eleganter de cursu aetatis, fuga temporis. Caeterum Xanthiam, cui se sic a Phyllidis amore immunem probaret Horatius, admodum iuvenem fuisse recte colligas; tum omnino continentiorem, minusque ista aetate ad voluptates eum fuisse propensum statuere licet.

CARMEN V.

ARGVMENTVM.

Lalages, puellae adhuc tenerae, nulloque dum amoris contactae igniculo, potiundae cupiditate flagrantem amicum quendam reprimere hoc carmine conatur poeta, hortaturque eum, ut exspectet, donec ad nubilem ea aetatem perveniat, quae tum votis eius ultra satis factura sit. Et argumenti ratio, et, quae per totum fere carmen regnant, notiones graecae facile eo ducunt, ut illud plane e Graeco versum, Graecis saltim floribus contextum recte statuere liceat. Vid. Not. Nimia vero, quae in exornandis ideis deprehenditur, ingenii luxuries, et allegoriarum ratio, maxime vero earundem diversae indolis cumulatio, quae iudicium nondum satis subactum produnt, abunde commonstrant, ad primos poetae foetus hoc carmen referri oportere. Caeterum Cruquii et aliorum super h. c. commenta adponere, ac refellere nihil adtinet.

Non-

Nondum ſubacta ferre iugum valet
Cervice, nondum munia comparis
Aequa-

v. 1. ſqq. Nondum ad plenam pubertatem pervenit puella, cuius amorem expetis, nondum id aetatis attigit, ut amore eius frui liceat, nondum *tempeſtiva* eſt *viro*, ut ſupra I. 20. extr. Pro hoc poeta, allegorica ratione, Graecis admodum familiari, uſus: *nondum valet*, ſatis virium habet, ſatis robuſta eſt iuvenca, impar adhuc eſt *iugo ferendo*, ſ. ſuſtinendo *cervice*. — *ſubacta* ſc. iugo, ſubiecta, inſerta iugo proprio voc. Homer. Il. *κ.* 293. *βοῦν — ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ.* Senec. Hipp. 1002. *Celſos ſonipedes ocius ſubigit iugo;* quamquam et ſimpliciter accipi poſſit, domita, iugo impoſito. Sic *indomita cervice greges* alicubi occurrit apud Statium. adde Catull. 65. 33. et Valer. Fl. IV. 360. H. l. ſimpliciter ornat, quocunque modo accipias. Iam, ut de allegoria panca moneamus, tam graecis quam latinis poetis amoris mutui cum quocunque vinculo (v. c. *compede*, IV. 11. 24. *ἀλυκτοπέδῃ* Anal. Br. III. c. XVIII. inter *ἀδεσπ.* p. 154. *catena* Tibull. IV. 5. 15.) maxime cum iugo uſitatiſſima eſt comparatio. Ductae inde loquendi formae *ζευχθῆναι γάμοις, iugari* (Catull. LXIV. 21.) *taedae iugales* et ſic porro. Hinc puella, viri adhuc expers, dicta *indomita* (Catull. LXVIII. 118.) *παρθένος ἀδμής* Homer. Od. *ζ.* 109. *κόρα ἄζυξ* Theocr. XXVII. 7. et, aetatis tenerae ſimul ratione habita, ſimpliciter *κῶλος, μόσχος* et ſim. quae contra virum experta eſt, ea *δμηθεῖσα, δμητή, iugum ferre* (laudant Plautina Curc. I. 1. 50. *Iamne ea fert iugum? PH. Tam a me pudica eſt, quam mea ſi ſoror ſit.* adde Catull. LXVIII. 118. *qui tunc indomitam ferre iugum docuit*) *virili iugo ſubmitti* (Stat. Silv. I. 2. 165.) et utrique amantes dicti *compares, σύζυγες.* Plaut. Pſeud. I. 1. 65. — *nondum munia* laborem, operam *comparis* ſ. iugalis *aequare*, aequam compari praeſtare poteſt. Ducta imago a iuuencis aratro ſ. curruì iunctis, quorum alter aetate ac viribus compari inferior haud aequam laboris partem in ſe recipere poteſt, haud aequo iugo trahit. Senſus igitur: nondum firma ſatis eſt aetate, ut amori tuo reſpondere valeat. Eadem translatione uſus eſt Theocr. XII. 15. *ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ*, h. *aequabant amorem*, ut Virgil. Aen. VI.

Aequare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Circa virentes est animus tuae
Campos iuvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto

Prae-

VI. 474. de Sichaeo et Didone — 3. necdum *tolerare* tergo sustentare *pondus tauri*, tantum nimio pondere eam degravantem, h. virum pati. Omnino verecundiae sensui in exprimendo amoris commercio satis consultum crediderunt veteres, dummodo illud non propriis, sed, quod inter homines est, a pecudibus, et quod pecudum est ab hominibus verbis translatis eloquerentur. Sic Iphigeniam honesta appellatione ἀταύρωτον vocat Aeschyl. Agam. 254. adde Aristoph. Lysistr. 217. Rufin. c. XXXIV. (Anal. Br. II. 398.) alludens simul ad nomen puellae: Σοὶ μὲ λάτρειν γλυκύδωρος Ἔρως παρέδωκε, Βοῶπι, ταῦρον ὑποζεύξας ἐς πόθον αὐτόμολον. — *ruentis in Venerem*, amoris aestu correpti, libidinis explendae cupidi. Simili forma loquendi Virgil. Ge. III. 244. *Omne adeo genus in terris — in furias ignemque ruunt.*

v. 5—8. Suavissima imago puellae, quae nullo dum amore contacta pueriles cum aequalibus lusus et iocos sectatur, eosque potiores habet. Colorem duxit poeta ex Anacr. LXI. 9. 10. πῶλε Θρηϊκίη — νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι, κοῦφα τε σκιρτῶσα παίζεις. qua eadem ratione Galateam μόσχα γαυροτέραν vocat Theocr. XI. 21. cf. III. 11. 9. — *animus est circa campos*, unice delectatur pascuis, libere vagando, atque exultando, χλοεραῖς ἐμπαίζουσα λείμακος ἡδοναῖς, Eurip. Bacch. 864. — *nunc solantis* minuentis, levantis *gravem* molestum sibi *aestum* nimium solis calorem *fluvio*, h. nunc aquis innando, refrigerium quaerendo. *Solari* eodem exquisito sensu adhibuit Claudian. XVII. 196. *Ille vel Aethiopum pluviis solubitur aestus*, ut alios taceam. v. Heyn. ad Virg. Aen. I. 239. — nunc *praegestit ludere*, oblectat se discurrendo, vagando, exultando cum vitulis. est gr. παίζειν. cf. III. 11. 10. et 18. 9. — *udo*, aquis irrigato, quod rivus praeterfluit, apposito epitheto. Nam salices irrigua loca amant.

v. 9

Praegestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvae: iam tibi lividos
Distinguet Auctumnus racemos
Purpureo varius colore.

Iam

v. 9 — 12. Expecta, dum puella ad nubilem aetatem perveniat, dum adultior facta sit. Nova hanc sententiam, rei variandae caussa, eaque, ex nostro quidem sensu, illa altera multo iucundiore allegoria, ab uvis desumta, expressit doctus poeta. — Ne appetas, noli decerpere uvam *immitem*, immaturam adhuc, acerbam, ὠμὴν ὄμφακα. Simillime Eustath. de Ismin. et Ismenes Amorr. L. V. p. 182. ed. Gaulm. μὴ τὸ ῥόδον τρυγήσῃς πρὸ τοῦ προκύψαι τῆς κάλυκος, μὴ τὴν σταφυλὴν ὀμφακίζουσαν· μήπως ἀντὶ νέκταρος ὄξος ἐκθλίψῃς ἐξ ὄμφακος: et paucis interiectis, σὺ τὴν σταφυλὴν τρυγήσεις, ἀλλ' ὅταν ἴδῃς τὸν βότρυν περκάσαντα. Iam Philodemus XV. (Anal. Br. II. 86.) eadem suavitate: οὔπω σοὶ καλύκων γυμνὸν θέρος, οὐδὲ μελαίνει βότρυς ὁ παρθενίους πρωτοβολῶν χάριτας. Sic Aeschyl. E. ε. Θ. 335. νόμιμα ὠμοδρόπα sunt *nuptiae puellae admodum tenerae*. Scilicet comparatur illa aetatis ἀκμὴ, quae amori aptissima est, maturis cuiuscunque generis fructibus, dicta inde simpliciter ὀπώρα. Quo exquisito sensu haud dubie accipienda illa Chaeremonis apud Athen. XIII. 9. p. 608. πολλὴν ὀπώραν Κύπριδος εἰσορᾷν παρῆν ἀκράσι περκάζουσαν οἰνανθαῖς χρόνου. Epigr. ἀδεσπ. LX. (Anal. Br. III. 162.) οὐ γὰρ ἔγωγε, ἔκκαιρον μήλων ἐκδέχομαι ῥυτίδα· ἀλλ' αἰεὶ πεπόθηκα συνακμάζουσαν ὀπώρην. Eodem spectat splendidissimus Pindari locus Nem. VIII. 1. et V. 11. adde Isthm. II. 8. Dictae inde puellae nubiles πέπειροι, veluti Aristoph. Eccles. 891. πέπειροι καὶ ὀργῶσαι (ut *annos tumentes*, et *virginitatem tumidam* dixit Stat. Ach. I. 292. Theb. II. 204.) παρθένοι Plut. Num. p. 309. Reisk. adde Stratonis c. VIII. (A. Br. II. 361.) immaturae contra, ὄμφακες. Onestus c. I. (A. Br. II. 289.) εἴη μήτ' ὄμφαξ, μήτ' ἀσταφὶς (uva passa, ut *passi senes* Lucilio dicuntur) ἥδε πέπειρος ἐς Κύπριδος θαλάμους ὥρια καλλοσύνῃ, et inter ἀδεσπ. c. LXIX. (A. Br. III. 164.) ὄμφαξ οὐκ ἐπένευσας, ὅτ' ἦς σταφυλὴ, παρεπέμψω. Hinc venustae Tibulli querelae de morte sibi iuveni instante III, 5. 19. *Quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis, et modo nata mala vellere poma manu.* quae plane conveniunt cum epigr.

Iam te ſequetur: currit enim ferox
Aetas, et illi, quos tibi demſerit,

Ad-

epigr. gr. quod exhibet Capyz. Ex iſtis vero loquendi formis, ut in viam revertar, enatae reliquae locutiones, ἥβας καρπὸν ἀποδρέπειν, et ſim. de amoris fructu. Caeterum ex his a me allatis ſatis patere arbitror, Noſtrum in adumbrando hoc loco colores e graeco aliquo poeta deſumſiſſe. — Brevi adoleſcet, matura erit viro puella. *Auctumnus varius*, docte, qui variat uvam, dum eius tempore nigreſcit, περκάζει. *Variari* proprio voc. *uva* dicitur, quae *variis racemis ducit purpureum, nondum matura, colorem*, ut Ovid. Met. III. 485. eloquitur. αἰόλλειν pariter adhibuit Heſiod. Scut. 399. ὅτ' ὄμφακες αἰόλλονται. Propert. IV. 2. 13. *Prima mihi variat liventibus uva racemis* Cato R. R. LXXIII. *Vbi uvae variae coeperint fieri*, caet. Niſi abſolute accipere praeſtat, qui mutat colorem fructuum, flavo inducto; quo ſenſu ὀπώρα κηρινὴ occurrit in Alcmanis fragmento apud Athen. XIV. p. 648. Poteſt vero etiam iungi, *varius diſtinguet:* quod docte et ornate dictum foret pro ſimplici, variabit, diſtinguet, mutabit, inficiet *colore purpureo*, adeoque ad maturitatem perducet *racemos lividos*, iam nigreſcentes. Plenius Sil. VII. 208. *liventes ſole racemos* dixit. Innuit vero poeta annos puellae pubertati proximos.

v. 13. Tum Lalage amplexus tuos, quos iam aſpernatur, ultro expetet. Orationem ad priorem allegoriam iterum inflexit poeta, maxime v. 16. — *te*, quem nunc fugit, *ſequetur*, expetet. cf. Virg. Ecl. II. 65. — *aetas currit*, noto phantasmate. Idem idearum nexus in Alcaei Meſſ. 1. (Anal. Br. I. 480.) θελήσει ὕστερον· ἡ δ' Ὥρη λαμπάδ' ἔχουσα τρέχει. *Currit mortalibus aevum*, Sil. XV. 63. v. ad II. 16. 1. Cic. Tuſc. I. 31. *Veniet tempus, et quidem celeriter; volat enim aetas.* Aetatis curſum indefeſſum, concitatum praeclare depingit epith. *ferox*, quae inhiberi nequit, equi ferocis inſtar. Eadem comparatio eſt in Theognideis vv. 963, 4. Αἶψα γὰρ, ὥστε νόημα, παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη (*transiit aetas quam cito!* Tib. I. 4. 27.) οὐδ' ἵππων ὁρμὴ γίγνεται ὠκυτέρη. Ovid. Faſt. VI. 772. *fugiunt* freno non remorante *dies*. Haec forte ſimplicior fuerit ratio. Neque tamen ſpreverim illam alteram, qua *aetati* tribuantur, quae in *puellam* proprie cadant. Eſſet adeo *aetas ferox*, puellae adhuc ferocis viros fugientis, uti fere *Pholoe fugax* v. 17. Tum vero aetas nimis ſtricto ſenſu (np. de

ſe-

Adponet annos: iam proterva
Fronte petet Lalage maritum

Di-

ſolius Lalages aetate) positum eſſet, quem omnino latiſſimum volunt ſeqq. — Aetas *apponet* addet, adiiciet, tribuet *illi annos*, h. puella eos aetatis annos attinget, *quos tibi demſerit*, quos tibi demi, ſubtrahi, decedere animadvertes, h. puella ad id aetatis perveniet, in quo anni nulla amplius incrementa capiunt, adeoque ad ſummum pubertatis florem, ἐπ' ἄκρον ἥβης. Graece planiſſime ita vertas: ἡ κόρη ἀκμάσει, σοῦ παρακμάζοντος, accedet illa ad aetatis ἀκμὴν, quantum tu ab ea receſſeris. Scilicet e poetica ratione aetas humana annorum incrementa capere, annis eo usque creſcere dicitur, donec ad ſummum vigorem pervenerit. Ita *creſcentes annos* h. pubeſcentes dixit Ovid. Met. X. 24. Vbi vero aetas maxima incrementa nacta eſt, tum illa ἥβης μέτρον, (v. c. Hom. Il. λ. 225. Heſiod. Ἔργ. 131.) ἐπ' ἄκρον ἥβης ἱκέσθαι dicitur. Inſcript. apud Fabrett. p. 287. et Gor. Inſcriptt. T. I. p. 421. ὃν ἀφείλετο Μοῖρα κραταιὴ, πρὶν γλυκεροῦ βιότου ἐς ἡλικίης τέλος ἐλθεῖν. Simonid. CII. 2. (Anal. Br. I. 145.) ἐνθάδε Πυθώνακτα — κεκεύθει γαῖ' ἐρατῆς ἥβης πρὶν τέλος ἄκρον ἰδεῖν. Quo etiam ſenſu *plenos annos* dixit Virg. Aen. VII. 53. Hinc in altero vitae ſpatio, quod ad ſenium vergit, cum aetatis vigore et ipſi anni deficere, nobis decedere, adeoque, vi oppoſitionis, adimi dicuntur. In utraque hac loquendi ratione facile intelligitur, ad annos transferri, quae proprie hominis ſint, illos agentis. Atque hoc equidem modo poetae mentem ſatis probabiliter mihi aperuiſſe videor. Cui tamen, neſcio an praeferendus ſit alter hic multo ſimplicior, quo anni, quos vixerimus, de admenſo nobis vitae ſpatio decedere, adeoque nobis demi: ii contra, qui nobis ad vivendum ſuperſunt, dari, transactis adiici, adponi recte dici poſſunt. Atque ita ſere Seneca Conſol. ad Marc. XX. *Illi ipſi, qui adiiciebantur adoleſcentiae anni, vitae detrahebantur.* Eſſet adeo: Puella brevi illud vitae ſpatium attinget, quod tibi ſubtractum eſt, quod emenſus es, adeoque brevi adoleſcet in tam cito aetatis iuvenilis decurſu; quandoquidem *optima quaeque dies miſeris mortalibus aevi prima fugit*, iuxta Virg. Ge. III. 66. Caeterum alienum prorſus, et cum poetae verbis vix conciliandum illud poetarum videtur phantaſma, quo vegetae aetatis anni *venire*, provectioris contra, *recedere* dicuntur: quod tamen certatim ab intpp. illuſtrando huic

BIBLIOTHECA BODLEIANA OXFORD

Dilecta, quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris, albo ſic humero nitens
Vt pura nocturno renidet
Luna mari, Gnidiusve Gyges;

Quem

huic loco admoveri videas. Vide de eo notata ad II. 11. 5. — tum amari ſe a te patietur. Pro hoc, colore iterum a iuvencis ducto, *proterva fronte*, petulantia, laſcivis motibus *petet*, ad amorem ſollicitabit *maritum*, iuvencum, honeſta voce, ut paſſim: ipſa adeo iuvenes ſectabitur, amatores conquiret. — 17. *ſqq.* Lalage tunc *dilecta* erit, expetetur, magis a iuvenibus amabitur, quam nunc Pholoë, Chloris, Gyges expetuntur, h. adultior facta mira formae pulchritudine exſplendeſcet; ſententia per conſequens expoſita. Nam ſummae tantum pulchritudinis, quae omnium in ſe convertit oculos, notionem dare voluiſſe poetam, in promtu eſt intelligere. Vide vel I. 4. 19. 20. Iunge autem: *maritum petet dilecta, quantum* caet. quod paullo durius dictum videtur, pro, petet, diligetur-que, amabit, vicriſſimque amabitur; plures amatores habebit, quam nunc Pholoe caet. Poſſis etiam hunc verborum ordinem tenere: Lalage dilecta, amata tibi *petet maritum* f. maritos, amatores ſectabitur, *quantum non* caet. aptiſſimo quidem ſententiarum progreſſu; in quo tamen epith. *dilecta* admodum frigidum, et *fugax* e poetae mente alieniſſimum videtur; tum magis exſpectes, Gygen ab omnibus amatum dici, quam omnium amores venari. Reſtat denique tertia haec ratio: Lalage dilecta a te magis, quam Pholoe, Chloris, Gyges: quae parum probabilis videtur. — *Pholoe fugax*, ſuperbe amatores tractans, aſpera. Arrogantiam eius notat ſupra I. 33. 6. — 18. *nitens*, reſplendens, inſignis *albo* candido *humero*, candidos humeros habens, et hoc omnino pro, candida, pulchra; parte tantum pulchritudinis, quae veteribus magis oſtenderetur, quaeque in Chloride forte ſpecioſiſſima eſſet, pro univerſa poſita. — 19. *Vt luna pura*, puro caelo, facie eius nulla nube obſcurata *renidet* reſplendet, refulget in mari nocturno, noctu; doctiore ſtructura, pro, ut mare, maris ſuperficies noctu lunae radiis colluſtrata renidet, coruſcat; atque in hoc comparationis vis quaerenda, non ſimpliciter in lunae ſplendore. Quocum etſi tralatitio poetarum more puellarum candor comparetur

(can-

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites

Dis-

(*candor erat, qualem praefert Latonia Phoebe*, Tibull. III. 4. 29. et sic centies) hoc tamen loco reliqua nimis otiose adiecta videri possent. Iam vero mari tranquillo per se splendoris notio quum a poetis tribuatur (sic ἅλα μαρμαρέην dixit Hom. Il. ξ. 273. γαλήνην λιπαρὴν Theocr. κβ. 21.) illudque cum venusta explicataeque frontis puella in comparationem vocetur; (v. ad I. 5. 13.) praeclare rei auxit imaginem poeta, dum candidos puellae humeros (hoc enim ποιητικώτερον videtur, quam si omnino puellam, quod fere volunt, intelligas. Sic duorum adolescentum pectora Theocr. II. 79. dicuntur στίλβοντα πολὺ πλέον, ἢ τύ, Σελάνα, et sic sexcenties) maris splendori, lunae radiis aucto, aequiparat. Valer. Flacc. III. 558. *Stagna vaga sic luce micant, ubi Cynthia caelo prospicit, aut medii transit rota candida Phoebi.* Pervulgato vero loquendi more *renidere, ridere* dicuntur res, loca, quae laetam ostendunt faciem, quae vel suo vel mutuato nitore splendent. Res passim a VV. DD. observata. — 20. Quantum nec *Gyges* a Gnido Cariae oriundus, in deliciis habetur, quot nec Gyges amatores habet. Hactenus equidem non assequor, quo iure praeter rem ipsam, quam tangit poeta, quidquam in hac sententia displicere possit. Lalagen enim amatorum numero, neutiquam vero pulchritudine (quod nonnulli perperam statuunt) Gyge superiorem fore ait Horatius. Delicatum eum istius aetatis fuisse puerum, ambitioseque expetitum, vel hic locus satis diserte ostendit. Eundem Ovidio, cuius tamen locus hodie non extat, celebratum fuisse tradit Schol. Cruq. — 21-24. Gyges ille θηλυπρεπής. Nimiam luxuriem poetae in exornanda hac pulchritudinis notione, omninoque totius conversionis inde a v. 17. sententiam nimis amplificatam facile animadvertas. — Si *insereres* immisceres eum *choro*, turbae, multitudini puellarum, si inter plures puellas puellari habitu versaretur, *discrimen* sexus *obscurum*, admodum tenue, obscuratum *crinibus solutis*, per crines, quos solutos gerit, *et vultu ambiguo* de quo ambiguum est, utrum pueri sit, an puellae, os puellare *falleret*, lateret, non deprehenderetur, non animadverterent *hospites*, homines, quibus plane ignotus esset, *mire sagaces* (ita iungere malim, quam *mire falleret*) etsi sagacissimi,

Discrimen obſcurum ſolutis
Crinibus ambiguoque vultu.

ſimi, etſi, ubi ipſis dixeris, puerum inter puellas verſari, eius reperiundi omnem dent operam, quantumvis curioſe oculos circumferant. Ita plane Hermaphroditum deſcribit Lucian. D. D. XXIII. ὁ δὲ θῆλυς, καὶ ἡμίανδρος, καὶ ἀμφίβολος τὴν ὄψιν· οὐκ ἂν διακρίναις, εἴτ' ἄρρηβος ἐστὶν, εἴτε καὶ παρθένος. E Noſtro profecit Stat. Achill. I. 332. de Achille, cultu muliebri a matre ornato: *ſupereſt nam plurimus illi invicta virtute decor; fallitque tuentes ambiguus, tenuique latens discrimine ſexus.* Caeterum comam alendi promittendique morem delicatulis iſtis proprium paſſim tangit Horatius. v. III. 20. 14. IV. 10. 3. V. 11. 28. Appoſite ad h. l. Iuven. XV. 137 *cuius manantia fletu ora puellares faciunt incerta capilli.*

CAR-

CARMEN VI.

ARGVMENTVM.

Amicitiae integerrimae, coloribus poeticis adumbratae, testificatio, qua carmen orditur Horatius, fraudi fuit vet. quibusdam et recentioribus interpretibus, ut consilium totius carminis perverterent, invitatumque a T. Septimio Nostrum ad comitandum secum Augustum, adversus Cantabros bellum molientem, satis audacter pronuntiarent, annum adeo huius carminis V. c. DCCXXVII. natalem statuentes. Sed indoctam hanc illorum rationem explosere dudum Massonus vit. Hor. p. 306. Sanad. et alii. Probabilior aliorum, ante a. DCCXXXIV. hoc carmen propter v. 2. ponentium, videtur coniectura, etsi nec haec omni dubio careat, quod Cantabri in fide pop. Romani nunquam permanserint. Est vero hoc carmen ad T. Septimium, equitem Romanum, Augusto carissimum, eundemque Nostro inde a veteri commilitio coniunctissimum, cuius haud fucatae amicitiae ipsum h. c. testem tenemus locupletissimum. Descriptio eius satis expedita. In votis habet poeta, ut sibi in Septimii suavissimo consortio et quidem in amoeno ruris secessu, quod reliquum sit vitae, degere liceat. Iam e regionibus, quae dulcedine sua mitique caeli temperie eum ad sese invitent, primo loco memorat Tiburtinam, quam et alibi (I. 7. 13.) sibi prae omnibus Italiae lo-

eis placere significat, et in qua villam habebat; altero autem, agrum Tarentinum, cuius laudes uberius pertractat, et in quo itidem Septimium villam habuisse ex hoc c. admodum probabile est. Exsplendescit h. c. naturali quadam nec longe quaesita pulchritudine, imaginum varietate admirabili, mollissimoque sensu, qui per totum carmen regnat, ipsi adflati videntur numeri.

AD

AD SEPTIMIVM.

Septimi, Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Aestuat unda:
Tibur,

v. 1—4. *Aditure mecum*, qui me comitaturus esses si mihi remotissimae vel periculosissimae terrarum plagae adeundae forent, h. qui spectatissimae in amore es fidei, quocum summa mihi intercedit amicitiae coniunctionisque necessitudo. Ita enim, sollenni ac fere proverbiali more, tenerrimi amoris affectum testificari solent poetae. - Praeiverat Catull. XI. 1—14. quo tamen multo castigatior Noster. Cf. V. 1, 11. Propert. I. 6. 3. 44. Ovid. Am. II. 16. 19. Martial. X. 20. 7. Stat. Silv. V. 1. 127. Iam pro ultimis terrarum locis docte speciali notione sunt *Gades*, extrema versus occidentem insula, v. ad II. 2. 11. Pro ferissima regione cum dilectu est *Cantabria*, cuius incolae ferocissimi, ac bellicosissimi, quibuscum Romani gravia bella gesserunt. Perdomiti tandem ab Agrippa a. V. 734. v. Dio LIV. 11. — *indoctum ferre* ἀδίδακτον φέρειν, qui assuefieri nequit iugo ferendo, qui detrectat imperii nostri iugum, qui perdomari nequit. Cantabri enim ab Augusto a. V. 729. et iterum 730. victi in fide non permanserant, sed *pertinaci in rebellando erant animo* (Flor. IV. 12.) Atque hoc quidem declarare voluit poeta h. l. Male igitur alii simpliciter invictum explicant. Caeterum simili colore Flor. IV. 12. init. *necdum assuetae frenis servitutis tumidae gentium inflataeque cervices ab imposito nuper iugo resiliebant.* Similiter Iustin. XLIV. 5. de iisdem: *Nec prius iugum Hispani accipere potuerunt, quam Caesar Augustus, perdomito orbe, victricia ad eos arma transtulit, populumque barbarum ac ferum* (puta Cantabros) *legibus ad cultiorem vitae usum traductum in formam provinciae redegit.* — 5. Tu sustineres mecum adire navibus *Syrtes*, eam Africae oram, cui Syrtes praetentae sunt, adeoque periculosissimam navigationem non recusares. Facile in hanc sententiam ducunt adposita, *ubi unda Maura aestuat*, ad

Tibur, Argeo positum colono,
Sit meae sedes utinam senectae;
Sit modus lasso maris et viarum
Militiaeque.

Vnde

quae vada continuo fluctus adliduntur, ubi mare est acerrimum; ad augendam periculi magnitudinem. Atque ita plane in eadem amoris testificatione Ovid. Am. II. 16. 23. *Cum domina Libycas ausim perrumpere Syrtes*, nam adiicit: *et dare non aequis vela ferendâ Notis.* Vel sic tamen puto intelligi debere ipsam Africae oram, deserta Libyae, ob vastas solitudines, solis fervorem, ferarumque incursus vix adeunda. Tum constanter extremam Africam per Syrtes Noster designat. v. I. 22. 5. II. 20. 15. ut alios taceam. Nullam adeo vim habent, solique ornatui data existimanda sunt illa, *ubi Maura* caet. pro vulgari, Syrtes Libycas, ut *Gaetulas S.* II. 20. 15. imitatione manifesto ad illa Catulli XI. 24. *Sive in extremos penetrabit Indos, litus ut longe resonante Eoa tunditur unda*, directa. In hanc sententiam Claudian. in Ruf. II. 242. *Te vel ad incensas Libyae comitabor arenas.* — *barbaras* accolarum feritatem declarat.

v. 5 — 8. Vtinam in Tiburtina regione extremam aetatem degere liceat! Ornate pro hoc, utinam Tibur *meae senectae*, mihi, seni facto, *sedes*, locus requietis *sit*, aliquando contingat, utinam Tibure sedem figere, in senectute ibi requiescere liceat. Tiburis laudes habes I. 7. 12. *Positum*, fundatum, conditum (ut Virgil. Aen. III. 8. IV. 212. et saepius) erat *colono* a colono *Argeo*, Ἀργείῳ, Argivo, a colonis Argivis, a Tiburno, Catillo, et Cora, fratribus, eo deductis. Vide ad I. 18. 2. E Nostro colorem duxit Martial. IV. 57. 3. *Tu colis Argivi regnum, Faustine, coloni*, h. Tibure commoraris. *Mea senecta*, ut Tibull. III. 3. 8. *Inque tuo caderet nostra senecta sinu. Mea actas* Propert. II. 14. 7. *Sedes* exquisite de recessu, in quo otiamur, desidemus post longos errores, diuturnasque iactationes; ubi perpetuo commorari, in quo adeo *senium componere* (Stat. Silv. III. 6. 13.) constituimus ut h. l. — 7. 8. Pedestris ratio ita iungebat: Sit sedes mihi, laboribus fesso, post tot exantlatos labores, militiae aerumnis confecto. Pro hoc disiuncte, ac nova sententia: Tibur sit *modus*, finis, (ut Serm. I. 5. 104. *Brundusium longae finis chartaeque*

Vnde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi

Flu-

que viaeque) terminus mihi *lasso maris*, graeca structura, pro lasso mari, itineribus maritimis *et viarum*, ac terrestribus, *militiaeque*, per militiam factis, (perspicuitatis caussa hoc adiectum; nam peregrinationes istae nullae aliae sunt, quam ipsa haec militia) defatigato, *peregrino labore fesso*; (ut Catull. XXXI. 8. 9.) sententia adeo plane eadem: respirare aliquando liceat a militiae laboribus in Tiburtino secessu, Tibur perfugium ac portus sit, in quo ex longa militia requiescam. Male alii iungunt, *sit modus maris* caet. Docte vero militia laboriosa molestiis plena, declaratur per longinqua itinera terra marique eius causa facta. Ita Tibull. I. 1. 26. *Nec semper longae deditus esse viae*; et v. 52. *Quam fleat ob nostras ulla puella vias.* Id. II. 6. 3. *Et seu longa virum terrae via seu vaga ducent aequora, cum telis ad latus ire voles.* Indocte igitur faciunt, qui haec itinera a militia disiungunt, diversaque statuunt. Tum, quomodo peregrinationes, animi caussa ac sponte susceptae taedii plenae possint appellari, non satis intelligo. Caeterum *mare* ac *vias* de itinere maritimo et pedestri pariter dixit Epp. I. 11. 6. Respicit vero poeta militiam suam sub Bruto, (de qua v. c. seq. init.) sibi, homini molli ac *solibus apto*, (Epp. I. 20. 24.) satis gravem, qua adeo otium ac tranquillam senectutem sibi promeritus videbatur. Frustra alii, prava interpretatione v. 7. inducti, alias insuper, quas perpessus sit, poeta, innui volunt vitae molestias; cumque nullae succurrant, futuras quoque eum complexum miro acumine fingunt.

v. 9 — 12. Vel in agro Tarentino. *Vnde*, a quo np. Tibure *si Parcae* me *prohibent*, arcent, non sinunt, me ibi in senectute degere: hinc *iniquae*, adversae. Quod si hoc per fata non licet, utinam agrum Tarentinum saltem concedant, senectutis meae sedem esse velint. Pro hoc, variata oratione, *petam* aliquando, senex factus, regionem Tarentinam. Docte eam designat a fluvio, illam praeterfluente, et, qui eam aliquando tenuit, Phalantho: tum uberius in laudes terrae istius digreditur. — 10. *Galaesus*, Calabriae fluvius (Martial. VIII. 28. 4.) in agrum Tarentinum influens ipsum Tarentum alluebat: cuius ab utraque ripa amoenissima ac fertilissima rura erant. *Vmbrosi pineta Galaesi* laudat Propert. II. 25. 67. *vineta Galaesi*

Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalantho.

Ille

laesi Stat. Silv. II. 2. 111. cf. Virg. Ge. IV. 126. — *dulce ovibus*, quod *frigus amabile* iis *praebet*, ut de Digentia III. 13. 10. tum propter herbarum ad eius ripas nascentium ovibusque gratarum ubertatem. *Arva amica pecori* similiter Avien. D. O. 1095. Martial. l. l. *tibi floruit herba Phalanthi, qua saturat Calabris culta Galaesus aquis.* Atque hanc quidem rationem tenere praestat, quam cum quibusdam ad fluvii lanae ovium inde bibentium candorem augentis virtutem referre. In animo eam habuisse videtur Martial. XII. 63. 3. *Albi quae superas oves Galaesi*, et Claudian. de VI. Cons. Hon. 506. *Clitumni — undas candida quae Latiis praebent armenta triumphis.* — Oves *pellitae*, pellibus tectae, simpliciter *tectae* appellatae Plinio VIII. 72. Colum. VII. 2. et aliis. Solebant vero oves, maxime Tarentinae, operiri pellibus, ne lana, quae pretiosissima esset (Colum. l. l. *Generis eximii Milesias, Calabras, Appulasque nostri existimabant, earumque optimus Tarentinas*) aëris iniuria corrumperetur (Varro R. R. II. 2. *similiter faciendum in ovibus pellitis, quae propter lanae bonitatem, ut sunt Tarentinae et Atticae, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit, vel lavari ac parari*) aut rubis spinisque obnoxia esset; qua de caussa in *liberos maxime campos, et omni surculo ruboque vacante ovem Graecam* pastum agebant, *ne et lana carperetur et tegumen*, quod et ipsum pretiosum erat, ex Arabia quippe petitum. Plin. l. l. *Operimenta ei ex Arabicis praecipua.* Tum *ex omnibus Tarentinum genus ovium erat mollissimum, frigorisque impatiens*, Colum. VII. 4. Nostris temporibus lanae culturam reducto hoc veteri more promovere studuit Daubenton successu satis prospero — 11. *rura regnata Phalantho*, possessa a Phalantho, quae aliquando tenuit Phal., nota poetarum ratione, populum ab antiquo aliquo eius rege designandi. v. III. 29. 27. Stat. Theb. I. 335. eadem orationis forma: *Scyllaeque rura purpureo regnata seni*, h. Niso. Phalanthum vero memorat poeta, cum dilectu; nam is erat alter Tarenti conditor. Hoc enim duce Partheniae (ita enim per contumeliam ii Spartanorum dicti, qui e promiscuo omnium feminarum concubitu nati essent) metu inopiae, et ob notam materni pudoris domo profecti, tandemque in Italiam delati, occupata arce Tarentinorum, expugnatisque veteribus incolis sedem ibi constituerant. Iustin.

III.

Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro.

Ver

III. 4. Strabo VI. p. 426. Hinc *Galaesus Lacedaemonius* Martial. II. 43. 3. *Phalanthinus*, V. 37, 2. *Therapnaeus*, Stat. Silv. II. 2. 111. *Tarentum Phalantheum* Sil. X. 16.

v. 13. sqq. Ista mihi regio prae omnibus (excepto Tibure) cum ob soli bonitatem, tum ob mitem aëris temperiem arridet. Docte et ornate haec per partes declaravit poeta. *Ridet*, arridet *mihi*, capit me laeta ac grata sua specie, tenet me, placet mihi ille *angulus terrarum*, terrae (ita iunge) recessus, ubi tranquille et in otio, quae amat senectus, vivere licet, *praeter omnes angulos* t. prae omnibus terrarum locis, ubi desidere volupe est. Augeri sic magisque repraesentari Tarentinae regionis gratiam ac venustatem, quam si simpliciter *praeter omnes terras* intelligas, facile perspicitur. Ad rem Epp. I. 7. 44. *mihi iam non regia Roma, sed vacuum Tibur placet aut imbelle Tarentum.* Angulum terrae Neapolitanae similiter designat Stat. Silv. IV. 8. 6. per *secretam Neapolin*; istis enim *pax secura locis, et desidis otia vitae, et nunquam turbata quies somnique peracti*, ut de eadem regione Silv. III. 5. 85. estque forte ex imitatione Lucan. V. 376. *Antiquusque Taras, secretaque litora Leucae.* Nisi ibi *secreta* soli debetur ornatui poetico. En versum: *Nec solum festas secreta Neapolis aras ambiat; et socii portus* caet. hoc sensu: Neo Neapolis solum secreta ab aliis, h. non sola sacrum paret, sed et portus caet. in societatem sacri huius veniant. Depravavit locum Markl., corrigendo, *laetata* Neapolis. — 14. Cuius mel praestantissimum habetur, est. Mel Tarentinum *non decedit Hymetto*, h. melli Hymettio, Attico, suaviter pro, eiusdem est notae, bonitatis, non inferiore habendum est loco. *Decedimus* enim, *assurgimus* iis, qui nobis honore, dignitate, meritis superiores sunt. Simillime Virg. Ge. II. 97. *Aminaeae vites, firmissima vina; Tmolus et adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus.* v. Markl. ad Stat. Silv. I. 2. 150. Hymetti vero, montis Atticae, mel laudatissimum. Sil. XIV. 199. *nectareis vocat ad certamen Hymetton audax Hybla favis.* De melle Tarentino v. Varro apud Macrob. Sat. II. 12. cf. III. 16. 33. — *viridique certat* caet. Vbi

Ver ubi longum tepidasque praebet
Iupiter brumas: et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.

Ille

oleum optimum provenit. Hoc iterum per comparationem extulit. *Bacca* olivae Tarentinae *certat*, de principatu contendit (ut in Silii loco modo laud. Stat. Silv. II. 7. 28. *Quae Tritonide fertiles Athenas unctis, Baetica*, provocas *trapetis.*) *Venafro* cum Venafro, graeca structura, et hoc pro Venafrana bacca; oleum Tarentinum non cedit Venafrano. Palmam huic defert, ac praecipuam gloriam tribuit parti eius, Liciniae dictae, Plin. XV. 3. cf. Serm. II, 4. 69. Colum. V. 8. Martial. XIII. 101. — *viridi*, olivetis consito; apposito epitheto.

v. 17. Vbi per totum annum mitis est aëris temperies. Apte ea declaratur per *ver longum*, quod statim *bruma tepida*, hiems remissior excipit. Stat. Silv. III. 5. 83. *Quas et mollis hiems, et frigida temperat aestas.* Noster Epp. I. 10. 15. *Est ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis.* Iovi hoc temperamentum tribuitur; nam is *variis Horis mundum temperat* I. 12. 13. Vide omnino V. 16. 53. sqq. et cf. ad II. 10. 15. — *et amicus Aulon* caet. h. vinique optimi ferax. *Aulonis* nomine haud dubie tractus (depressior, αὐλὼν) regionis Tarentinae, in quo vinum nobilissimum nascebatur, a poeta designatur. Laudant Martial. XIII. 125. *Nobilis et lanis et felix vitibus Aulon det pretiosa tibi vellera, vina mihi. Amicus Baccho*, quem amat Bacchus, vini feracissimus. Sil. XII. 526. *Allifanus Iaccho haud inamatus ager.* Stat. Silv. III. 5. 107. *Caraque non molli iuga Surrentina Lyaeo.* Martial. IV. 43. 3. *Haec iuga, quam Nysae colles, plus Bacchus amavit.* et XII. 99. 3. *Baetis — quem Bromius, quem Pallas amat.* De arvis pomosis idem I. 50. 8. *dulce Botrodi nemus, Pomona quod felix amat.* — *fertili*, qui Aulona vitibus, uvis fertilem reddit, ut *palma nobilis* I. 1. 5. quae nobilem reddit, Diana *prospera frugum* IV. 6. 39. et similia alia. Est adeo *Bacchus fertilis*, πολυστάφυλος (Hom. H. in eundem 11.) φερεστάφυλος (Oppian. Cyneg. III. 59.) εὐάμπελος, εὔκαρπος, πολυγηθὲα καρπὸν ἀέξων, quae Orphica

Ille te mecum locus et beatae
Poſtulant arces: ibi tu calentem

De-

Orphica ſunt Bacchi epitheta. v. Obſſ. — *minimum*, non *invidet Aulon*, Aulonis uvae non invident *uvis Falernis*, agri Falerni, vinum Tarentinum Falerno haud deterius eſt, eiusdem eſt notae. Nam invidemus praeſtantiori. Simili acumine Stat. Silv. I. 2. 150. *rupesque nitent, quis purpura cedit Oebalis, et Tyrii moderator livet aheni.* Idem totum hunc locum expreſſit Silv. II. 2. 4. *Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos uritur, et praelis non invidet uva Falernis.* Iam obſerva exquiſitam poetae copiam in varianda phraſi: alteri parem eſſe, alterum exaequare, per *non decedere, certare, non invidere.*

v. 21 — 24. Ibi ego tecum lubentiſſime verſarer, viverem. *Ille locus*, illa convallis (Aulon) *beata* (ad utrumque enim refer) amoena ac ferax, *et arces τὰ ἄκρα*, editiora loca, colles *beati;* quod utrumque ſignificantius et copia poetica pro univerſa regione Tarentina ponitur. *Turres arcis Oebaliae* vocat quidem *Tarentum* Virg. Ge. IV. 125. quod tamen quo minus h. l. intelligam, vetat vel oppoſ. *locus*, Aulon. — *te mecum*, me tecum, me et te *poſtulant*, vocant, invitant ad ſe; ſed fortius alterum: cogunt nos illecebris ſuis ad ſe ſecedere. Satis vero frequentata poetis ratione *invitare*, *vocare* nos regio dicitur, quae gratum nobis hoſpitium praebet, in quam lubentes ſecedimus. — *Ibi* ego ſenium componam, moriar: Pro hoc per conſequens poeta: iſta terra tegi, condi aliquando velim: et pro hoc cum tenerrimi amoris adfectu: ibi tu mihi iuſta perſolves. Generale hoc ſpeciali notione repraeſentatur a poeta, quae molliſſimo ſenſu animum perfundit: *Sparges*, conſperges, *lacrima* lacrimis *debitis*, iuſtis, quas mortuis debet humanitas, (fere ut *iuſto comploratu proſequi mortuos* Liv. XXV. 26. Sic et *iuſta facere*, *perſolvere* de ſepulturae officio) ὁ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων Hom. Il. ψ. 9. Orph. Arg. 546. λοιβὰς δοῦναι ἐπιχθονίοις, καὶ δάκρυα λειβέμεν ὄσσων, h. l. cum vi, quae amici defuncti gratia profundas, *favillam* meam, cineres meos; ſed alterum reſpicit ſollennem illum fletum, dum oſſa et cineres adhuc tepidi (quae eſt *favilla*) colligerentur (v. Tib. III. 2, 25.) in honorem mortui editum. Iam pro favillam *meam*

quanto

Debita ſparges lacrima favillam.
Vatis amici.

quanto ſignificantius, et *vatis* et *amici*: quo honorem iſtum facultate poetica ſe promeritum, amicitiaeque iure a Septimio ſibi debitum pulchre innuit. Ad ſenſum poetae Inſcr. apud Fabrett. p. 64. et Fleetw. p. 320. *Μίμνεο κ' ἐν ζωοῖς ἐμεῦθεν, καὶ πολλάκις τύμβῳ σπείσον ἀπὸ βλεφάρων δάκρυ ἀποιχόμενον.*

CAR-

CARMEN VII.

ARGVMENTVM.

Quum Horatius post Philippense proelium a. V. DCCXIII. Romam rediisset, Pompeius obfirmato animo in Brutianis partibus remansit, (v. v. 15.) annoque demum DCCXXV. pace inter triumviros et Sex. Pompeium facta, exulibus omnibus data redeundi impunitate, (v. Dio XLVIII. 36. et Vellei. II. 77.) Romam rediisse videtur. Itaque Horatius, recepto praeter omnem exspectationem amico vetere, quem revisurum se plane desperasset, exultat gaudio, festumque in eius honorem diem indicit. Reminiscitur autem simul, ut fert animi humani natura, pristinae coniunctionis, quaeque cum laeta tum maxime tristia, quorum iucundissima est memoria, communia habuerint tempora. Animatur totum carmen effreniori laetitiae adfectu; sententiae non tam exquisito ornatu quam vigore quodam, quo legentium animus perculsus abripitur, conspicuae. Comparetur omnino I. 36. et de Pompeio Grospho cf. II. 16. et Epp. I. 12. 23. cf. et Sanad.

AD

AD POMPEIVM.

O ſaepe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem
Dis patriis Italoque caelo,

Pompei, meorum prime ſodalium?
Cum quo morantem ſaepe diem mero
Fre-

v. 1. Qui ſaepe mecum *in ultimum tempus deductus* es, ſummum vitae periculum ſubiiſti, in extremum vitae discrimen adductus es, *Bruto militiae duce*, dum uterque ſub Bruto militaremus, Bruti partes ſequeremur. Forte nihil amplius poeta voluit, quam: qui mecum ſub infauſtis Bruti auſpiciis militaſti, commilito. *Tempus ultimum* eſt, ubi rerum noſtrarum tam miſera conditio eſt, ubi in tantum discrimen adducti ſumus, ut ſalutem ac vitam deſperemus. Ita *ſupremum tempus* dicitur Catullo LXIV. 151. *extremum tempus* ib. v. 169. uti *extrema tempora* Cic. ad Div. X. 12. init. Similiter vero *in extremum caſum deduci*, quod Noſter *in ult. tempus ded.*, dixit Hirt. B. Alex. 7. — 3. 4. Exclamatio ἥθους plena in deſideratiſſimi amici reditu necopinato! Similiter Catull. IX. 3. in Verannii reditu: *Veniſtine domum ad tuos penates, fratresque unanimos anumque matrem? veniſti.* — 3. *Quis te redonavit*, reddidit, reſtituit, ecquo felici fato redditus es *Diis patriis*, ſolo patrio, *Italoque caelo*, Italiae. *Deos*, *Penates*, *Lares patrios* reviſere, ſalutare, *aſpicere* (Serm. II. 5. 4.) et *linquere* (III. 27. 49. V. 16. 19.) ſollennia poetis de abitu et in patriam reditu. *Redonatur* Groſphus *patriae*, facta ei in patriam redeundi poteſtate, donatoque iterum pleno civitatis iure. Hinc cum virtute adiectum, te *Quiritem*, te plenum civis Romani ius iterum adeptum, ab exilio revocatum. Alii Quiritem, militia defunctum, explicant, ex ſollenni dimittendi exercitus formula: Quirites discedite. Minus apte in hoc nexu. *Caelum* ſaepius pro parte caeli: tum pro regione:

Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula;

Quum

ne ei subiecta. Forte tamen simplicissimum fuerit, reddi caelo Italo accipere pro: iterum sub caelo Italiae vivere. — 5. *prime sodalium*, quem sodalium omnium carissimum semper habui. Sodalium haec facta mentio, pristinaeque consuetudinis recordatio parant transitum ad sequentem vv. 6 — 8. sententiam, cuius vulgaris enuntiatio est: quocum saepe de die convivatus sum. — *frangere diem* solidum *mero*, partem de die gravibus ac seriis rebus destinato demere, demtamque compotationi dare; decurtare diei spatium, noctique illud adiicere; fit hoc compotatione tempestivius instituta. Vide ad I. 1. 20. — *morantem* qui tardius ire videbatur convivaturis; suaviter. — 7. 8. *coronatus capillos*, ἐστεμμένος, στεφανωθεὶς κρῶτα, θείρων, pro: gerens caput floribus redimitum, capillos serto ornatos, eosdemque *nitentes* λιπαροὺς (v. ad I. 4. 13.) unctos, perfusos *Malobathro*, unguento e malobathri folio. Vtriusque rei sollennis in lautioris convivii apparatu mentio. Vide vel vv. 22 — 25. *Malobathrum* frutex in Indicis paludibus nascens, e cuius folio pretiosissimum oleum exprimebatur ad unguentum, *foliatum* inde dictum Martial. XI. 28. Locus class. apud Plin. XII. 26. unde Syriam quoque Malobathrum arborem habuisse discimus; sed *Syrium* h. l. dicitur, quod omnino Indiae merces a mercatoribus Romanis e Syria adveherentur. Sic *merx Syra* I. 31. 12, *nardus Assyria* II. 11. 16. *Amomum Assyrium* Martial. VIII. 77. 3. *myrrha Orontea* Propert. I. 2. 3. etc.

v. 9 — 12. Tecum pugnae Philippensi interfui. Disertius adeo nunc exponit poeta atque exemplo illustrat illud *tempus ultimum* v. 1. Male igitur faciunt, qui haec ad proxime antecedentia referunt, hac sententiae progressione: quocum res secundas et adversas communes habui. Sed vv. 6 — 8. non spectant ad sententiam primariam, sed unice debentur v. 5. uti iam monitum. *Sensi*, graviter pro, expertus sum *Philippos*, fortunam pugnae ad Philippos, Macedoniae urbem, commissae; *et celerem fugam*, ubi

fuga

Quum fracta Virtus, et minaces
Turpe solum tetigere mento.

Sed

fuga nobis consulere necesse haberemus; perspicuitatis causa τῷ *sensi* haec adiecta putanda. Nam *sentire* detrimenti, cladis acceptae notionem adiunctam habet. Cf. IV. 4. 25. et IV. 6. 3. Ovid. Met. XV. 823. eadem vi: *Pharsalia sentiet illum*, de Augusto. In prosa simpliciter erat: tecum e pugna Philippensi aufugi. Fugae celeritatem ulterius declarat per *parmulam*, scutum *non bene relictum*, parum decore, turpiter abiectum, quo expeditior ea esset. — 11. 12. Quum fortissimi quique cecidissent, quum nulla prorsus rei bene gerendae spes superesset, ubi adeo pugna excedere minus ignominiosum esset. Nam in hunc unice finem apposita haec a poeta, quo excusatiorem fugam suam faceret. Perditis omnibus aufugit Horatius vel abiecto scuto ex ista pugna, ut meliori se tempori reservaret, ubi fortitudinem, quae nullum amplius rei momentum in ista pugna factura esset, patriae maiore cum fructu probare posset. Quum *Virtus*, animi ferocia pugnantium *fracta* contusa, perdomita repressa esset, h. quum ii, qui atrociter pugnassent, devicti essent, occubuissent, ut ipse statim explicative subiicit. Sil. VI. 14. eadem ratione: *Nec tamen adversis fuerat fracta Itala virtus.* Sic *fractas minas*, *fractam rabiem* dixit Claudian. XL. 28. et XXVI. 431. *fractos bello* Virgil. et alii. — *et minaces* caet. Eadem sententia magis perspicue tantum exposita. Quod quidem non aliter fieri poterat, nisi subiecto abstracto in proprium mutato. Ita non intelligo, quo iure id vitio poetae a quibusdam vertatur. — *minaces*, qui fortissime dimicaverant, Bruti et Cassii milites. *Minae*, *ira*, oris truculentia, sollenni more virtutem bellicam designant apud poetas. Sic *Hannibalis minae* IV. 8. 16. *minax Porsennae manus* V. 16. 4. Hinc *Minae* in comitatu Martis apud Stat. Theb. VII. 51. Forte tamen magis poeticum erit, si *minaces tetigere solum* accipias, procubuere, iacuere, truculentiam vultus in in ipsa morte servantes; qua imagine atrocitas pugnantium egregie repraesentatur. De Romanis in bello cum Pyrrho occisis Florus I. 18. *omnium in manibus enses, et relictae in vultibus minae, et in ipsa morte ira vivebat.* Quae tamen paullo durior h. l. ratio videtur. — *tetigere solum mento*, proni in terram procubuere, Homerica fere loquendi ratione. Hom. Il. β. 418. πρηνὲς ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν, et alibi. Vnde Latinis poetis *mordere humum*, *terram*

petere

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre:
Te rursus in bellum resorbens
Vnda fretis tulit aestuosis.

Ergo

petere ore et sim. pro cadere, occidi, frequentata. — solum *turpe*, turpatum, foedatum sanguine, cruentatum. Ita et Ouweus N. H. III. 3. p. 372. Alii per interiectionem *turpe!* accipiunt, in re minime turpi; ut reliquorum commenta taceam.

v. 13 — 16. Sed diversam uterque in fuga fortunam habuimus. Equidem feliciter ex isto belli naufragio enatavi, belloque deinceps abstinui, discessi inde: tu statim ei iterum implicitus es, in militia permansisti. Ita tene sententiarum ordinem. Omnes fere ita iungunt: In qua pugna fortissimi quique ceciderunt, ex ea equidem incolumis servatus sum. Male vel propter vv. 15. 16. Praeclare vero ac magnifice fugam suam adornavit poeta Homerica arte, qua heroes, in summum vitae discrimen adducti, nube a deo quopiam circumfusa tecti praelio incolumes excedunt; cuius rei exempla ubivis in Homero obvia. Mercurio id tribuit Horatius, nam in eius tutela poetae, *Mercuriales* ideo appellati II. 17. 29. ratione tamen vafritiae eius simul habita, cuius significandae caussa se Priami exemplo (I. 10. 13.) *per medios hostes* a Mercurio ductum ait. Ad hanc Mercurii versutiam respexit Alciphro III. 72. ἐγὼ δὲ, οἷον ποδῶν εἶχον, ᾠχόμην· καὶ σώζομαι οὐχ ὑπὸ τοῦ τῆς Ἀτλαντίδος Μαίας παιδὸς, ἀλλ' ὑπὸ τῶν ποδῶν καὶ τοῦ τολμήματος. *Merc. celer*, ὠκὺς (Ἑρμῆς ὠκὺς ἐγὼ κικλήσκομαι Xenocrates in Br. Anal. II. p. 59.) ὠκύπους (Eurip. Hel. 247.) πτηνὸς, apposito ad rem epitheto. *sustulit me denso aëre*, docta brevitate pro, sepsit, circumdedit me *denso aëre* ἠέρι πολλῇ, densa nube, sicque incolumem per hostes *sustulit*, abduxit, hostibus eripuit. *Paventem*, viribus diffisum, fugae intentum; suaviter hoc adiectum. — 15. 16. Tu fortunam belli iterum experiebaris, denuo te reliquis Bruti partibus adiungebas. Siciliam, quam Sex. Pompeius tum armis occupaverat, Grosphum petiisse, e Velleio II. 72. facile adsequaris; is enim diserte tradit, omnes, quos praesenti periculo fortuna subduxisset, e Brutianis castris ad Pompeium confluxisse. cf. et Dio XLVII. Iam istam sententiam commoda allegoria explicuit Horatius. Bellum, pugna sollenni more

Ergo obligatam redde Iovi dapem
Longaque fessum militia latus

De-

comparatur mari tempestuoso poetis: sic κῦμα μάχης Tyrtaeo et aliis. Iam Grosphum e pugna Philippensi vixdum elapsum, profugum novisque se statim periculis obiectantem comparat ei, qui fluctibus, unde vix emerserat, iterum corripitur, ab iisque, cum litori iam proximus esset, in altum reiicitur. Eadem imagine usus est Euripid. Heracl. 428. ἔοικεν ναυτιλοῖσιν, οἵτινες χειμῶνος ἐκφυγόντες ἄγριον μένος εἰς χεῖρα γῆ συνῆψαν (in manibus terrae Virg. Ge. II. 45.) εἶτα χερσόθεν πνοαῖσιν ἠλάθησαν εἰς πόντον πάλιν. *To* litori vicinum *unda* fluctus *resorbens*, κῦμα παλιρρόθιον *tulit*, abstulit *rursus*, correptum retulit *fretis aestuosis* (tertio casu) in fretum aestuosum, aestuans fluctibus, in altum reiecit, h. quod declarative additur, *in bellum*. Durior tamen haec ratio. Igitur malim: *Vnda, fretis aestuosis*, dum *fretum*, mare *aestuat* commotum est, h. unda maris aestuantis *resorbens rursus tulit*, copia poetica pro, resorbuit, iterum abripuit; iam sequi debebat, *in altum*: pro hoc, substituta statim, perspicuitatis caussa, vera notione: *in bellum*. Plerique de Charybdi seu omnino vortice h. l. cogitant, quod eius proprium sit *resorbere*, ἀναῤῥοιβδεῖν; sed praestat *undam resorbentem* de quovis fluctu a litore resuso et cuncta secum rapiente intelligere, Virg. Aen. XI. 624. seqq. *Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus nunc ruit ad terras — nunc rapidus retro, atque aestu revoluta resorbens* (retro secum volvens) *saxa fugit, litusque vado labente relinquit.*

v. 17 *seqq.* Sed et haec nova effugisti pericula, ex his quoque servatus es; *ergo Iovi* σωτῆρι sacrum para. Augustiorem speciem comissationi in felici Grosphi reditu habendae obtendit sic poeta, ex more. v. I. 36. in. et I. 37. init. Prima libatio Graecis fiebat Διὶ σωτῆρι, (Athen. XV. 5. p. 675.) ad quam forte respexit Noster. *Redde*, offer, para *dapem* dapes, epulas sacras, sacrificium *obligatum*, ex voto debitum, votivum. *Obligamur* Diis, votis nuncupatis; tum et ipsum, quod vovimus, obligari dicitur: *reddimus* adeo, solvimus id Diis, voto damnati. II. 17. 30. *reddere victimas, aedemque votivam memento.* Propert. II. 21. 60. *Tu quoniam es, mea lux, magno demissa periclo, munera Dianae debita redde choros; redde etiam excubias* caet. cf. Burman. ad Propert. IV. 3. 61.

— 18.

Depone ſub lauru mea, nec
Parce cadis tibi deſtinatis.

Oblivioſo levia Maſſico
Ciboria exple: funde capacibus

Vn-

— 18. 19. *Depone latus*, corpus (ſed alterum γραφικώτερον. cf. Virg. Ecl. V. 53.) conſide, reclina te, recumbe. Virg. Aen. VII. 107. *Corpora ſub ramis deponunt arboris altae.* — *feſſum*, ipſe feſſus ex *longa militia*; requieſce, reſice corpus ſub *laurus* umbra, poſt tam longam militiam. — τῷ *mea* ſuaviter innuit Horatius, apud ſe convivium iſtud celebratum iri; ad quod ſic blande admodum Groſphum invitat. At Baxt. pulcherrimam ἐνάργειαν hic deprehendit; ac ſi ipſe, ut Tityrus Virgilianus ſub fago ſua, ſub laurus umbra recubaret. Quam praeclaram obſervationem, ut vocant quidam, nemo facile ei invideat. Alias argutias ad h. l. attulit Dacer., Maecenatem lauru ſignificari pronuntiando. — *nec parce cadis*, vino te largius invita. Fere ut I. 36. 11. *neu promtae modus ſit amphorae.* — *tibi deſtinatis*, hac feſta luce exſiccandis; *tibi*, nam in Groſphi honorem convivium apparabatur. Minus apte alii: in reditum tuum reſervatis; cum is praeter exſpectationem accidiſſet.

v. 21 *ſqq.* Miram Horatii artem in depingendo effrenioris laetitiae affectu cum alibi (cf. v. c. I. 36. II. 11. et III. 19.) tum hoc maxime loco inſignitet oſtenſam facile ſentias. Quam animo praecipit convivii futuri hilaritatem, in eam ſtatim effunditur, et, quod animum laetitia perturbatum moraeque impatientem addecet, convivium inſtrui, coronas, unguenta afferri, ſodales adcumbere, caet. iubet. Quo quidem artificio totius loci virtus ac vigor mire adiuvatur, adeo quidem, ut non tam convivium deſcribi, quam nosmetipſos in mediam convivantium turbam rapi atque deferri exiſtimemus. Commoto poetae animo vim quoque addit vivida ac per interrogationes praecipitata oratio. — 21. Maioribus nos hodie poculis invitemus. *Ciborium* poculi genus, ore ſuperius lato, inferius anguſto, inſtar fabae Aegyptiae, quam colocaſiam appellatam volunt, cuius calyx vaſorum ac poculorum uſum Aegyptiis praeſtaret. Dicta haec pocula ipſis ciboria. Vid. Scholl. ad h. l. Intpp. ad Heſych. v. Κιβώριον

Vnguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas
Curat-

et κύαμος et quos laudat Gesn. Th. L. L. h. v. Eadem ratione Graecis pocula calyces appellantur, similitudine a floribus petita. Grandius vero fuisse poculum illud ciborium, vel inde colligas, quod eius in liberiore comissatione (κώθωνι) ubi maioribus poculis posceretur, mentio fiat apud Athen. XI. 7. p. 477. Atque hac virtute h. l. a poeta puta positum. *Capaciores* enim *scyphos* poeta poscit in re, quae ex voto accidit, V. 9. 33. — *levia*, splendentia, affabrefacta. *Exple Massico*, adimple vino Massico. v. I. 1. 19. *oblivioso*, quod curarum oblivionem inducit; est οἶνος λαθικηδὴς Alcaei apud Vrsin. p. 101. Similiter λήθη ὀδύνης audit in Epigr. ἀδεσπ. LXXIX. 8. (Anal. Br. III. 166.) λοιπόν μοι τὸ κύπελλον ἀποστίλβωσον, ἑταῖρε, καὶ λήθην ὀδύνης τὸν Βρόμιον πάρεχε. Vbi praeclare: ἀποστίλβωσον τὸ κύπελλον, fac ut ardeat, resplendeat, impleatur poculum sc. vino; uti fere *Setinum* in aureo poculo *ardere* dicitur Iuven. X. 27. Atque hanc graeci poetae elegantem doctamque loquendi rationem, haud temere censeas, etiam hic a poeta exhiberi. Doctiore enim ratione iungi possint: *exple levia*, h. exple ita, ut ciboriorum superficies levis sit, resplendeat, imple ad ora usque pocula. Sunt adeo κρητῆρες οἴνοιο ἐπιστεφεῖς, ut Hom. Il. Θ. 232. dicuntur. Sic vero vim habet epitheton, et ad totam sententiam spectat. — *funde cap. ungu.* caet. Vncti coronatique sint capilli. *Conchae*, vasa unguentaria, ad concharum formam facta: *Capaces*, non simpliciter ornat, ut fit, quae continent ea, quod nonnulli volunt; sed sunt vasa, quae magnam unguentorum vim habent, quibus adeo copiose hoc die Grosphum caeterosque convivas uti iubet, ita ut capilli unguentis sint βεβρεγμένοι, διάβροχοι, (ut saepius Graeci hac de re) ut *unguenta stillent e nitido capillo*, ut Tib. I. 7. 57. Eadem vi *perfundi nardo* est V. 13. 9. et *perfusis liquidis odoribus*, I. 5. 2. Qua eadem virtute unguenta iubet *fundi*, effundi de conchis, quod iam vidit Vet. Schol. Cruqu. „largius utere odoribus" interpretando.

v. 23. *sqq.* Suaviter Horatius, qui sibi prae festinandi studio iam satis occupatus videbatur, coronarum nectendarum curam reliquis convivis (non *puero*, ut volunt quidam e II. 11. 19.) demandat. Cum ἤϑει igitur variata oratio, pro, *coronas deproperemus*, propere conficiamus

Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego ſanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere eſt amico.

mus, contexamus *apii* vel *myrti* frondibus, prout quaeque magis ad manus eſt; ſuaviter in ſumma feſtinatione declaranda. Niſi *ve* h. l.. ut et alibi apud Noſtrum, non disiungit, et ſimpliciter eſt pro *et*, ut *corollas* intelligamus *indiſtinctas* (ut Catull. LXIV. 284. vocat) h. e. variis floribus ac frondibus, h. l. ex apio et myrto conſertas. Apium *udum*, δροσερὸν, recens, adeoque viride, χλωρὸν σέλινον. Nam illud genus apii, quod in humidis locis naſcitur, a poeta, ut quidam volunt, hic reſpici vix putem. *Deproperare*, ut σπεύδειν Gr., *feſtinare*, *urgere* (Virg. Ovidio, Statio, aliis) eſt, feſtinanter conficere. Cf. V. 12. 22. v. Lamb. — *quem Venus* caet. Regem convivii ſortiamur. *Venus* h. iactus talorum Venereus, (qui erat, ubi tali quatuor, quibus fere ludebatur, diverſos numeros, puta I. III., IV. VI., oſtenderent. Lucian. Amor. T. II. p. 415. καὶ βαλὼν μὲν ἐπὶ σκοπῶ, μάλιστα δ' εἴ ποτε τὴν θεὸν αὐτὴν (*Venerem*) εὐβολήσειε, μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι. res nota. Vide Lamb. et Geſn. Th. LL. v. *talus*.) *dicit*, conſtituit, eligit *arbitrum bibendi*, qui leges bibendi fert, regem convivii. vid. ad I. 4. 17. — 26. Totum me laetitiae tradam. *Non ſanius*, inſanius, magis *bacchabor*, inſaniam inſtar *Edonorum*, Thracum; inter quos compotationes liberius atque immoderatius celebrari ſolitae. v. ad I. 27. 1. — *dulce* volupe, iucundum eſt (ut Propert. II. 9. 17.) lubet *furere*, exultare, vino largius indulgere (θέλω θέλω μαινῆναι, Anacr. 31.) *recepto* reddito mihi *amico*, in amici deſideratiſſimi reditu.

CARMEN VIII.

ARGVMENTVM.

Miro acumine Horatius hoc carmine Barines, insignis pulchritudinis puellae perfidiam ita perstringit, ut, cum fidum constantemque amorem ipsi denuo adfirmaret, fidem ei habere posse neget, quoniam toties peierantem non modo nulla periurii poena secuta sit, verum etiam ei inter ipsa periuria maior in dies formae venustas accesserit; ut adeo per sanctissimas res iurare utile ipsi esse appareat. Inde accidere ait, ut vel ii, qui perfidiam eius multoties experti sint, qua sunt animi, formae eius illiciis detenti, impotentia, a perfidae limine recedere nequeant, novique usque amatores succrescant. Qua quidem ad insignem Barines pulchritudinem declarandam vix ulla cogitari potest ratio efficacior, quam quidem, animum magis quam oculos ferientem, utinam potius, quam pictorum, imitentur nostri poetae! — Oratio in hoc carmine docta, ornata, exquisita: numerorumque suavitatem vel obtusior paulo facile animadvertat. Graecae autem, quae hinc inde adtextae sunt, ideae suspicioni, quam argumentum suppeditat, robur addunt, graecum Horatio exemplum ob oculos fuisse.

AD

AD BARINEN.

Vlla si iuris tibi peierati
Poena, Barine, nocuisset unquam;
Dente si nigro fieres vel uno
Turpior ungui:

Cre-

v. 1. Exordium scenicum, uti apte Scholl. vocant; puta Barinae, quae constantiam suam in amore Horatio iactaret, seque in fide permansuram sancte iuraret, haec a poeta responderi: Si unquam periurii poenam tulisses, si unquam periurium tibi nocuisset; quod utrumque docte coniunxit poeta; *si ulla* vel minima *poena iuris peierati*, periurii *tibi unquam nocuisset*, noxam, damnum, detrimentum corpori tuo inflixisset, si vel levissimam inde notam traxisses. Damna enim, quibus corpus affligeretur, morbi, etiam mors praematura ex antiqua superstitione gravioris sceleris, maxime periurii, poena, a Diis vindicibus immissa, putabatur. Tibull. I. 3. 51. *Parce, pater, timidum non me periuria terrent, non dicta in sanctos impia verba deos.* Iuven. XIII. 230. *missum ad sua corpora morbum infesto credunt a numine.* Iam gravissima puellis poena, pulchritudinis iactura, cuius metu facile a periurio revocentur. Ovid. Amor. III. 3. *Esse deos credamne? fidem iurata fefellit: et facies illi, quae fuit ante, manet. Ius peieratum* dixit poeta ad formam *iuris iurati* (*fide sacrati*, ut est apud Ennium) s. *iurisiurandi*; nam *iurare* est fidem dare iuramento interposito; hinc *ius peierare* fidem iuratam violare, adeoque *ius peieratum* est fide, ut ita dicam, profanatum, laesum, periurium. Suaviter vero τῷ *unquam* poeta puellam crebrae perfidiae incusat. — 3. 4. Si tenue saltem poenae in te vestigium extaret; si *turpior* deformior *fieres uno* (ad utrumque enim refer) *dente nigro vel ungui*, si vel unus tibi dens nigrescereret, si vel in uno ungui macula quaepiam s. nota appareret: tum sane facile adducerer, ut *crederem* tibi iuranti, asseveranti, te constanter me amaturam esse; quia tum religiose iusiurandum servatura esses, deos periurii vindices reverita; amittendae adeo pulchritudinis metu; suaviter.

Crederem. Sed tu, ſimul obligaſti
Perfidum votis caput, eniteſcis
Pulchrior multo, iuvenumque prodis
Publica cura.

Expedit, matris cineres opertos
Fallere, et toto taciturna noctis

Signa

v. 5—8. *Sed tu* fidem verbis tuis a me vix impetraveris, quandoquidem e re tua eſſe videtur, peieraſſe; quum inter ipſa periuria pulchrior evadas. *Simul* ac, quotiescunque *obligaſti*, obſtrictum, obnoxium feciſti *caput perfidum*, tuum, te perfidam) *votis* exſecrationibus, diris, h. ubi peieraſti, periurii rea facta es. *Obligamus* nos, caput noſtrum *votis*, devovemus nos, imprecamur nobis inter iurandum mala ac poenas; iisdem nos *obligavimus* (obſerva temporis rationem) obnoxii facti ſumus, peierando, iureiurando neglecto. Paullo tamen ſubtilior haec quibusdam ratio videri poſſit. Igitur forte praeſtat, obligare ſe votis cum eam dici, dum ea ſibi imprecatur, dum iurat; tum eum, qui periurii reus, iisdem obnoxius fit, ut h. l. Ambiguitati cavit poeta epith. *perfidum*. — *eniteſcis pulchrior*, gratior fis, videris pulchrior. — *Cura* docte puella dicitur, quae curam, h. amorem pectori iniicit, pectus amore inflammat. Sic *μέλημα τοῦμόν* amaſium ſuum appellat Sappho, teſte Iuliano, apud Vrſin. p. 19. Sic *παίδων μελέα* ſimili ratione Anacreon vocatur Antip. Sid. c. LXXVI. 2. (Anal. Br. II. 27.) Adde Pind. Pyth. X. 90. ubi Hippocleas *ἐν παρθένοις μέλημα* audit. Latinorum poetarum loca adponere nihil attinet. v. Scal. ad Virg. Cir. 75. et Stanl. ad Aeſchyl. Choeph. v. 747. Iam Barine *prodit publica cura iuvenum*, h. omnes iuvenum oculos, dum in conſpectum venit, allicit, in ſe convertit, quod ſimpliciter eſt pro, omnes in amorem ſui rapit, *eſt* cura iuvenum: ſed alterum decorum puellae inceſſum ſimul ob oculos ponit. Tota vero ſententia eximiae Barines pulchritudine declarandae inſervit, ut I. 4. 19.

v. 9. *ſqq.* Tantum igitur abeſt, ut periurii poena te ſequatur, ut videatur adeo *expedire*, tibi utile eſſe, per ſanctiſſimas res iurare. Iam

res

Signa cum caelo, gelidaque Divos
Morte carentes.

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido
Sem-

res sanctissimae in specie declarantur exquisito cum dilectu per *opertos* urna reconditos *matris cineres*, per quos, uti omnino per eos, quos in vita habebant carissimos, iurare sollenne; et huius iurisiurandi magna erat religio. Propert. II. 16. 15. *Ossa tibi iuro per matris et ossa parentis, — me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.* Vide ibi Burm. et Barth. ad Stat. Theb. V. 329. — *fallere cineres*, iurisiurandi fidem, per cineres datam, fallere, iusiurandum per cineres factum negligere, laedere, peierare. Nota formula iurisiurandi, *si fallo*, caet. de qua v. Livinei. ad Prop. l. l. — *signa noctis*, sidera, ut saepissime poetae post Lucretium. Suaviter haec memorata in iureiurando ἀφροδισίῳ; nam noctis tempore condicta amatori hora, (ubi *sidera furtivos hominum vident amores*, Catull. VII. 8.) illud factum innuunt. Meleag. c. LXXI. (anal. Br. I. 21.) Νὺξ ἱερὴ, καὶ λύχνε, συνίστορας οὔτινας ἄλλους ὅρκοις, ἀλλ' ὑμεῖς εἰλόμεθ' ἀμφότεροι. Cf. V. 15. init. — *taciturna*, quatenus ad noctem pertinent, cuius proprium est *silentium*. Sic *tacitae silentia lunae* Virg. Aen. II. 255. — *toto cum caelo*, et caelum; Similiter coniunxit Virg. Aen. IX. 429. *caelum hoc et conscia sidera testor.* v. Torrent. — *gelida morte car.* immortales ἐμφατικῶς, ut *Dii magni* in eadem re vocantur V. 15. 3. mors *gelida*, frigida (Virg. Aen. IV. 385.) perpetuo epitheto.

v. 13. Suavis pictura: Venus, dum Barine per numen suum peierat, non movetur periurio, non indignatur; sed *ridet*, se in fraude amatori facienda ad partes vocari; quae imago tanto aptior videri debet, cum sit dea δολόμητις, quae proprio munere ἐξαπάτας (Hesiod. Θ. 205.) sortita sit. Nobilitatur vero sic a poeta communis sententia: periuria amantium impune fieri, non vindicari a Diis, Ἀφροδίσιον ὅρκον οὐκ ἐμποίνιμον εἶναι, ut est apud Stob. in Grot. Flor. p. 123. cf. Schotti Adag. p. 201. et 378. Nota Tibulliana (III. 6. 49.) *Periuria ridet amantum Iupiter, et ventos irrita ferre iubet.* et I. 4. 22. *Nec iurare*

Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.

Adde,

iurare time: Veneris periuria venti irrita per terras et freta summa ferunt. Meleag. epigr. laud. v. 5. νῦν δ' ὁ μὲν ὅρκια φησὶν ἐν ὕδατι κεῖνα (Ἀφροδίσια) φερέσθαι. Plato in Phaedro, citante iam Lamb. ad v. 1. ὡς δὲ λόγος, καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς ταῖς περὶ ἀφροδίσια, ἃ δὴ μέγιστα δοκοῦσιν εἶναι, καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν, addita ratione, ὥσπερ, καθάπερ παίδων, τῶν ἡδονῶν νοῦν οὐδὲ τὸν ὀλιγοστὸν κεκτημένων. Vnde forte tuearis *ineptum amorem*, qui, quam iniicit animo impotentiam amentiamque, *dum aliquid cupiens praegestit apisci, nil metuit iurare, nihil promittere parcit* (Catull. LXIV. 145.) in Tib. I. 4. 24. *vetuit Pater ipse valere, iurasset cupido quidquid ineptus amor.* Spectat etiam huc Callimachi epigr. XXVI. v. 3. ὤμοσαν· ἀλλὰ λέγουσιν ἀλαθέα, τοὺς ἐν ἔρωτι ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων, uti iam aliis notatum. — *Inquam*, est enim superioris sententiae, si curate attendas, docta tantum variatio. Eodem enim fere redeunt: peierando pulchrior fis, expedit peierare, et, rident dii periuria tua. Simplicius tamen, ac, si quid iudico, magis poeticum videtur, accipere pro, certissime persuasus sum, res adeo satis manifesta videtur, cum pulchrior indies fias, Venerem ipsam ridere caet. — *Nymphae*, ut Veneris comites; res nota. — *simplices* munditiis (I. 5. 5.) simpliciter comtae, simplici cultu decorae, ut deae agrestes. Quo eodem respectu *simplices* dici possint, fraudum insciae, rudes; quandoquidem *nescia fallere vita* (Virg. Ge. II. 467.) proprie ad rus spectat. Vtrovis modo ad ornatum simpliciter spectat epitheton. Qui „mites, faciles ad ignoscendum quiduis" interpretantur, ii viderint, quo exemplo, quave ratione hunc loquendi usum suffulciant. Nam Virgilii locus Ecl. III. 9. a Schol. Cruq. iam ad partes vocatus, rem, non vero verba, illustrat. — *Cupido ferus*, ἄγριος, amantes excrucians, crudelis. — 15. 16. Amor *sagittas cote acuens* quam suavis pictura! Eadem idea in gemma expressa. v. Lippert. Mill. I. 798. — *sagittae ardentes*, τόξα ἔμπυρα (Meleag. XXVIII. 3. Anal. Br. I. II.) πυρίπνοα (Id. c. L. 1.) πυριπνέοντες οἰστοὶ (Musae.) πυρόεντα βέλη (Palladas XCIV. 2. Anal. Br. II. 426.) igne tincta, ut Moschus Id. III. extr. (ἁπλᾶ πυρὶ πάντα βέβαπται) eleganter fingit. Αἰθομένην φαρέτρην

eodem

Adde, quod pubes tibi crescit omnis,

Ser-

eodem phantasmate Amori tribuit Satyr. Thyillus IV. v. 2. (Anal. Br. II. 276.). Amoris, qui, ignis instar, cor, medullam, ossa depascit, exedit, torret, effectus hoc figmento designari, quis non sentit? Ex infinitis paene poetarum locis unum delibare liceat Senec. Hippol. 640. sqq. *Pectus insanum vapor ardorque* (ita corr.) *torret; intimas saevus vorat penitus medullas, atque per venas meat visceribus ignis mersus, et venis latens, ut agilis altas flamma percurrit trabes.* — *Cos cruenta*, sanguine madefacta, perfusa, pro aqua vel oleo; exquisita et aptissima rei imagine. Auget enim impense feritatis, quam *sanguine* repraesentant poetae, notionem. Sic Tibull. I. 2. 39. Veneris truculentiam inde repetit, quod *sanguine nata* sit. Inde αἱματόφυρτα βέλη Amori tribuit Meleag. L. 8. (Anal. Br. I. 16.) eundemque *assiduum cum sanguine suo bellum gerere* s. ut clarius Theocritus II. 55. ait, sanguinem e corpore exsugere (τί μευ μέλαν ἐκ χροὸς αἷμα — πέπωκας;) queritur Propert. II. 9. 16. Nollem vero eo progressos esse viros doctos ut quaererent, quonam sanguine cos ista perfusa cogitari debeat; e qua nodosa atque anxia quaestione mirum ni Horatius, si ei obiecta foret, risu se expediturus fuisset. Iani inde eo delapsus est, ut *cotem cruentam* explicaret, veneno tinctam; quatenus antiquis serpentum sanguis pro veneno haberetur, et venenatae sagittae Cupidini tribuerentur. Quod utrumque etsi verum sit; admodum tamen vereor, ne istaec per se satis docta ingeniosaque interpretandi ratio paulo longius h. l. petita sit: tum *cruor*, *cruentus* dubito an absolute de veneno usurpetur. Semper enim est *sanguis viperinus* (I. 8. 9. V. 3. 6.) *cruor vipereus* (Ovid. Pont. IV. 7. 36.) et sic porro. Sed propulsare simul atque diluere sic volebat vir elegantis iudicii, qui *ardere*, *fervere* itidem de veneno dici nosset, superciliosam Homii (Elem. crit. c. XX.), incongrua (*ardentes* sagittas, et cotem *cruentam*) hic iungi clamantis, censuram. Sed res ad animi sensum revocari debet, ubi ardentes Amori sagittas poetae tribuunt, nec ita intelligendae, ut fulmen πυρπάλαμον βέλος ὀρεκτύπου Διὸς Pind. Ol. X. 96. et Aesch. Prom. 925. πυρίπνοον βέλος dicitur; qua etiam de caussa Amor Moscho III. 7. πυρὶ εἴκελος, et Apollon. III. 286. eius telum, quod Medeae cor adurit, ab effectu adeo vocatur πυρὶ εἴκελον. Sed ad hanc rationem ne confugere quidem necesse existimo: nam, si hoc

pre

Servitus crescit nova; nec priores

Im-

pro norma statuere velis, ut imago poetica ne admixtos colores habeat, qui novam aliam animo obiiciant ideam, quot, quaeso, poetarum loca, fere pulcherrima, (maxime enim tum accidit poetis, ubi phantasmatum ubertate tument) ad hanc iudicii subtilitatem essent exigenda, obeloque transfigendà! Sic, ut eiusdem rei defungar exemplo, Dido apud Virg. Aen. IV. 2. in eodem versu et Amoris *vulnere saucia*, et Amoris *igne uri* dicitur; quo utroque, etsi plane diverso (nam *ἰοῖς πυρφόροις* vulnus infligi cogitandum esse, haec quidem docta sed paullo subtilior videtur ratio) modo amoris effecta poetis designantur, nota ratione. Mirum vero utique, ne unum quidem, quantum sciam, interpretum, quibus, quae Homius satis pro imperio pronuntiasset, satis probabilia viderentur, commoda, quaeque primo se loco offert, interpretatione illa elevasse; nimirum, ut sagittae dicantur *ardentes*, quae, in cote subactae attritaeque, inardescunt, fervent; Amore ipso operis studio servente, opus urgente. Possis etiam, doctiore dicam, an argutiore modo, sag. *ardentes* explicare, *αἵματι ζεούσας*; ut proprie sanguis agitatus coqui, ardere; tum et ipsae sagittae eo adspersae ardere dicerentur, eadem plane ratione, qua *δάπεδον αἵματι θύειν* Homero Od. XXII. 309. Quid? si cos *cruenta* ornatu poetico simpliciter sit, quae sanguine, e sagittis *αἱματοφυρτοῖς* stillante, adspersa est? Sed *ἐπέχω*, ne adnumerandis argutis his rationibus me mihi placere quibusdam videar. Iam de sensu totius loci, de quo primo loco quaerendum erat, ut pauca moneamus, minus recte agere intpp. videntur, qui sic universe Cupidinis mores depingi statuunt; quae satis languide apposita imago foret, sed, ratione Barines habita, est Amor novos usque amatores isti puellae inter ipsa eius periuria concilians: quam sententiam disertius expositam statim subiungit poeta. Caeterum idem phantasma est apud Philodemum, mellitissimum poetam, c. XV. (Anal. Br. II. p. 86.) Οὔπω σοὶ καλύκων γυμνὸν θέρος, οὐδὲ μαλαίνει βότρυς ὁ παρθενίους πρωτοβολῶν χάριτας· ἀλλ ἤδη θοὰ τόξα νέοι θήγουσιν Ἔρωτες, Λυσιδίκη, καὶ πῦρ τύφεται ἐγκρύφιον.

v. 17. *Adde quod*, quid? quod omnis *pubes*, iuventus, quidquid est iuvenum, *crescit*, succrescit, adolescit *tibi*, in tui gratiam, ut tuo se submittant imperio, omnes tua forma capiuntur; hinc ornate et perspicuitatis caussa adiicitur, *servitus crescit*

Impiae tectum dominae relinquunt
Saepe minati.

Te

crescit nova, novorum amatorum, qui tibi serviant, tibi crescit copia, nova servientium cohors paratur. *Servire, servitium* de amante; uti contra *regnum* amatae tribuitur; res notissima. Ad verba ac sensum Nostri plane Tibull. IV. 5. 3. *Te nascente novum Parcae cecinere puellis servitium et dederunt regna superba tibi.* — nec *priores*, veteres amatores te relinquunt. Pro hoc quanto ornatius ac ad declarandam Barines superbiam, pulchritudinisque eius vim, quae vel sic amatores sibi obstrictos retinere valeat, fortius: non relinquunt *tectum*, semper iacent ante fores (*exclusos* enim a puella cogita) puellae *impiae*, fraudulentae, periurae, quam vel sic *dominam* suam salutant, cuius imperio vel sic parent. — 20. Etsi iam *saepe minati* sint, se eam relicturos: suaviter ad naturam amoris et ad formae potentiam designandam! Eiusmodi minae amatorum inanes in eroticis poetis satis obviae.

v. 21. *sqq.* Docta enumeratione exornatur amplius antecedentium versuum sententia. *Matres te metuunt*, timent ne *iuvenci* nati *sui*, adultiores facti, pulchritudine tua irretiantur. *Iuvenci*, non sine virtute, in re turpicula. cf. II. 5. 1. — *senes* metuunt, ne filii meretriciis tuis artibus ad bona profundenda inducantur, ne ipsi argento emungantur, cuius rei bene multa Comici exempla suppeditant. Suaviter vero, et ex rei natura mater pudori filii, pater senex patrimonio suo timet. Hinc *parcus*, adposito ad rem epitheto. — et *virgines nuper*, recens *nuptae*, κόραι ἀρτίγαμοι, νεόνυμφοι, vixdum maritatae, ubi adeo recens adhuc amor est, vel hae te metuunt suis maritis, timent, ne mariti sui illecebris tuis detineantur, a se abstrahantur. Hinc *miserae*, ob hanc anxietatem; nisi potius ad amoris vehementiam in novo coniugio referre praestat. — *tua ne ret. aura mar.* Mirus est dissensus Intpp. et VV. DD. qui hunc locum attigerunt, in constituenda *aurae*, unde sententia pendet, notione h. l. Servius (quocum Nestor facit in Vocab. hac voce) ad Virg. Aen. VI. 204. de splendore s. pulchritudine capiebat; quo sensu et in Virg. l. l. et alibi (veluti Prisciano Perieg. 1020. *iaspis aura viridi splendere* dicitur) occurrit. Eodem sensu εὔτριμον Graecis adhiberi, notavit ad Virg. l. l. Heynius, laudato Callim. II. in Dian. 117. cui adde his inculentum

Te ſuis matres metuunt iuvencis
Te ſenes parci, miſeraeque nuper

Vir-

lentum Orphei locum Arg. 1219. de ſplendida Circes pulchritudine; Στίλβε δὲ καλὰ πρόσωπα, φλογὸς δ' ἀπέλαμπεν αὔτμή. Durius tamen h. l. abſolute ſic poſitum videri debet, quandoquidem in omnibus locis adiectum aliquid deprehendas, quod ad hanc ſplendoris notionem manu quaſi ducat. Sic in Callim. eſt φάεος αὔτμή, in Orph. φλογὸς ἀπέλαμπεν ἀ. in Virg. aura *refulſit*, in Priſc. aura *ſplendet*. Acronis ſcholion „aut facilitas, qua in amorem trahuntur: aut unguentorum odor, ut ipſe ſuperius" *aurae fallacis* aut mutilum eſt, aut, quod verius exiſtimo, ultima eius ab inepto homine aſſuta videntur; nam *auram fallacem* (I. 5. 11.) aliter, et quidem rectius ibi idem Acron interpretatus eſt. Neque prior eius ratio, qua imaginem ab aura *ſecunda* deſumtam putaſſe videtur, admodum blanditur; nam ventus ſecundus *fert*, non *retardat*. Meliora paullo ſuppeditat Porphyrion, qui generatim „amoris auram, quae ad te eos fert" intelligit; imagine a navigatione petita. Scilicet a Veneris vel Amoris aura impellimur, agimur, ferimur, ἐρωτοπλοοῦμεν, (Meleag. LXIX. Anal. Br. I. 21. ἡ φίλερως χαροποῖς Ἀσκληπιὰς, οἷα γαλήνης ὄμμασι συμπείθει πάντας ἐρωτοπλοεῖν) amori dediti: Amor adeo nobis *adſpirat* (Tibull. II, 3. 71.) defert nos ad eum, cuius amore accenſi ſumus. Eurip. Iphig. A. 68. Tyndareus δίδωσ' ἑλέσθαι θυγατρὶ μνηστήρων ἕνα, ὅτου πτοαὶ φέροιεν Ἀφροδίτης φίλαι. Diſertius allegoricam hanc rationem expoſuit Meleag. c. XLV. (Anal. Br. I. 14.) digno, quod et hic legatur: Χειμέριον μὲν πνεῦμα· φέρει δ' ἐπί σοί με, Μυῖσκε, ἁρπαστὸν κώμοις ὁ γλυκύδακρυς Ἔρως. Κυμαίνει δὲ βαρὺ πνεύσας Πόθος. (contra *placidus leniter afflat Amor* apud Tibull. II. 1. 80.) ἀλλά μ' ἐς ὅρμον δέξαι τὸν ναύτην Κύπριδος ἐν πελάγει. Iam mariti, quos Amoris aura, ut ita dicam, ad uxores ſuas ferre deberet, aliorſum feruntur, abripi ſe patiuntur a recto curſu, ſicque *retardantur* detenti Barines aura, h. quae ad Barinen fert. Magnam ſane probabilitatis hic explicandi modus prae ſe fert ſpeciem; amplectendumque eum duxerim, niſi tertius ſupereſſet, isque, etſi ad noſtrum ſenſum inſuavis, e genio tamen iſtius aetatis haud indecens, et ex ſermonis poetici indole, qua puella cum iuvenca comparatur (v. ad II. 5. init.)

uni-

Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

unice verus: ut *aura* accipiatur de odore, (nam *aura* generatim poetis est, quidquid sensu aliquo percipitur, uti recte censet Werusdorf. Poet. min. V. I. p. 412. Sic de sono recte accipiebat Ruhnk. in Prop. II. 20. 72. *Si modo clamantis revocaverit aura puellae*, quod vel adi. *clamantis* docet) a iuvenca emisso, quo captato iuvencus in amorem furiose fertur. Virg. Ge. III. 250. 1. *Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum corpora, si tantum notas odor attulit auras?* quem locum et alii attulere. Nec eandem imaginem regio epithalamio adponere dubitavit Claudian. de Nupt. Hon. 287. sqq. qua vivide amoris aestum declararet: *calet obvius ire iam princeps. — — Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris sollicitavit odor, tumidus caet.* Praeclare adeo, quod hac imagine unice expressum volebat Horatius, designatur sic efficacia ac vis pulchritudinis Barines, maritos *retardantis*, ab uxoribus avocantis, et ad se trahentis maximaque sui cupiditate incendentis. Caeterum Schraderus, iuvenis adhuc, Animadvv. ad Musae. p. 303. auram, suavem puellae halitum, ἄσθμα ἡδὺ, intelligebat; ut reliquorum commenta taceamus.

CAR.

CARMEN IX.

ARGVMENTVM.

T. Valgium Rufum, poetam epicum (Tibull. IV. 1. 180. Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus, Valgius. ubi v. Broukh.) et elegiarum scriptorem, ab immoderato et continuo luctu ex Mysiae cuiusdam, quem filii loco habuisse, saltim paterno amore amplexus esse videtur, morte suscepto abstrahere hoc carmine annititur poeta, desumto primum e natura, quae vices suas experiatur, in qua adeo tristibus laetiora succedant, momento; quod quidem qui parum ad doloris sensum leniendum valere existimant, ii sane locum poetice tractatum in poeta reprehendunt; ne illud tangam, multo efficacius ad animum poetae, ad quem hoc carmen scriptum est, commovendum illud videri debere. Deinde aliorum Valgio proponit exempla, qui similes casus moderatius tulerint, finemque aliquando luctui statuerint. Denique, quae splendidior huius carminis pars est, monet eum, ut a privata tristitia animum ad publicam laetitiam, triumphosque Augusti carmine celebrandos convertat, et in hoc aegritudinis solatium quaerat. Qua quidem ad Augusti victorias argumenti conversione, hoc quidem idearum nexu, nihil cogitari potest dulcius, nihil excellentius. Oratio in hoc carmine lectissima, imaginum poeticarum nitor summus, exquisitiorque doctrina antiquitatis passim adspersa. Ad a. DCCXXXV. h. c. esse referendum, docet eius exitus.

AD

AD VALGIVM.

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros: aut mare Caſpium
Vexant inaequales procellae
Vsque; nec Armeniis in oris,

Ami-

v. 1 — 8. Conſolatio eſt, ut ita dicam, poetica ad *poetam* Valgium: e natura deſumtis, quae modum luctui et lacrimis eius ponere iubeant, momentis. Naturam vices ſuas experiri; non ſemper triſtem rerum eſſe faciem; aliquando ſuccedere et laetam. Similiter hunc locum tractatum vide I. 7. 15. ſqq. ſed II. 10. 15. huc non facit; ibi enim colores ad erigendum in adverſa fortuna animum attemperati. Statii imitationem Silv. II. 1. 205. ſqq. a naturae interitu (cui argute diei, noctis et ſiderum *obitum* immiſcet) doloris fomenta quaerentis, vix probes. Iam generalem ſententiam: naturam non ſemper in luctu ac ſqualore eſſe, exquiſite poeta ſpecialibus exornatam dedit ideis. — 1. Praeclare una imagine duas rerum ſpecies praeſentat, caelum nubibus obductum, et terram nimia pluvia ſqualidam. *Imbres* non ſemper *manant*, torrentium inſtar effundunt ſe e *nubibus in agros*, inde *hiſpidos* factos, horridos, continuis imbribus ſqualidos. Proprium enim *horrere* de ſqualore, inculto habitu, deformi adſpectu. Argutantur Intpp. — 2. nec mare ſemper procelloſum eſt. Lectiſſima ſingula. *Aut* nec (ut v. 6.) *usque* continuo *procellae vexant*, turbant, agitant mare. *Vexare* fortiori hoc ſignificatu adhibuit poeta exemplo Lucretii, qui *montes ſilvifragis venti flabris vexatos* ſimiter dixit L. I. 276. cf. ad IV. 14, 23. — Procellae *inaequales*, docte dicuntur, quae mare inaequale reddunt. Nam mare fluctibus commotum poetis eſt *aſperum*. Sic *aequora nigris ventis aſpera* dixit I. 5. 6. uti ἐκ δεινοῦ τρηχεῖα Νότου θάλασσα eſt apud Statyll. in Anthol. gr. III. p. 358. et τετρηχυῖα θάλασσα apud Leonid. Tar. XCVI. (Anal. Br. I. 246.) Idem tamen et alteram exquiſitiorem rationem, quae h. l. eſt, adhibuit c. XC. 1. (Anal. Br. I. 244.) Εὔρου μὲ τρη-

Amice Valgi, ſtat glacies iners
Menſes per omnes; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.

Tu

τρηχεῖα καὶ αἰπήεσσα κατασγὶς — ἔβλαψε. Mare *Caſpium*, cum dilectu, nam hoc inprimis procelloſum putatur. Ad ſententiam poetae Eurip. Herc. fur. 102. Καὶ πνεύματ' ἀνέμων οὐκ ἀεὶ ῥώμην ἔχει — ἐξίσταται γὰρ πάντ' ἀπ' ἀλλήλων δίχα. — 4. Nec glacies, hiems per totum annum durat. Aqua, frigore concreta *ſtat*, conſiſtit, (ut I. 9. 4.) proprio vocabulo: quocum convenit epith. *iners*, motu ſuo deſtituta, curſu impedita. Nam *inertia* ea naturae poetis vocantur, quae motu carent. v. ad III. 4. 45. Vtrumque pariter coniunxit Lucan. V. 436. *Sic* ſtat iners *Scythicas adſtringens Boſporos undas, quum*, glacie retinente, *fretum non impulit Hiſter*. Eidem *ſtagna iacentis aquae ignava* v. 443. et mox *inertia aequora*, *languor profundi*, et *torpentia ſtagna* dicuntur. Sic *gelu pigrum* I. 22. 24. — *orae Armeniae* h. l. de montoſis Armeniae tractibus, puta Tauro, Niphate, aliisque intelligendae. Sed et proprie *orae* accipi poſſunt de finibus Armeniae, Septentrioni oppoſitis; *quae pars Aſiae iniuria fideris rigentis vaſtas ſolitudines habet* ut Plin. H. N. VI. 13. — 6. Peregrinis, quas ipſa aliunde arceſſere cogebat rei natura, ſuccedit iam domeſtica, ut ita dicam, imago. Generale erat: venti non per totum annum vehementer ſpirant. Pro hoc ſpecialius et ſignificantius erat: Promontoria non continuo ventis turbantur; quandoquidem haec et crebrius et vehementiorem ventorum vim experiuntur. Iam pro quovis promontorio eſt *Garganus*, mons Apuliae, qui in mare Hadriaticum (verſus iuſulas Diomedeas) exit. Lucan. V. 379. *Calabroque obnoxius Auſtro Appulus Hadriacas exit Garganus in undas*. Hinc *promontorium montis Gargani* vocat Plin. III. 11. quem apte laudat Wernsd. ad Priſciani Perieg. 94. *Hoc mare* (Siculum) *Gargani concludit Iapygis ora*. Infame erat tempeſtatibus, ut patet vel ex Epp. II. 1. 202. *Garganum mugire putes nemus*. Tum pro vulgari: Garganus infeſtatur Aquilonibus, doctius et exquiſitius eſt, *querceta* Gargani *laborant*, convelluntur, vix reſiſtere valent *Aquilonibus*. Garganum ſaltuoſum demonſtrat vel Horatii locus

Tu ſemper urgues flebilibus modis
Myſten ademtum; nec tibi Veſpero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.

At

eus modo laudatus. *Frugifer* ideo dictus Lucan. V. 378. Cf. Sil. IV. 565. VII. 366. VIII. 630. Claudian. de IV. Conſ. Hon. 107. *Laborant* arbores, quae ventis ſe deprimentibus aegre quaſi obnituntur, iis labefactantur. Vide, quae de exquiſito hoc vocabuli uſu dedimus ad I. 9. 4. *Aquilones* memorat poeta, tanquam ventum vehementiorem. Nam proprius ac domeſticus huius regionis eſt Iapyx, (v. ad I. 3. 4.) et, qui ex adverſo ſpirat, Auſter. Hinc *obnoxius Auſtro Garganus* in Lucan. l. l. Mare enim *Siculum tunditur Auſtro* Priſcian. Perieg. 106. — 8. Dum exornare ſtuduit ideam poeta, in imaginem incidit, quae, maxime poſt vv. 6. 7., languidior videri poſſit. Sed et alibi in tempeſtatis deſcriptione occurrit. Orni *viduantur*, privantur, ſpoliantur *foliis*; v. I. 10. 11.

v. 9 — 12. Obſerva doctam poetae variationem in connecenda oratione. Vulgaris modus erat: *Sicuti non ſemper* caet.; *ita nec tu ſemper* caet. quem ſecutus eſt I. 7. 15. ſqq. Tum oratio ſic maiorem vim adquirit. Prodit enim Horatium leviter increpantem Valgiam, ut qui naturae vicibus admonitus a luctus pertinacia non avocetur. *Vrges* proſequeris *Myſten* (v. Argum.) *flebilibus modis*, carmine flebili, elegis. Sed quanto efficacius v. *urgere*, de luctus ferocia ac doloris impatientia! Eadem vero loquendi forma dictum, ut *lacrimis proſequi mortuos*, veluti Liv. XXV. 26. *Modi flebiles* poſſint ſimpliciter eſſe, lamenta, querelae; ſed praeſtat de elegis accipere; erat enim elegiarum quoque ſcriptor Valgius, (v. Argum.) hocque unice volunt vv. 18. 19. *et* potius *nova* cantemus *Auguſti tropaea* caet. *Miſerabiles elegos* ſimiliter dixit I. 33. 2. ubi vide Not. — *ademtum* tibi (uti plenius Catull. LXVIII. 20. *Heu miſero frater ademte mihi:* et Virg. Cir. 313.) cuius deliciae, unicumque ſolatium eſſet, quam ſuaviter pro mortuum. Sic *Hector ademtus* Troianis, quorum fulcrum fuiſſet II. 4. 10. et *Pompeius rebus ademtus* cum vi, quo mortuo libertas (ficta ſaltem) concidit, Lucan. IX. 205. — *nec tibi*, a te, *decedunt*, animo

At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos: nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiae sorores

Fle-

mo tuo non excedunt, obversantur tibi *amores*, puer tantopere tibi dilectus, Mystae desiderio excruciaris. *Amores* de amato, sensu castiore, etiam alibi occurrit. — *Vespero surgente* caet. Vide, et expende virtutem poetae in exornandis et nobilitandis: nocte dieque; pro quo minus sollenne erat: mane ac vesperi. Hoc suaviori imagine ac doctiore modo: *Vespero* stella Veneris *surgente*, ἀνατελλομένου, oriente, in conspectum veniente sub noctem! eademque *Solem* exorientem *fugiente*, praeeunte, ante solem constituta, primo mane. De poetica hac stellarum fuga vide docte disputantem Heyn. in Exc. ad Virg. Ge. IV. 232. Forte tamen Lucifer eadem hic ratione solem fugere dicitur, qua reliquae stellae; (v. c. Val. Fl. IV. 90. Ovid. Met. II. 114.) qui *caeli statione novissimus exit*, quia Soli proximus. Cf. Senec. Herc. fur. 128. Notissimum vero, *stellam Veneris*, *quae* Φωσφόρος *Graece*, *Luciferum latine dici, quum antegrediatur solem: quum subsequatur autem*, *Hesperon*, ut verbis utar Cic. de Nat. D. II. 20. Quum adeo eadem stella sit, poeta diversos eius situs, unde diversa nomina traxit, uno tanquam communi nomine designare poterat. — *rapidum*, praeclare de novo sole. Caeterum eodem fere orationis colore in simili re Virg. Ge. IV. 465. de Orpheo: *Te*, *dulcis coniux*, — *te veniente die*, *te decedente canebat*, et Cinna apud Serv. laudante Lambino: *Te matutinus flentem conspexit Eous, et flentem vidit paullo post Hesperus idem.*

v. 13. — 16. Iam aliorum exemplis, qui, iisdem casibus etsi graviter afflicti, moerore tamen ac lacrimis non consenuerint, a perpetuo luctu amicum dehortari, ad eandemque animi fortitudinem excitare conatur. Similis sententiarum progressio I. 7. 21. sqq. Docte exemplis utitur poeta e vita heroica petitis in Valgio, docto poeta, consolando: qui forte hunc ipsum locum in carminibus suis tractaverat, si omnino res Troianas attigit Valgius, quod e Tib. IV. 1. 180. statuebat Fabric. ad Ovid. Pont. II. 10. 13. de quo tamen dubitat Wernsd. in Poet. min. T. IV. p. 586. *Senex ter aevo*, tribus aevis, γενεαῖς *functus*

Flevere ſemper. Deſine mollium
Tandem querelarum: et potius nova

Can-

etus, qui tres hominum aetates vixit, Neſtor; *triſaecliſenex* inde dictus Naevio apud Gell. XIX. 7. et τρίγερων Incerto in Anthol. gr. I. p. 68. *Aevum* autem, de hominum aetate, γενεᾷ, quae XXX fere annorum ſpatio, medio quodam termino, circumſcribitur, intelligendum. Omnino ſic ſummam, ad quam homini pervenire licet, ſenectutem declarat priſcus ſermo poeticus. *Saeclis effetam ſenectutem* ita dictam puta Virg. Aen. VIII. 508. De Neſtore v. Hom. Il. α. 250. *Fungi aevo*, vita, proprie eſt, tempora, quae fato nobis attributa ſunt, vivendo explere. Proprie adeo Tib. III. 3. 9. *Tunc cum*, praemenſae defunctus tempora lucis, *nudus Lethea cogerer ire rate. — non omnes* per *annos*, πάντα ἔτη, πάντα χρόνον, *ploravit Antilochum*, filium, a Memnone ad Troiam occiſum, dum patrem ſervare cuperet. Rem tangit Hom. Od. δ. 187. adde Pind. Pyth. σ. 28. ſqq. Pugna Antilochi cum Memnone eſt ex Homeri Paralipomenis: tractata adeo a Quint. Cal. II. 243. ſqq. et reliquis, qui Poſthomerica conderent, de quibus vide docte et curate diſputata Heyn. ad Virg. Aen. II. Exc. I. et Wernsd. Poet. min. T. IV. 568. ſqq. — *amabilem* pietate in parentem; vel omnino φίλον υἱὸν Homeri. — 15. *Troili*, Priami f. fatum, quod ad Antehomerica pertinet, vel e Virg. Aen. I. 474. ſatis notum. Vide Heyn. Exc. XVII. eius libri. — *impubem*, erat enim *puer* admodum, adeoque *impar congreſſus Achilli*, ut Virg. l. l. *Sorores* eius Caſſandram et reliquas finem aliquando lacrimis poſuiſſe ait, forte eum vi, quo magis Valgium virum haud virilis eiulationis ſuae puderet. *Phrygiae*, Troianae. Vulgari modo ad Troilum hoc epith. erat apponendum.

v. 17. *ſqq. Deſine querelarum*, queri, graeca forma, λήγε γόων, ὀδυρμῶν, res nota. *Mollium*, quae oſtendunt, te Myſtae mortem nimis *molliter ferre*, (ut Senec. ep. XCIX ait) muliebrium. Forte tamen paullo acerbior haec caſtigatio: ideoque lenior ratio ſuadet, ut ſimpliciter accipiatur: quae deſiderium tuum produnt. Sed et elegi *molles*, *queruli* dicuntur, quandoquidem his *querimoniae* maxime *incluſa eſt* (A. P. 75.) Propert. I. 7, 19. *Et fruſtra cupies mollem componere verſum*; ubi vide doctam Burmanni notam. Hermeſian. El. v. 36. apud Ruhnk. Ep. crit. II. p. 290.

Cantemus Augusti tropaea
Caesaris, et rigidum Niphaten,

Me-

Μίμνερμος δὲ τὸν ἡδὺν ὃς εὕρετο — ἦχον, καὶ μαλακοῦ πνεῦμ' ἀπὸ πενταμέτρου. Atque doctiorem hanc rationem praeferam propter v. 9. maxime vero propter sententiam, quae statim subiicitur. In *tandem* totius sententiae vis ponenda. — 18. Exquisita conversione a moerore Valgium abducere studet poeta, dum eum ad canendos Augusti triumphos sicque ad publicam laetitiam exhortatur. — *nova tropaea* victorias Augusti recentes, ab Armeniis, Parthis et Gelonis reportatas. Iam etsi Augustus nullum ex his populum armis perdomuerit; solent tamen hae res mirifice augeri amplificarique ab aetatis istius poetis, ac si vere istae gentes Romano imperio adiectae fuerint. Gloriosissimi adeo triumphi instar habebatur, quod Phraates, rex Parthorum, Augusto, quum a. V. DCCXXXIV. in Asia versaretur, nominis fama territus signa, clade Crassi amissa, cum captivis remitteret. v. Dio LIV. 8. et cf. III. 5. init. Ovationem ideo, et arcum triumphalem Augusto a Senatu decretam refert idem Dio l. l. Armenia vero ab Augusto devicta dici poterat hactenus, quod ei, misso eo cum exercitu Tiberio, Tigranem, pulso Artaxia, regem imponeret. Vid. Dio LIV. 9. Suet. Tib. c. IX. Vellei. II. 94. Tacit. Ann. II. 3. a quibus hanc ipsam ob rem Armenia *recepta* et *in potestatem P. R. redacta* eodem elatiore spiritu dicitur. Iam pro Armenia universa est *Niphates*, mons eius terrae, iuxta Strab. XI. p. 801. Steph. Byz. Suid. h. v. et alios. *Rigidus* dicitur, vel communi montium epitheto, quatenus ii stant, horrent, propter altitudinem: vel quia saxosus. Ita vero εὐσκόπελον Νιφάτην dixit iam Pisander apud Suid. h. v. Nam hunc auctorem istius fr. designat Steph. v. Νιφάτης, monente iam Toup. Emend. ad Suid. T. II. p. 157. Ita Caucasum *cautibus horrentem* vocat Virg. Aen. IV. 367. quem eundem *rigidum montem* eadem virtute simpliciter appellat Ovid. Met. VIII. 797. Potest etiam ad mores accolarum rigidos, feros trahi: qua notione IV. 5. 26. *Germania horrida* dicitur. Iam *Niphaten cantare* docte dictum esset pro, Armeniam edomitam, devictam (quod repetendum e sqq. *gentibus additum victis*, quod poetica ratione posteriori soli iungitur; nam, quod alii aiunt, *subactam* simpliciter intelligendum esse, hoc nimis durum foret) carminis

Medumque flumen, gentibus additum
Victis

minis argumentum facere. Satis commoda vero montis facta videri potest mentio, cum per se, tum quod in ferculis triumphalibus montium quoque, praeter urbium ac fluviorum, imagines circumferrentur. Claudian. de Cons. Stil. III. 23. in pompae triumphalis descriptione: *hi facta metallo* oppida, *vel* montes, *captivaque* flumina *ferrent*. Vel sic tamen nullus fere dubito, quin Horatius fluvium eiusdem nominis h. l. intellexerit. Cuius etsi ab antiquis Geographis nulla fiat mentio; hoc tamen non adeo mirandum videbitur ei, qui fluviorum nomina diversis aetatibus diversa, eundemque fluvium diversis terrae, saepe eiusdem regionis, tractibus, quos alluit, nomen variare meminerit. Poterat adeo Tigris ea Armeniae parte, qua Niphates mons situs erat, ipsum montis nomen induere, quo tanquam reconditiore, poeta h. l. eum universe designaret, quum Geographis et Historicis vulgare ac sollenne tantum in usu esset. Tantoque convenientius isti fluvio hoc nomen esse arbitror, cum Tigridis fontes in ipsis Niphatis montis radicibus quaerendi sint, iuxta Strab. XI. l. c. Quam ipsam caussam esse suspicor, quod in multis regionibus eadem et montium et fluviorum et antiqua et nostra aetate reperiantur nomina. Diserte vero Niphatem fluvium seriores poetae tradunt, quos omnes aut Horatium male intellexisse, aut Niphatae fontes e suo capite derivasse, quis tandem hoc statuat? Ita vero Lucan. III. 245. *Armeniusque tenens volventem saxa Niphatem*, ubi Burmanni: *tollentem saxa*, molimina nihil moramur. Sil. XIII. 765. *Qui Gangen bibit, et Pellaeo ponte Niphatem adstrinxit.* Iuven. VI. 409. *isse Niphatem in populos, magnoque illic cuncta arva teneri diluvio.* In Virgilio III. 30. (*Addam urbes Asiae domitas, pulsumque Niphatem*) dubites utrum montem an fluvium cogitaverit; si tamen leniorem sequaris rationem, de fluvio utique ibi intelligas. Qua eadem *Ausidus retro fugere* dicitur Aen. XI. 405. Nam *montem pulsum* dici, quam durum hoc! Neque vero in unanimi fere poetarum consensu nihili facienda auctoritas Servii ad Virg. l. l. et Scholl. ad h. l. qui Niphatem et montem Armeniae et eiusdem regionis fluvium perhibent. Ita vero, si accipiatur, orationem concinniorem fieri, quis non sentit? At, instant clamantes, quis unquam *rigidum* h. glacie adstrictum fluvium vidit *volvere vortices*? Recte. Sed quid vetat,

Victis, minores volvere vortices;

Intra-

quo minus Niphatem *rigidum saxis*, saxosum interpretemur? quid vetat, quominus hunc ipsum fluvium a Pisandro εὐσκόπελον dictum, docteque ita (nam *rigere* dicuntur saxa, scopuli, noto loquendi usu) ab Horatio expressum opinemur? quominus vel ripas istius fluvii scopulosas vel rapidum eius cursum, saxa secum volventem cogitemus? Ita *Euphratem saxosum* vocat vel Plin. H. N. 5. 24. *lapidosas Aesaris undas* Ovid. Met. XV. 23. ut alios in re vulgari taceam. Magis tamen h. l. accommodata haec videtur altera ratio, qua fluvio mores, sensus, ingenium hominum, ad eum accolentium (v. c. *suevas Hydaspes* Petr. de Mut. R. 239. *Salo tetricus* Martial. XII. 3. 3.) tribuuntur, ut adeo Niphate rigido, feroci, tumido notetur Armeniorum ferocia ac superbia, a Tiberio necdum fracta et contusa. Quo eodem exquisito phantasmate Armenii et Parthi subacti ac perdomiti per ipsorum flumina leni ac moderato cursu fractum quasi animum prodentia declarantur. In populo enim rerum gestarum magnitudine tumido, feroci, eiusdem terrae fluvii exundant, *pontem indignantur* (Virg. Aen. VIII. 728.) et sic porro; alveo contra latent, (Sil. III. 599) aquas submittunt, pontem patiuntur, domitis eius accolis. Notus Virgilii locus Aen. VIII. 726. *Euphrates ibat iam mollior undis*, quem descripsit Gallus eleg. v. 53. (Poet. min. T. III. 191.) *Euphratis currentes mollius undas.* Sic idem Niphates Silio l. l. *Pellaeo ponte adstrictus* dicitur domita ab Alexandro Armenia. Petron. de Mut. Reip. v. 241. de Pompeio: *quem fracto gurgite Pontus, et veneratus erat submissa Bosporus unda.* Epigr. LXXXIII. Anthol. lat. T. I. p. 230. *Ister pacatis lenior ibat aquis;* ubi v. Burm. Idem fluviis adfectus tribuitur in tristitiae sensu declarando. Sic *Sperchios aquis tenuis* Statio Ach. I. 239. in Achillis discessu: idem contra Silv. II. 7. 12. *doctos largius evagari amnes* iubet in *Lucani proprio die* celebrando. Docta vero structurae forma: *cantemus tropaea, et Niphatem, Medumque* h. Parthicum *flumen*, Euphraten, *minores vortices volvere*, ut non amplius se aquis suis efferant, ut alveo conditi subsederint. Iam phantasmatis huius poetici notionem declaravit ipse, more ei familiari, adiectis magis perspicuis verbis: *gentibus additum* addita (e vulgari ratione: nam ad utrumque fluvium referri debet) victis, in pop. R. potestatem redacta; nihil amplius. Ita *adiecti imperio* R. dicuntur *Britanni*

Intraque praeſcriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

tanni ac *Perſae* III. 5. 3. Sed miſere argutari intpp. videas. — 23. 24. *Geloni* ad Iſtri gentes pertinent, quas communi Scytharum vel Sarmatarum nomine comprehendunt ſcriptores Romani. Qui cum Iſtrum transire et fines Romanos populari (hinc *gentes Iſtro non bene ſubmotas* vocat Ovid. Triſt. II, 203.) ſolerent; eodem hoc anno Auguſtus, miſſo Lentulo, ultra ulteriorem ripam eos cum Dacis repulit. Flor. IV. 12. Hinc *Maſſagetae Scythico Iſtro alligati* dicuntur Lucan. II. 50. et *Dahae vetiti errare* eidem VII. 429. Iam pro, cantemus Gelonos ſubmotos, repreſſos, doctius eſt, *equitare Gelonos* ut iam equitent, ut coacti ſint *equitare*, verſari, ſe continere; ſed alterum tangit morem iſtorum nomadum, vagandi in equis, quem diſerte de Sarmatis tradit Flor. l. l. adde Ovid. Triſt. V. 7. 14. — *intra prueſcriptum*, intra praeſcriptos ab Auguſto limites. — *Campis*, tanquam nomades, quibus iſti, per ſe ſatis ampli, *exigui* tamen videbantur, quod non amplius evagari latius liceret ipſis. *Amara* enim *lex Sarmatis* refugis, *ſub uno vivere caelo*, Stat. Silv. IV. 7. 50.

CARMEN X.

ARGVMENTVM.

Licinius Varro Muraena, Proculeii ac Terentiae frater, homo turbulentus atque ambitiosus, eo maxime consilio pristinam dicendi agendique libertatem in aegra ac plane deposita republica tuebatur iactabatque, ut, novam Augusti dominationem acerbe exagitando, omnique modo in invidiam vocando (cuius insigne exemplum memorat Dio LIV. 3.) populum ad res novas erigeret, imperiique formam novis belli civilis incendiis subrueret atque everteret. Ita enim e mediocris fortunae statu se emersurum, pristinasque facultates, quas proscriptione amisisset, amplissimosque honores se recuperaturum atque consecuturum confidebat. Horatius igitur, qui Licinii probe perspectam haberet indolem, ac facile praevideret, quo res aliquando evasura esset, quo ambitiosum atque impotentem eius animum, qui neque temporibus servire, neque mediocrem fortunam ferre posset, ad saniora consilia converteret, sedulo ei hoc carmine eam commendat animi moderationem atque temperantiam, quae periculi metu a conandis arduis facile abstineat, neque tamen ad humilitatem se deprimi patiatur, sed ab invidia aeque atque contemtu tuta medium quoddam sectetur; hocque maximum momentum ad bene beateque vivendum efficere ait. Animus enim ab ambitionis studio sic plane alienus, splendidam fortunam,

utpote

utpote lubricam invidiaeque obnoxiam, uti minime suspiciet, expetendamque ducet, ita nec adversa ad desperationem adigetur, sed aequabilem se in utraque praestabit. Saluberrima haec ad vitam recte instituendam praecepta quam parum in Licinii descenderint animum, docuit exitus. Siquidem, initis cum Fannio Caepione Augusti opprimendi consiliis, iisque detectis gravissimas temeritatis suae poenas dedit. v. Dio l. l. Vellei. II. 91. Refertum est hoc carmen suavissimis, quibus sententiae adumbrantur, picturis; tum singularem vim ac venustatem habet brevis earundem delineatio: oratio quoque docta, concinna, aequabiliterque defluens, adeo, ut plane ad carminis argumentum attemperata videri debeat. Comparetur autem cum eo Lucret. V. 1116 sqq.

AD

AD LICINIVM.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urguendo, neque, dum procellas
Cau-

v. 1 — 4. *Rectius*, recte, sapienter vitam institues, adeoque beate, tranquille deges. Iam quae e [illegible]bari ratione sequi de[illegible]ntia: si semper mediocri[illegible] secteris, si in omni vita in [illegible]ediocri fortuna te contineas, neque honorum aut gloriae cupiditate efferaris, neve ad humilioris conditionis sordes deprimaris; docta hanc poeta involvit allegoria, a navigatione petita, cuius quidem simplicior enuntiatio erat: si semper medium cursum tenueris, media via navigaveris. Pro hoc ad allegoriae huius indolem magis apposite: si neque nimis longe in altum proveharis, neque cursum nimis prope litus dirigas; quandoquidem illud procellis infestatur, hoc ob cautes prominentes accedere periculosissimum est. Neminem vero Intpp. τῷ *semper* offensum, omnino miréris. Quid enim? num *interdum* expedit, altum tenere, interdum litus, h. mediocritatem aliquando deserere? Sed talibus argutiis facile occurras, si rationem poeticam ad prima eius stamina revoces. Scilicet exornavit poeta primariam hanc sententiam: Tu *semper* mediam viam insiste, *nunquam* ab ea recede, ut beatus vivas: unde adhaesisse variatae adque inversae orationi putandum est. Oratio ipsa horum vv. docta et exquisita. *Vrgere altum* docta brevitate dictum pro: urgere iter, cursum dirigere versus altum, velis remisque altum petere. Proprie *urgemus iter, viam*, cui acriter instamus, quam concitato gradu molimur, prosequimur, ut Ovid. Fast. VI. 520. de Hercule: *ad vocem concitus urget iter*. adde Val. Fl. II. 34. V. 400. Possit etiam simpliciter dictum videri, pro, impellere, promovere mare, undas, quatenus *navis labens prae se undas volvit, vortices vi suscitat*, ut in nobili fr. Attiano, et saepius alibi. Doctior tamen et accommodatior h. l. prior ratio videtur. — *neque* dum *procellas* alti maris *cautus horrescis*, ut tibi a procellis caveas, dum altum procellarum metu vitas, *nimium premendo*, nimis prope accedendo ad *litus*, quod aeque *iniquum*, τραχύ, asperum scilicet saxis, scopulosum, adeoque infestum, periculosum est navigantibus.

Cautus horreſcis, nimium premendo
Litus iniquum.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Sae-

tibus. Eodem fere orationis colore Seneca Agam. 100. ſk. *Felix mediae quisquis turbae ſorte quietus aura ſtringit litora tuta, timidusque mari credere cymbam remo terras propiore legit.* Id. Oedip. 890. *tuta me media vehat vita decurrens via.*

v. 5—8. Mediocritas enim ſola vitam beatam iucundamque efficit; quandoquidem ea nec invidiae patet, nec egeſtatis malis laborat. *Quisquis mediocritatem*, mediocrem illam vitae fortunaeque conditionem *auream* h. tanquam eam, quae vitam reddat iucundiſſimam *diligit*, habet, ſectatur, eam expetendam ducit, in ea acquieſcit. *Aureum*, *χρυσοῦν*, de praeſtantiſſimo, optimo quoque, poetis adhibetur, noto loquendi uſu. v. ad I. 5. 9. Ad ſententiam poetae Alexis *ἐν συντρόφοις* (apud Grot. Exc. Trag. 587.) *ὡς ἡδὺ πᾶν τὸ μέτριον οὐδ' ὑπέργαμον*: et magis, etiam ad orationis colorem, apposite Loll. Baſſus c. VI. (Anal. Br. II. 161.) *εἰ μεσότητας ἄριστα, ὅπη δέ γε πεφύκασι ἀνδρῶν τὰ μέλλα μέτρον ἐγὼ τάριστον ἠσπασάμην.* Τοῦτ' ἀγαπῶ, φίλε Λάμπι, κακὰς δ' ἔχθαιρ' ἀνθρώπους. Δώρημα κάλλιστον θεῶν ſimiliter σωφροσύνην vocat Euripid. Med. 637. *Diligere*, ἀγαπᾶν, eligere, ſequi. — 7. Mediocritas tutum hunc praeſtat ab inopia aeque atque invidia. *Tutus* ad univerſam gnomen pertinet. Res hominis mediocritatem ſectantis in tuto, *ἐν ἀσφαλεῖ*, collocatae ſunt. Ita in fragm. Apollodori: *ἡ δὲ μεσότης ἐν πᾶσιν ἀσφαλεστέρα, τῷ μήτε λίαν ἐν τυπεινῷ τῆς τύχης μέρει φέρεσθαι, μήτ' ἐν ὑψηλῷ πάλιν.* Egeſtatem, et quae ei propria ſunt mala, v. c. ut deſpicatui habeatur (nam *πενία ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ*, iuxta Menandreum) ut in miſericordiam incidat caet. deſignat poeta per *ſordes tecti obſoleti*, domum ſordidam, ſqualidam, obſoletam. *Sordidam parvae domus fortunam* ſimiliter dixit Senec. Here. fur. 200. cf. ad II. 16. 28. — 7. Idem *ſobrius*, *νήφων*, *σώφρων*, ſibi temperans, continens, (ſic *ſobriam* Carii et Fabricii

Saevius ventis agitatur ingens
Pinus: et celsae graviore casu

De-

bricii *paupertatem* vocat Claudian. de IV. Cons. Hon. 413.) haud aegre *caret*, non expetit *aulam invidendam*, aedes splendidas, propter quas hominum invidiam incurrat, adeoque contemnit opes nimis splendidas, invidiae obnoxias. Ad sententiam totius loci insigniter facit Sotades apud Stob. in Floril. Grot. p. 427. Ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται, ὁ μέσος δὲ βίος κεκραμένος δίκαιος ἐστίν. Αὐτάρκεια γὰρ πρὸς πᾶσιν ἡδονὴ δικαία. Vnde Palladas c. CXXIV. (Anal. Br. II. 433.) Οἱ βασκαινόμενοι λαμπρὸν ἔχουσι βίον· τοὺς δὲ λίαν ἀτυχεῖς οἰκτείρομεν, ἀλλά τις εἴην μήτ' ἄγαν εὐδαίμων, μήτ' ἐλεεινὸς ἐγώ. ἡ μεσότης γὰρ ἄριστον, ἐπεὶ τὰ μὲν ἄκρα πεφύκει κινδύνους ἐπάγειν, ἔσχατα δ' ὕβριν ἔχει. Adde Apollod. fr. init.

v. 9—12. Nec invidiae solum (vv. 7. 8.) sed et Fortunae iniuriis maxime obnoxia est magna fortuna; quo excelsiore constitutus es loco, tanto magis lubrica atque incerta est rerum tuarum conditio. Sententia trita, sed allegoricis imaginibus, etsi linea tantum, quo fortius animum percellant, adumbratis, mire nobilitata atque exornata a poeta. Quo magis mirandum, fuisse, qui orationem horum vv. nimis pedestrem culparent. *Pinus ingens*, alta, cum dilectu, pro quavis procera arbore; *saevius* (v. Obss.) vehementius, magis *agitatur*, vexatur, concutitur, ventis magis obnoxia est, quam humiles arbores, fruticeta. Lucian. in Anthol. Brod. L. I. p. 165. οὐ θρύον οὐ μαλάχην ἄνεμός ποτε, τὰς δὲ μεγίστας ἢ δρύας ἢ πλατάνους οἶδε χαμαὶ κατάγειν. ubi observa lusum poetae in oppos. θρύον et δρύας. Ovid. Rem. Am. 369. *Summa petit livor; perflant altissima venti.* Senec. Hippol. 1128. *Admota aetheriis culmina sedibus Euros excipiunt, excipiunt Notos, insani Boreae minas, imbriferumque Corum.* Id. Oed. 8. *Vt alta ventos semper excipiunt iuga: imperia sic excelsa Fortunae obiacent.* Claudian. XXXIX. 36. *Non capit angustus Boreae certamina collis; Alpes ille quatit, Rhodopēia culmina lassat.* — 10. *Turres*, πύργοι, aedificia alta, quo *celsiora* sunt, eo *graviore casu decidunt*, tanto gravior ipsorum ruina est. Ad sententiam Apollod. fr. 9. κἂν γὰρ πέσῃ τις ἐξ ἐλάττονος μέτρου εὐπερικάλυπτον ἔσχε τὴν δυσπραξίαν· ὄγκου δὲ μεγάλου πτῶμα γίγνεται μέγα. πρὸς γὰρ τὸ λαμπρὸν ὁ φθόνος βιάζεται, σφάλλει δ' ἐκείνους, οὓς ἂν ὑψώ-

Decidunt turres: feriuntque summos
Fulgura montes.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum

Pe-

ὑψώσῃ Τύχη, *tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant*, Claudian. in Ruf. I. 22. Facit etiam huc Iuven. X. 105. *numerosa parabat excelsae turris tabulata, unde altior esset casus et impulsae praeceps immane ruinae.* — 11. 12. *fulg. feriunt*, impetunt, cadunt in *summos montes*, τὰ ἄκρα, cacumina montium. Seneca Hippol. 1132. *Humida vallis raros patitur fulminis ictus, Tremuit telo Iovis altisoni Caucasus ingens, Phrygiumque nemus.* Claudian. l. l. v. 38. *Incubuit numquam caelestis flamma falictis, nec parvi frutices iram meruere Tonantis; ingentes quercus, annosas fulminat ornos.* Totum vero tetrastichon adumbravit Senec. Agam. 93. sqq. *nubibus ipsis inserta caput turris pluvio vapulat Austro; densasque nemus spargens umbras annosa videt robora frangi; feriunt celsos fulmina colles.*

v. 13. 14. Alterum vitae sapienter instituendae praeceptum: In utraque fortuna animus tibi constet, neve secunda efferatur, aut adversa deprimatur; memor, Fortunae easdem, quae Naturae, esse vices, *propriamque illam in ipsa sui mutabilitate servare constantiam.* (Boeth. Cons. Phil. II. 1.) seu ut pressius Seneca Quaestt. nat. III. praef. *in secundis nemo confidat, in adversis nemo deficiat: alternae sunt vices rerum.* — *Pectus bene praeparatum sperat* caet. docte et ornate pro animus *bene*, sapienter, fortiter *praeparat*, obfirmat sese adversus quamcunque sortis mutationem; adeoque *sperat infestis* in adversa fortuna *alteram sortem*, melioris sortis spe erigitur; in *secundis* contra rebus *metuit alteram*, contrariam *sortem*, adeoque in re prospera non luxuriat (Ovid. A. A. II. 437) sed praecipit, ac confirmat se adversus ingruentem adversam fortunam. Omnes fere Intpp. *p. bene praep.* explicant: studiis philosophicis, sapientia usuque vitae munitum; indocte, saltem parum apte h. l. Senec. Ep. XVIII. *In ipsa securitate animus ad difficilia se praeparet, et contra iniurias fortunae inter beneficia firmetur. Quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerce.* Id. Ep. CVII. *Praeparetur animus contra omnia.*

Nemo

Pectus. Informes hiemes reducit
Iupiter, idem
Submovet. Non, si male nunc, et olim
Sic

— *Nemo non fortius ad id, cui se diu composuerat, accessit, et duris quoque, si praemeditata erant, obstitit. At contra imparatus etiam levissima expavit,* caet. Adde Senec. Hippol. 994. Cum altero sententiae commate concinit fragm. Comici: (in Grotii Exc. p. 915.) Πράττων καλῶς μέμνησο τῆς δυσπραξίας· καὶ γὰρ τὸ πρωχθὲν ὡς τὸ πραττόμενον σκόπει. — 15. *Natura hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat. Nubilo serena succedunt; turbantur maria, cum quieverunt: flant invicem venti; noctem dies sequitur: pars caeli consurgit, pars mergitur: contrariis rerum aeternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est,* Senec. Ep. CVII. Etiam Boeth. Consol. Philos. II. pr. 2, ubi Fortunam ita loquentem inducit: *An ego sola meum ius exercere prohibebor? Licet caelo proferre lucidos dies, eosdem tenebrosis noctibus condere. Licet anno, terrae vultum nunc floribus frugibusque redimire, nunc nimbis frigoribusque confundere,* caet. Vide qua ἐναργείᾳ eandem sententiam Noster extulerit. Generalis notio erat: Natura suas vices experitur, continuo immutatur eius facies. Pro hac poeta: *Iupiter,* tanquam omnis tempestatis arbiter (v. ad I. 12. 15. adde Aristoph. Avv. 1502. τί γὰρ ὁ Ζεὺς ποιεῖ; ἀπαιθριάζει τὰς νεφέλας, ἢ συνέφει;) *reducit hiemes,* adducit *h.;* sed alterum non sine virtute positum videtur, utpote in re, quae iteratis vicibus accidit, designanda. Sic *Sol siccos dies refert* III. 29. 20. *bruma recurrit iners* IV. 7. 12. — *informes,* quae gratam naturae faciem deformant, squalidae, tristes. *Deformem hiemem* similiter dixit Sil. III. 489. et Iuven. IV. 58. — *idem summovet,* pellit, adeoque serenitatem reducit. Sententia satis expedita: laetis tristia, tristibus laeta invicem succedunt. Idem orationis color in fragm. Comici apud Grot. in Exc. p. 913. Χειμὼν μεταβάλλει ῥᾳδίως εἰς εὐδίαν; et Theocr. δ. 41. et 43. Θαρσεῖν χρή, φίλε Βάττε· τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμειον. Καὶ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πίλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει, *Splendet saepe, ast idem nimbis interdum nigret,* ut fere ad verbum Attius, cuius fr. extat apud Nonium: v. Fragm. poett. lat. Steph. p. 17.

v. 17. *sqq.* Posteriorem sententiam iam amplificat et exornat

Sic erit: quondam cithara tacentem
Suſcitat Muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.

Rebus

nat poeta. Aurea vero plane penitusque animo infigenda ſententia, qua te, aerumnis miſeriisque, quas ingenuus pudor proferre vetat, oneratum atque obrutum, erigas et confirmes: *Non, ſi male nunc*, ſi nunc peſſima rerum tuarum eſt conditio, cuius moleſtiſſimus ſenſus te vel a iucundiſſimis ſtudiis ſubinde avocet, *et olim ſic erit*, eadem perdurabit; laetiora aliquando *his* triſtiſſimis ſuccedent tempora. — 18. Neque enim Dii ſemper iraſcuntur hominibus, h. iis calamitates infligunt; ſed et aliquando ſunt laeti, h. propitii, recreant homines miſeriis oppreſſos. Exquiſita converſione doctrinaque hanc ſententiam inſtruxit poeta. Pro Diis in genere eſt Apollo; is laetus eſt, ubi citharam pulſat: triſtis contra atque iratus, arcu adducto. Oratio in his ornatiſſima. *Apollo ſuſcitat*, excitat *Muſam*, elicit, edit ſonos, pulſa *cithara*, tactis chordis, ἐγείρει (ſic *Muſaea mele per chordas expergefacta* Lucret. II. 413. contra Μοῦσα ἄϋπνος ὑπ' ἄντυγι χορδᾶν Eurip. Hippol. II. 1135.) ἐρεθίζει (v. c. Theocr. XXI. 21.) Μοῦσαν. Graecum loquendi uſum facile obſerves. Sic Pan Hom. H. in eund. v. 15. δονάκων ὑπὸ Μοῦσαν ἀϋτέειν, idem Eurip. El. 703. Μοῦσαν ἡδύφρονον ἐν καλάμοις πνέειν, et Alcaeo Meſſ. c. XII. (Anal Br. I. 489.) Μοῦσαν ἐμπνεῖν χείλεσι dicitur. Μοῦσα βαρύβρομος αὐλῶν eadem ratione dicitur Ariſtoph. Nub. 312. — *tacentem*, σιωπηλὴν (Callim. H. Ap. 12.) ad citharam proprie ſpectat, quae aliquamdiu ſepoſita fuerat; ſed ſuaviter τῷ *Muſam* adiectum. Caeterum Apollo κιθαρίζων in Monumm. antiquis ſatis obvius, ubi τὸ κεχηνὸς, quod in eius ore animadvertitur, vultum eius laetitia diffuſum deſignare videtur. — 19. 20. Non ſemper peſtem, ac calamitates immittit, *arcu tento*, telis iactis. His enim illa infligi ab Apolline credita; res notiſſima vel ex Hom. Il. I. 59. Addo Stat. Th. I. 658. Hinc *mitis placidusque* idem *condito telo* dicitur Carm. Saec. 33. Caeterum eadem imagine Salei. Baſſ. ad Piſon. 140. (Werusdorf. Poet. min. IV. 262.) *Ignea quin etiam Superum pater arma recondit, et, Ganymedeae repetens convivia menſae, pocula ſumit ea, qua geſſit fulmina, dextra.*

Rebus angustis animosus atque
Fortis adpare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

v. 21 — 24. Quocirca *appare*, esto, praesta te *animosum*, μεγαλόφρονα, qui malis non succumbat, erectum, ac *fortem* in *rebus angustis*, adversis; animi fortitudinem et constantiam rebus adversis oppone. *Res artae* similiter Sil. XIII. 773. *Pigra extulit artis haud unquam sese virtus*, fere ut Iuven. III. 164. *Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat* res angusta *domi*. Cf. Burm. ad Nemes. p. 529. — 22. *idem* in secundis rebus ne animos tollas, moderato secundam fortunam fer animo. Senec. Ep. XCVIII. *rectus atque integer — dura atque aspera ferendi scientia mollit; idemque et secunda grate accipit modesteque, et adversa constanter atque fortiter.* Cf. III. 27. 74. et IV. 9. 35. 36. Docta hanc sententiam allegoria, a navigatione, quacum sollenni more vita comparatur, ducta, repraesentat poeta. *Vela vento secundo nimium turgida* (ita iunge) *contrahes*, tempera, moderare cursum navis, vento secundo abreptas, adductis, demissis velis. Ovid. Trist. III. 4. 32. *formida nimium sublimia semper, propositique memor contrahe vela tui.* Senec. Ep. XIX. *Hic te excitus manet, nisi iam contrahas vela, nisi terram leges.* Propert. III. 7. 30. *in tenues humilem te colligis umbras, velorum plenos subtrahis ipse sinus.* Eadem a navigatione petita imagine Pind. Isthm. Δ. 10. ἄλλοτε δ' ἀλλοῖος εὖρος πάντας ἀνθρώπους ἐπαΐσσων ἐλαύνει. Epigr. ἀδέσπ. DCCXLIII. (Anal. Br. III. 313.) Ζῆθι κάλων τείνας οὔριον ἐυφροσύνᾳ, uti emendavit hos vv. Valken. in Diatr. Eurip. p. 233. Paulo aliter Eurip. fr. Inus n. XIX. μήτ' εὐτυχοῦντα πᾶσαν ἡνίαν χάλα, κἀκῶς τε πράσσοντ' ἐλπίδος κεδνῆς ἔχου· et Seneca de Tranqu. IX. *Non potest, inquam, tanta varietas et iniquitas casuum ita depelli, ut non multum procellarum irruat magna armamenta pandentibus; cogendae in arctum res sunt, ut tela in vanum cadant.*

CAR-

CARMEN XI.

ARGVMENTVM.

Monet atque exhortatur Quinctium hoc carmine poeta, ut missis omnibus, quae animum disturbare possint, se totum hilaritati tradat, vitamque quam incundissime transigat; quandoquidem vana prorsus omnis futuri sollicitudo sit in tam angusto vitae termino, illudque maxime aetatis tempus, quod fruendis vitae voluptatibus unice accommodum sit, citissime praeterlabatur. Tum insurgit poetae affectus, illicoque genio vino atque epulis litandum suadet. Quo quidem artificio singulari totum carmen animari, legentiumque sensus vivide impelli ad laetitiamque pertrahi, vel hebetiores intelligent. Omnino, quum idem argumentum saepius iisdemque fere momentis, quod quidem vix aliter fieri poterat, pertractaverit poeta, ubertatem ingenii eius vel inde cognoscere licet, quod et totius carminis habitum, et singulas sententias phantasmatum varietate, diversoque orationis cultu ita refinxerit, ut novam semper tibi faciem obiici, novumque argumentum pertractari tibi persuadeas. Caeterum de Quinctio hoc Hirpino, ad quem hoc carmen et Ep. 16. l. 1. scripsit poeta, nihil aliunde constat; fuisse eum natura anxium, reique suae, futuri metu, paulo intentiorem etsi ex ipso carmine haud temere statuere licet; parum tamen recte facere videntur ii, qui Quinctium

ctium vere de Cantabris et Scythis laborasse, indeque agris suis metuisse, ex initio carminis colligunt, immemores prorsus, speciali metus genere, quod tempora ista suppeditarent, sollicitudinis notionem a poeta docte designari solere. Cf. I. 26. ubi similiter tumultuati in pp. Ex hoc autem ornatu poetico plane perspicuum fit, scriptum hoc carmen ante a. DCCXXXIV. quo demum Cantabros ab Augusto perdomitos Scythasque a Lentulo repressos esse constat.

AD

AD QVINCTIVM.

Quid bellicosus Cantaber, et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Hadria
Divisus obiecto, remittas
Quaerere: nec trepides in usum
Poscen-

v. 1—4. Exquisita ac docta conversio sententiae primariae: Sectare vitae voluptates, hilarem sume diem, indulge genio. Pro hoc inversa ratione erat: Nulla animum tuum conturbet sollicitudo, omnia, quorum sensus molestus est et iniucundus, a te aliena existimato. Vide, qua arte hanc sententiam exornaverit poeta. *Remittas*, mittas, omittas (ut I. 38. 3. III. 29. 11. V. 13. 7.) noli *quaerere*, sollicitus esse (v. ad I. 9. 13.) ne angaris animo, ne periculorum impendentium metu excrucieris. Pro periculis in genere specialiori notione poeta: quae bella nobis imminent; et pro hoc, e temporum istorum ratione: *quid Cantaber et Scythes*, Cantabri et Scythae, gentes *bellicosae*, (ad utrumque enim refer) *cogitent*, minentur (ut Virgil. Ge. I. 462.) num Cantabri et Scythae novas res molituri sint, bello (quam notionem τῷ *bellicosus* docte indidit poeta) nos agressuri sint. Cantabri et Scythae, Istri accolae, ad partes vocantur, cum dilectu; nam hi crebris incursionibus fines Romanorum fatigabant, (v. ad II. 9. 23.) illi autem *pertinaci in rebellando erant animo*. (Flor. IV. 12.) — *Adria*, mari Adriatico *obiecto* opposito, (ut Virg. Aen. X. 377. *maris magna claudit nos obiice pontus*) interiecto *divisus*, ab Italia seiunctus, (ut *divisi toto orbe Britanni* Virg. Ecl. I. 67. adde Catull. LXIV. 179.) qui ultra mare Adriaticum habitat, longe adeo a nobis disitus est. Neque enim ita accipiendum, ac si Scythae littorales maris Adriatici plagas tenuerint, cum Illyricum et Pannonia inter eas et Scythas intersit; sed illud potissimum nominat poeta, quo maior locorum longinquitas difficultasque rei appareat. Adiecta vero haec a poeta ad exornandam sententiam; nihil amplius. Fuere tamen, qui, forte his maxime inducti, Quinctium vere de his populis laboraſſe, ac, ne forte in Italiam descenderent, metuisse, satis in-

Poscentis aevi pauca. Fugit retro
Levis Iuventas, et Decor; arida

Pel-

docte inde colligerent. Sed eadem est in his poetica ratio, quae I. 26. 3-5. — 4. neve metu futuri, ne aliquando deficiat, unde vitam toleres, conturberis, sicque praesentis temporis fructum tibi auferri sinas, quum paucis opus sit ad vitam beate agendam. Iam expende doctam brevitatem, qua vim vulgari huic sententiae adiecit: *trepides aevi* sc. caussa, sollicitus sis de eo, unde vivas; cum vita *pauca poscat*, paucis indigeat *in usum*, ut ea perfruaris. Mire alii novum hoc de vita iucunde transigenda praeceptum cum antecedentibus cohaerere, Quinctiumque, quem aliquam bonorum suorum ex istorum populorum incursionibus iacturam metuisse ponunt, eo consolari volunt Horatium, quod ad vitam sustentandam paucis natura opus habeat, illudque adeo damnum aequo ferendum sit animo. Si quid omnino argutandum, mallem Quinctium angendae rei paulo intentiorem, qui adeo partis abstineret, vitaeque sibi ipse fructum interciperet, his a poeta levitor notatum dicere.

v. 5 — 8. *Aetas* enim iuvenilis, quae sola fruendis vitae deliciis apta est, *quam oito* (Tibull. I. 4. 27.) *transiit!* Suavissimo phantasmate hoc repraesentavit Horatius. Dum in prima aetate constituti sumus, adest ad latus *Iuventas* dea cum comitatu suo, *Decore*, *Amoribus*, *Somno*; dum aetate provehimur, illa a *Senectute*, quae nos excipit, pulsa *retro fugit*, recedit, nos deserit. Scilicet nobilitavit sic poeta vulgarem loquendi rationem, qua *anni*, quos vixerimus, *recedere*, quosque attingimus, *venire* dicuntur. Noster A. P. 175. *Multa ferunt anni venientes commoda secum, multa recedentes adimunt.* Stat. Theb. III. 215. *Iuxta illi finis et aetas tota retro.* *Levem* Iuventam quo sensu h. l. Horatius dixerit, vix certo pronuntiare licet. Potest oppositum videri senectuti *gravi*, severae, ut apud Tib. I. 1. 73. *Nunc levis est tractanda Venus.* Esset adeo Iuventas in lusibus occupata, amori vacans, ut I. 6. 15. et alibi. Potest et iungi: *levis fugit*, h. celerrime aufugit, satis docta et apta h. l. ratione. Cf. Virg. Aen. V. 819. VI. 17. Praestat tamen vel sic, meo quidem iudicio, pro perpetuo Iuventae epitheto accipere h. l., ut *Iuv. levis* sit imberbis, mollis, tenera, ut oppon. Senectuti *aridae*, rugosae. Sic *levis Agyieus*,

Pellente lascivos Amores
Canitie facilemque Somnum.

Non semper idem floribus est honor
Vernis; neque uno Luna rubens nitet
Vultu: quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?

Cur

eus, λεῖος ὑπάναν, IV. 6. 28. quatenus *aeterna* est *Phoebo iuventas* Tibull. I. 4. 37. — *Decor*, pulchritudo, quae e concinno membrorum habitu elucet. Nota Tibulli: *Illam quidquid agit, quoquo vestigia movit, componit furtim subsequiturque Decor.* — *arida pellente* caet. Continuanda poetae sic erat oratio: fugit (fugiunt) Iuventas et Decor, a Senectute pulsi, accedente Senecta; sed istis docte Iuventae comites substituit, Amores et Somnum. *Canities*, Senectus (ut I. 9. 17.) *arida* sicca, macilenta, rugosa. v. ad I. 25. 19. adde Claudian. in Eutrop. I. 269. — *pellit Amores*, respuit, exstinguit amorem, τὸ γῆρας τὴν Κύπριν χαίρειν ἐᾷ Eurip. fr. Aeol. n. XIX. — *lascivos*, τρυφῶντας, lusibus deditos, perpetuo Amoris et aetatis iuvenilis epitheto. — *facilis* Somnus, qui facile obrepit, oppos. senum insomniis.

v. 9. Sollennis fere a naturae vicissitudine iuventutis cito transeuntis ducta imago. Eodem plane colore Tibull. I. 4. 28. *transiit aetas quam cito! non segnis stat remeatue dies. Quam cito purpureos deperdit terra colores! quam cito formosas populus alba comas.* Strato LXXIII. 3. 4. ἄνθος γὰρ καὶ κάλλος ἴσον χρόνον ἐστὶ λαχόντα, ταῦτα δ' ὁμοῦ φθονέων ἐξεμάρανε χρόνος. *Honor*, decus, pulchritudo (ut saepissime poetis) florum *non eadem semper est*, mutatur, non perdurat, perit, flores cito flaccescunt. — 10. Neque luna *uno* eodemque *vultu rubens nitet*, quod copia poetica dictum pro, rubet, nitet, resplendet; luna non eandem faciem servat, variat vultum, crescendo ac decrescendo; unde optime temporum decursio facta perspicitur. Cf. II. 18. 16. Male alii de rubicundo Lunae colore hic cogitant. — 11. 12. Quum igitur res omnes fluxae sint, in tanta aetatis iuvenilis brevitate, *quid fatigas*, exerces, affligis *animum consiliis*, quid consilia capis *aeterna*, quae vitae humanae spatium egrediuntur; tan-

 quam

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes ſic temere, et roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque nardo
Pota-

quam immortalis ſis; cur futuri temporis cogitatione perturbaris, curis animum obruis *minorem*, quibus par non eſt, quibus ſuccumbit, quibus penitus affligitur. Forte tamen maior vis ſententiae accedit, ſi explices: quid curis futuri tantopere te excrucias, tanquam aeternum victurus ſis, cum *minor* ſis, cum vitae tuae breve admodum ſit ſpatium, ut animus *minor* opponatur *aeternis* conſiliis, curis de vita ſempiterna.

v. 13. ſqq. Quin abiice vanas iſtas curas, nec praeſens, quo frui licet, temere tibi elabi tempus ſine. Sollennis Horatii ab anguſto eodemque incerto vitae termino, ne praeſentis temporis fructum deſeramus, aut in craſtinum differamus, admonitio. Cf. I. 4. 15. et 9, 13. II. 3. 15. IV. 7. 7. et 12. 26. V. 13. 3. Miram vero ἐνάργειαν habet, quod poeta, in aliis hilaritatis ſenſum excitaturus, ipſe in voluptate quaſi bacchatur, illicoque compotationem in amoena regione (qua fere Noſter vitae ſuavitates declarat; v. II. 3. 9. et ad I. 1. 19.) iubet inſtruere, inſtructamque iam animo praecipiens convivas ad bibendum exhortatur. Cf. II. 3. 9 ſqq. Ipſam quoque orationem vivido hoc poetae affectu afflatam animatamque facile obſerves. Pro umbra arborum in genere cum dilectu memorantur pinus et *platanus*, quandoquidem iſta arbor *patulis diffuſa ramis*, (Cic. de Orat. I. 7.) ἀμφιλαφὴς (Apoll. Rh. II. 735.) *potantibus umbras miniſtrat*, Virg. Ge. IV. 146. Facit huc Platonis locus in Phaedr. p. 338. ἥτε γὰρ πλάτανος αὐτὴ μάλα ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλή, τοῦ τε ἄγνου τὸ ὕψος καὶ τὸ σύσκιον πάγκαλον. Cf. Wernsd. ad Poet. Min. III. p. 271. Ad ſententiam poetae forte ſpectabat Philetae locus, cuius fragm. extat apud Athen. V. p. 192. Θρύπτεσθαι πλατάνῳ λασίῃ ὕπο, uti feliciter illud ſanavit amicciſſ. Heinrich. Obſſ. p. 56. — *Vel vel* praeclare poetam morae impatientem deſignat; uti nec τῷ *hac* ſuavitas ſua deeſt. — *ſic temere*, οὕτωσὶ παθεζόμενοι (v. Abreſch. Animadvv. ad Aeſchyl. T. II. p. 597.) ἀνειμένως, fuſi per herbam, membris ſtratis, ut I. 1. 21. Sic Stat. Th. X. 276. *temere explicitus ſtratis* dicitur, membris ſomno roſolutis. — et *roſa odorati capillos*, ornate pro

Potamus uncti? Disſipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocius
Reſtinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?
Quis

pro roſis odoris, roſeis ſertis redimitos habentes capillos, caput roſeis ſertis coronantes. v. ad I. 5. 1. — *canos*, albeſcentes, qui adeo nos de ſenectute accedente admoneant. Forte Quinctius maior natu erat; forte etiam, hocque verius puto, graecum Horatius ante oculos habuit exemplum. Anacr. XXXVI. πολιαὶ στέφουσι κάρα· δὸς ὕδωρ, βάλ' οἶνον, ὦ παῖ· qui locus mire quoque cum ſqq. conſpirat. — *nardi* unguentum pretioſiſſimum veteribus habitum. v. Plin. XII. 12. cf. Medical Facts T. 1. p. 67. ναρδολιπεῖς πλοκάμους dixit Myrin. II. 4. (Anal. Br. II. 107.) Eandem vocem Callimachi fr. CVI. 2. ξανθὰ σὺν εὐόδμοις ἀκραλιπῆ στεφάνοις haud infeliciter ingerebat Toup. ad Suid. III. 55. legendo ξανθὰ ναρδολιπῆ. — *Aſſyria* v. ad I. 31. 12. et II. 7. 8. 17. *Evius* Bacchus *disſipat*, abigit, pellit animo *curas*, οἶνον τοι, Μενέλαε, θεοὶ ποίησαν θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἀποσκεδάσαι μελεδῶνας apud Athen. II. 1. p. 35. Nota Anacreontea (IV. 18.): σκεδάσαι θέλω μερίμνας. Theogn. 863. τοῦ πίνων αἰεὶ μὲν χαλεπὰς σκεδάσεις μελεδῶνας caet. Cf. I. 18. 4. II. 7. 21. — *edaces*, γυιοκόρους μελεδῶνας (Heſiod. ἔργ. 66.) aegritudinem, quae *lacerat, exeſt animum, planeque conficit*, ut Cic. Tuſcul. III. 27. Sic *Tityum exeſt anxius angor* apud Lucret. III. 1008. *penitus moeſtus exedit cura medullas* Catull. LXVI. 23. cf. Ruhnken. Ep. Cr. I. p. 81.

v. 18—20. Repleantur vino pocula; pro hoc e veteri more: Miſceatur, temperetur vinum aqua. Similiter increpat puerum Tibull. III. 6. 57. *Naida Bacchus amat; ceſſas, o lente miniſter? temperet annoſum Marcia lympha merum.* et ib. v. 5. *Larga puer*, (apage illud frigidum, quod libros obſedit, *care puer*) *madeant generoſo pocula Baccho; i, nobis prona funde Falerna manu.* Obſerva exquiſitum orationis ornatum. Pro vino eſt Falernum, tanquam praeſtantius; et pro Falerno ſunt *pocula Falerni* (ut *pocula Maſſici* I. 1. 19.) *ardentis*, ab effectu, namque φλὸξ οἴνου θερμαίνει (Eurip. Alc. 761.) corpus. Hinc praeclare *reſtinguere* eſt pro, temperare merum *lympha praetereunte*, e proximo fonte

Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? eburna, dic age, cum lyra
Maturet, in comtum Lacaenae
More comam religata nodum.

petita, aqua admixta, miscere vinum.

v. 21 — 24. Adsit psaltria. Hae enim in commissationibus adhiberi solitae. v. I. 36. 13. *Scortum* vocat poeta, quod istarum pudor facile expugnari poterat. Quod vocabulum non tam abiectum fuisse apud Romanos, vel hic locus ostendit. — *devium*, quod in devia, remota urbis parte, in angiportu habitat. Minus vulgare fuisse scortum, parum recte cum Lamb. et aliis inde edgas. Cruqu. fidicinam domos oberrantem intelligebat; at ista *domo elici* non poterat. — *eliciet*, evocabit domo, adducet, arcesset. — 22. Apprime turbatum laetitia poetae animum decet, quod τῷ *quis* certam statim personam substituit, puerum alloquendo. — *maturet*, properet huc, adsit illico cum lyra. Plenior oratio postulabat: maturet venire. — 23. 24. *religata*, ligata *comam*, comas colligens *in nodum*, ne comae eleganter pectendae disponendaeque studium moram afferat, *comtum*, quo satis comta videri debet. Nisi poetica ratione est pro: comam comtam habens, componens in nodum, crinibus in nodum collectis. Talis vero habitus in monumm. satis obvius. — *more Lacaenae*, puellae Spartanae. Quae res etsi aliunde non constet, ex hoc ipso tamen loco, feminas Spartanas ita comtas fuisse, abunde perspicitur.

CAR-

CARMEN XII.

ARGVMENTVM.

Augusti res gestas a Maecenate scribere iussus poëta, sublimi huic argumento lyricam Musam suam, quae levibus tantum rebus amatoriisque ludicris fere contineatur, omnino sufficere negat, ipsumque Maecenatem vicissim, ut illud historice persequatur, sedulo hortatur. Summum poetae artificium in argumenti huius tractatione facile animadvertas. Dum enim lyram suam gravioribus argumentis pertractandis convenire negat, in hac ipsa professione, taliumque argumentorum enumeratione spiritum prodit excelsissimum, dumque Augusti res gestas cum talibus exemplis componit, exquisitissime simul eas extollit. Simillimi coloris est L. I. c. 6. Iam pro levibus argumentis, quibus se unice parem profitetur, in specie commemorat atque vere canit Licymniam (haud dubie libertinam aliquam) cuius vehementissimo amore adeo se teneri ait, ut animus, in hac defixus, ne aliam quidem nunc cogitationem admittat. Vnde simul apparet, Licymniam vix alius, quam Horatii amicam haberi posse. Maecenatem autem vere historiam Augusti molitum esse, tradit Plin. VII. 45. Caeterum idem argumentum iisdem coloribus expressit, ac plane e Nostro adumbravit Propert. II. 1.

AD

AD MAECENATEM.

Nolis longa ferae bella Numantiae,
Nec durum Hannibalem, nec Siculum mare
Poeno

v. 1. *sqq.* Ego canendis Augusti laudibus plane me imparem sentio, res eius gestas carmine lyrico digne describendi facultatem mihi vix arrogem; multo melius tu eas soluta oratione persequi poteris. Vide qua dignitate vulgarem hanc sententiam ornaverit. *Nolis*, ne iubeas, ne poscas, ne iniungas mihi, *aptari* a me, ut aptem, accommodem gravia carminum argumenta *citharae modis*, citharae sonis *mollibus*, lyrae molli, leviori tantum argumento aptae, ut graviora argumenta ad lyram meam canam. Invertit vero poeta orationem; nam proprie dicendum erat, *aptare* aptos efficere *citharae modos* carmini, lyram ita temperare, ut eius soni respondeant cantui, referant carminis argumentum, fidibus vel fortius adductis, vel remissis, vel plane immutatis. Cf. Anacr. I. 5. 6. Propert. II. 8. 14. *Nunc aliam citharam me mea Musa docet.* Eadem exquisitiore ratione usus est Propert. III. 2, 35. *Haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis aptat. Aptos citharae modos conciliare* ex imitatione Horatii dixit Vestrin. Spurinna I. 18. (Poet. min. III. 355.) Forte tamen *aptare* h. l. simpliciter est coniungere, sociare, ut IV. 9. 4. *verba socianda chordis.* cf. Ovid. Her. XV. 13. *Modi molles* de argumento carminum levi, amatorio, iocoso. Cf. Ovid. Trist. II. 349. Virg. Cul. 34. v. ad II. 9. 17. *Durus* contra *poeta* (Propert. II. 25. 45.) *durus versus* (Prop. II. 1. 41.) de gravi, epico carmine. Iam pro grandibus carminum argumentis docte talia nonnulla enumerantur a poeta, atque ea quidem, quae satis illustria virtutis Romanae documenta constituunt, bella Punica et Numantinum. *Numantia*, Hispaniae Tarraconensis urbs, obsidione Romanorum, quam per annos XIV (iuxta Flor. II. 18.) vel XX (iuxta Strab. III. p. 246.) insigni cum hostium clade sustinuerat, funestoque interitu celeberrima. Hoc enim nomine ὀνομαστοτάτην eam vocare videtur Strabo l. l. Hinc bella *longa*, et Numantia *fera* dicta, cuius incolae, *in altimam rabiem*

Poeno purpureum ſanguine, mollibus
Aptari citharae modis:

Nec ſaevos Lapithas, et nimium mero
Hylaeum: domitosve Herculea manu

Tel-

rabiem furoremque converſi, duces ſuos ſeque, patriamque ferro et veneno ſubiectoque undique igne peremerunt, Flor. l. l. — 2. Bella Punica declarat poeta per Hannibalem et pugnas navales ad Siciliam primo Punico bello geſtas, cum virtute; nam Romani in his ſuperiores disceſſerant. Hannibal *durus* dicitur, cuius *nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat; caloris ac frigoris patientia par* caet. Liv. XXI. 4. — *mare purpureum*, tinctum, infectum *ſanguine Poeno*, Carthaginienſium, quod *totum inter Siciliam Sardiniamque laceratae Carthaginienſium rates naufragio ſuo operuerunt*, Flor. II. 2. Idem orationis color II. 1. 35.

v. 5—8. Hiſtoricis mythicae antiquitatis exempla ſubnectit poeta, ſollenni more. Similis ſententiarum progreſſio in Virg. Cul. 26. ſqq. *Canit non pagina bellum, Phlegra Giganteo ſparſa eſt quo ſanguine tellus; nec Centaureas Lapithas compellit in enſes, — mollia ſed tenui percurrere carmina verſu gaudet.* adde Prop. II. 1. 19-40. — *Lapithas et Hylaeum*, Lapitharum cum Centauris pugnam, a poetis, qui Herculis et Theſei res geſtas exponerent, pertractatam. Memoratur et Meliſandri Λαπιθῶν καὶ Κενταύρων μάχη Aelian. XI. 2. De hac fabula v. ad Ovid. Met. XII. 220. et Heyn. ad Virg. Ge. II. 457. Cf. I. 18. 8. — *ſaevos*, in furorem a Marte coniectos, unde pugnae originem quidam ducunt. Cf. Virgil. Aen. VII. 304. Stat. Th. VII. 204. Simplicius tamen fuerit *ſaevos* accipere, ira incenſos, furentes, pugnantes cum Centauris, quod et verius puto, quum vulgarem narrationem, quae rixae et inde pugnae ortae cauſſam a Centaurorum ebrietate, *libidine geminata* (Ovid. l. l.) repetit, Horatius h. l. ſequi videatur. Ebrios enim Centauros deſignat per *Hylaeum nimium mero*, mero immoderate hauſto incenſum, cum dilectu; is enim, Hippodamiam adortus, pugnae maximo auctor perhibetur. *Nimius mero* adeo non ſimpliciter eſt, vino inebriatus, ſed, qui vino largius poto calefactus ad libidinem

Telluris iuvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: Tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Mae-

dinem proclivior factus erat, ἀκρατὴς γενόμενος ἐπιθυμιῶν. — 6-8. Nec Gigantomachiam a me exspectes. Hanc declarat poeta per *Telluris iuvenes*, filios, γηγενεῖς, Gigantas, *Herculea manu*, ab Hercule *domitos* ac prostratos. Maximae in hac pugna partes datae Herculi; res nota. Adi vel Apollod. I. 6. 1. cf. ad II. 19. 21. — 8. *unde periculum* caet. ornatissime pro, caelum escendere conantes, iter caelo affectantes. *Unde*, ὅθεν, a quibus (plane ut I. 28. 28.) *contremuit* caelum, totum caelum *tremuit periculum*, quorum incursu periclitatum est, extimuit, ne ab istis expugnaretur, caelum. Caelum contremiscit, diis, in eo versantibus, in terrorem coniectis. Claudian. de B. Get. 63. *ipsumque Iovem, turbante Typhoeo, si fas est, tremuisse ferunt* caet. Pro caelo est *fulgens domus Saturni*, Ζανὸς πολύχρυσος οἶκος, (Eurip. Hippol. 69.) quam splendide! Διὸς οἶκον similiter caelum appellat Theocr. XVII. 17. et alii. *Fulgorem* non de caelo *stellis fulgentibus apto* (Virg. Aen. XI. 202.) acceperim, sed quatenus omnia Deorum *aurea* poetis finguntur. Ita Homerus Deorum *sedes lucidas* (III. 3. 33.) vocat δώματα μαρμαίροντα, αἰγλήεντα. — *veteris*, prisci (v. Markl. ad Stat. Silv. III. 4. 47.) πρεσβυτάτου μακάρων, (uti Cronum Orpheus vocat Lapid. 18. 31.) spectat enim eius (uti *Croni* Graec.) cultus ad antiquissima tempora.

v. 9 — 12. Nemo intpp. de nexu horum vv. cum antecedentibus, ut ita dicam, grammatico ne γὲ quidem monuit, quum tamen facile quisque in τῷ *que* τῷ *tu* adiecto haereat. Scilicet vulgaris connectendae orationis modus erat: *Nolis* exponi a me bellum Numantinum, aut Punicum, Lapitharum cum Centauris pugnam, Gigantomachiam, *et res a Caesare egregie gestas, quas tu* multo melius caet. Sed, ne enumeratio talium argumentorum, ipso contextu apposita, iusto protractior videretur, variavit orationem, ipsique transitioni posterius membrum, quod solum ad Maecenatem spectaret, poeta intulit, ita tamen, ut incomtioris orationis, qualis pri-

Maecenas, melius, ductaque per vias
Regum colla minantium.

Me dulcis dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum

Ful-

primum poetae animo obversaretur, retento τῷ *que* remanserint vestigia. Paulo duriorem hanc rationem meo iudicio videri etsi non negem; verissimam tamen eam, excusandumque hactenus puto poetam, quod illud naturalem orationis ordinem aperiat, sicque perspicuitati inserviat. Praeclare vero poeta in Augusti laudibus, ad quas solas canendas eum a Maecenate excitatum fuisse maxime probabile est, tanquam primario argumento subsistit, easque urbanissima conversione ipsi Maecenati celebrandas delegat. Melius] tu *dices*, expones, *pedestribus hist.* historia pedestri, h. soluta oratione conscripta, prosa oratione enarrabis historiam Augusti. Pro hoc magnifice, *proelia Caes.*, bella ab eo gesta, actosque eius triumphos. Hos exornat, oculisque fere subiicit commemorando *regum colla ducta*, *c.* regum ductorum, reges catenis, collo circumdatis, ductos ante currum triumphalem; sed alterum γραφικώτερον. Eodem plane colore Propert. II. 1. 33. *Aut canerem regum auratis circumdata colla catenis.* Ovid. Trist. IV. 2. 45. *Collaque Romanae praebens animosa securi vincula fert illa, qua tulit arma, manu.* — *per vias* urbis, maxime per Sacram viam, (V. 7. 8.) quae triumphantes in Capitolium ducebat. — *minacium*, ferocium adhuc, (ut Ovid. l. l. 51.) in ipsa morte iras spirantium.

v. 13. Equidem levia tantum argumenta tractare possum, in lusibus ac iocis unice Musa mea occupatur. - Pro hoc suaviter poeta: Licymniae soli vacare nunc possum, huius pulchritudo ac gratia omnes meas ad se convertit cogitationes, in huius laudibus celebrandis nunc totus sum. Suaviter haec Augusti triumphis opponit poeta. *Me*, *me* cum vi repetitum ut I. 6. 17. *Nos* convivia, *nos* caet. *Musa voluit*, iubet, excitat me *dicere*, cantare, extollere *dulces cantus*, suavem vocem *Lic.*, quam scite ad lyram canat Licymnia. Erat adeo citharistria et psaltria, uti Chloë *dulces docta modos et citharae sciens* audit III. 9. 10. Alii ita iungunt: Musa me vol. dulces cantus

Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus:

Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare ioco, nec dare brachia

Lu-

tus dicere, edere, Licymniae (tertio casu) Licymniam celebrare; sed exquisitior est altera ratio, qua poeta in Licymniae laudes statim digreditur. Tum epith. *dulces* sic nullam fere vim habet. Etiam sqq. stant pro altera ratione. *Dominae*, amatae a me; noto loquendi more. — *Oculos lucidum*, lucide *fulgentes*, ὄμματα μαρμαίροντα, parte tantum pulchritudinis eius laudata. — 15. 16. Et fidem, constantiam eius in amore. *Pectus fidum amoribus mutuis* animus, qui fidem vicissim servat in amore, qui constanter redamat. *Amor bene mutuus*, (ita enim iunge. Male alii: *bene fidum*, p. quod languet) qui alterum iuvat, quo beatissimus sibi amator videtur. *Iuvat hoc, Cerinthe, quod uror, si tibi de nobis mutuus ignis adest*, Tibull. IV. 5. 5.

v. 17 — 20. Quae et in quovis saltationis genere excellit. *Non dedecuit*, dedecet (ἀορίστως) eam *ferre pedem*, incedere (ut Tib. II. 1. 30.) h. decenter, scite movet pedem choris, τίθησιν ἐς χορὸν ἴχνος σὺν ἀγλαΐᾳ (Eurip. Electr. 859.) Intellige autem de incessu chori ad gravitatem composito: cui opponitur *iocus*, saltatio ludicra, lasciva, forte mimica; quo in genere Licymniam non dedecebat *certare* cum aliis, cum virtute ea certare poterat, in quo adeo eminebat, primas tenebat. *Iocari* autem proprie de mimis, Ovid. Trist. II. 497. — nec dedecet *ludentem*, παίζουσαν (v. c. Homer. H. in Apoll. 201. Hesiod. Scut. Herc. 282.) saltantem, et hoc pro tenui, eam, *dare brachia*, brachia concinne movet atque implicat *virginibus*; quam graphice! In brachiorum motu inter saltandum molli et ad numeros facto omnino maxima virtus erat: unde frequentissima eius rei mentio apud veteres. Ovid. A. A. I. 595. *Si vox est, canta: si mollia brachia, salta.* Ibid. II. 305. *Brachia saltantis, vocem mirare canentis.* Et III. 349. *Quis dubitet quin scire velim saltare puellam, ut moveat posito brachia iussa mero.* Idem Remed. 334. *Fac saltet, nescit si qua movere manum* cf. et v. 754. Stat. Silv. III. 5. 66. *Candida seu molli diducit*

Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianae celebris die.

Num tu, quae tenuit dives Achaemenes,
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes,

Per-

diducit brachia motu. — 20. In choreis, in Dianae honorem institutis. Facile intelligitur, ad domesticam religionem festamque laetitiam, qua publicam privatim prosequerentur, has referendas esse, cum libertinae, quae erat Licymnia, a publicis ac sollennibus istis saltationibus exclusae essent. Cf. A. P. 232. Erant autem plures per annum dies Dianae sacri; unde et *celebris* audit, a Romanis religiosissime culta; virgines autem, quibuscum saltat, *nitidae* dictae, eleganter comtae et ornatae, ut in die, Dianae sacro.

v. 21. *sqq.* Vulgaris continuandae orationis ratio ferebat: Musa me voluit dicere crines Lic. pulcherrimos; pro hoc, ex amatoris affectu: quos maximis opibus antepositurum, auro mihi pretiosiores. Iam hosce de puellae suae pulchritudine sensus, quos omnium vana amantum persuasio esse existimat, cum Maecenate communicat, huiusque eleganti iudicio Licymniae dotes vel maximis opibus potiores visum iri certo confidit. Atque haec paullo insolentior sententiae inflexio et omnino lyricae poeseos indoli, maxime vero amoris, quem vehementissimum oratio prodit, enthusiasmo convenit. Tum Maecenatem ipsum istis compositionis ambagibus, orationisque novitate et soliti ordinis commutatione mire delectatum fuisse constat vel e Senec. Ep. CXIV. ad cuius gustum Nostrum se subinde composuisse, vix dubitare licet. Excusatior forte inde convertendae orationis modus vv. 9. sqq. Iam expende orationis vigorem, et elocutionis virtutes. *Num tu velis permutare*, permutares, sane tu, quo sensu pulchri contactus es, non permutares crinem Lic. maximis divitiis; pro hoc, exquisita constantique poetarum structurae huius verbi (ut Gr. ἀντιαλλάσσεσθαι, ἀμείβεσθαι) inversione, *crine opes.* v. ad I. 17. 2. Pro opibus universis docte posuit poeta Persicas, Phrygias et Arabum. — *quae tenuit*, possedit *dives Achaemenes* quas amplissimas habuit Ach. primus Persarum rex; omnino pro: opes regum Persarum; quae in vulgus notae. cf. III. 9. 4. et I. 38. 1. Ἀσιήτιδος τυραννίδος ὄλβον

Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos?

Dum

ἄλβον eadem virtute dixit Euripid. Herc. fur. 643. — *Phrygiae Mygdonias opes*, dotte pro, opes Phrygiae Mygdoniae, Phrygum a Mygdonibus, Thraciae populo, oriundorum, cum Mygdonibus permixtorum. Hos enim relicta Europa Phrygiae partem insedisse, maxime probabile est. Phryges inde Mygdones doctiore nomine poetis saepe dicti. Ad septentrionalem Phrygiae plagam Mygdonas collocat Strabo XII. p. 861. Male Pausan. X. 27. p. 864. et inde Steph. Byz. v. Μυγδονία, a Mygdone rege antiquo Phrygas hoc nomen traxisse opinantur. — *Pinguis*, opulentae, e solo pingui (*pingues Asiae campos* memorat I. Epp. 3. 5. Cic. pro Lege Manil. c. 14. *Asia tam opima est et fertilis, ut et ubertate agrorum — et multitudine earum rerum, quae exportantur, facile omnibus terris antecellat.*) Etiam Phrygum opulentia satis celebrata poetis. — 24. *domos plenas*, opibus refertas, δώματα χρυσοῦ πλήρη, uti plenius Eurip. Herc. fur. 645. *Domum plenam* similiter dixit pro opulenta IV. 12. 24. δόμους πληρουμένους Eurip. fr. Dan. IV. 1. δόμους contra κενοὺς id. fr. Antiop. XXXIII. 6. Respectu divitiarum igitur poeta dixit *domos Ar.*; non vero, ut simpliciter regionem istorum ita designaret; uti alias facere solent poetae. Sic *Eoas domos Arabum* Virg. Ge. II. 115. recte laudat Burm. ad Prop. II. 8. 20. *Et domus intactae te tremit Arabiae* male simul Nostro l. in hanc rem adducto. De Arabum *beatis gazis* vide ad I. 29. 1. A talibus vero amantum deliciis Maecenatem haud alienum fuisse ex eius fragm. (apud Senec. ep. CXIV.) facile colligas: *Quid si quis feminae cirro crispatae, et labris columbatur?* Caeterum eandem hanc poetae sententiam exhibet Palladae ep. I. 1. sqq. Ἴσιδι τούσδε θήκατο τοὺς λιπαρούς Παμφίλιον πλοκάμους. Ἡ δὲ θεὸς τούτοις γάνυται πλέον, ἤπερ Ἀπόλλων χρυσῷ, ὃν ἐκ Λυδῶν Κροῖσος ἔπεμψε θεῷ. Ad rem ac verba apposite Aristaen. L. I. ep. X. p. 27. (ed. Abr.) Ἀκόντιος οὐκ ἂν ἠλλάξατο τὸν Μίδου χρυσὸν, οὐδὲ τὸν πάντα πλοῦτον ἰσοστάσιον ἡγεῖτο τῇ κόρῃ· πρὸς σύμψηφοι πάντες ἐμοὶ, ὅσοι μὴ καθάπαξ τῶν ἐρωτικῶν ἀμαθεῖς.

v. 25.

Dum flagrantia detorquet ad oſcula
Cervicem, aut facili ſaevitia negat,
Quae poſcente magis gaudeat eripi,
Interdum ràpere occupat.

v. 25. *Me voluit Muſa dicere* mores puellae lepidos, nunc delicias in amore facientis, nunc procacis. *Detorquet cervicem* obſequioſe inflectit caput, *κατακλῷ αὐχένα ad oſcula*, ad oſculandum ſe. — *Flagrantia* hominis amore flagrantis, perdite amantis. — 26. Aut *ſaevitia facili*, quae facile expugnatur, ſimulata, *negat* oſcula, quippe quae *eripi ſibi* ea multo *magis gaudeat*, quam is, qui illa *popoſcerat*; egregie ſic *facilis* puellae ſaevitia oſtenditur. — 28. *Interdum occupat rapere*, *φθάνει ἁρπάζουσα*, *λαμβάνουσα*, prior rapit oſcula, oſculatur nec poſcentem. Plaut. Stich. I. 2. 32. *ferre advorſum hominem occupemus oſculum.* A ſententia haud abludit Stratonis c. XLV. (Anal. Br. II. 369.) Οὐκ ἐθέλων φιλεῖς με, φιλῶ ἐ' ἐγὼ οὐκ ἐθέλοντα· εὔκολος ἢν φεύγω, δύσκολος ἢν ἐπάγω.

CARMEN XIII.

ARGVMENTVM.

Carmen hoc ex eo genere est, cum ingenium poetae a sensu aliquo, a quo graviter impulsum fuerat, progressum, mox ad alios sensus, qui ex isto naturali idearum successione fluunt, transit, iisque ad finem usque immoratur. Cf. I. 3 et 22. Exsecratus igitur arborem poeta, cuius ictu paene oppressus erat, ad incertum cuiusque fatum progreditur: tum idea mortis, regnique Plutonii, quo iam in eo fuisset, ut descenderet, ita omnes eius sensus occupat, ut versari in Elysio inter priscos poetas lyricos, Sapphoque et Alcaeum audire sibi videatur; cuius ideae enthusiasmo ita abripitur, ut ei magnificentissime immoretur, et cum eo totum carmen finiat. Praeclarum vero hic, quod poetam lyricum, in Elysium delatum, Sappho et Alcaeus, quos imitatus est, omnium maxime alliciunt, atque attrahunt, eundemque omnium sensum facit. Qua sane ad poetarum istorum laudes conversione nihil splendidius aut excellentius cogitari potest. Quod igitur incensae lyrici poetae phantasiae satis accommodatum videri debet, mireris sane, hoc ipsum reprehendi potuisse ab Homio Elem. crit. I. p. 317.

IN

IN ARBOREM.

Ille et nefasto te posuit die,
Quicumque primum, et sacrilega manu
Pro-

v. 1. Structura orationis initio carminis minus quidem concinna, atque elaborata; sed quae animum poetae hoc casu perturbatum, reique indignitate commotum apprime decet. Sententia verborum satis expedita: Nefastus dies is fuit, quo ista arbor plantata fuit; tum hominem, qui hoc fecerit, sceleratissimum fuisse oportet. De verborum ordine laboratur. Sunt, qui orationis contexta ita explicent: *Ille, quicunque primum produxit te, et nefasto die et sacrilega manu te posuit;* portentosissima orationis structura. Paullo melius Sanadoni procedit ratio: *Quicunque ille et posuit te primum, et produxit: illum et parentis* caet. Vt *quicunque ille* simpliciter sit, *quisquis*. Quem quidem usum loquendi a VV. DD. in dubium vocatum nollem. Ita Propert. II. 9. 1. *Quicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem*, et alii. Sed et in hac verba improbe structa, negligenterque abiecta recte vituperes. Novam viam aperire conatus est Ouwens N. H. III. 3. p. 373. verbis ita disiectis dicam, an ordinatis: *ille, quicunque primum posuit te et die nefasto, et manu sacrilega; produxit* (te), *arbos, in perniciem nep.* Tu tene hunc verborum ordinem: *Ille et nefasto*, inauspicato, infausto *die te posuit*, plantavit, sevit, *quicunque primum*, olim te posuit, ὅστις γέ ποτ' ἦν. Abruptior haec interiectio indignantem poetae animum mire ostendit. Auctorem huius facinoris abominatur, atque detestatur; eius adeo, quem aversatur, exquirendi curam atque cogitationem ne admittit quidem in animum. Plane hoc ex animi natura ductum. *Dies* quosdam *nefastos*, h. quibus parum feliciter res succederent, habebat veterum superstitio, quam lubenter poetas sequi videas; quod ad legentium animos tenendos aliquam vim habet. Cf. Virg. Ge. I. 276. H. l. simpliciter ab eventu dies iste ita dictus. — *et produxit*, eduxit, aluit, coluit te *manu sacrilega* impia, scelerata, h. sceleratissimus is fuit, qui te posuit (nam et ad hanc ἐῆσιν spectat; sed docte poeta alteri membro inseruit) et produxit, non, quae gratam *nepotibus umbram*

 factu-

Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, obprobriumque pagi.

Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, et penetralia

Spar-

factura esses (Virg. Ge. II. 58.) sed *in nepotum perniciem*, in hunc finem, ut posteris exitio esses, ne morte scelerato isti omnis nocendi facultas praecideretur. Cui non in mentem venit Callimachi ep. VII. *στήλην μητρυιῆς, μικρὸν λίθον, ἔστεφε κοῦρος, ὡς βίον, ἠλλάχθαι καὶ τρόπον οἰόμενος. Ἡ δὲ τάφῳ κλινθεῖσα κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα· φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον εἰ πρόγονος.* — *in opprobrium pagi*, ut toti agro opprobrio esses, dedecus afferres, quod, a scelerato quippe sata ac producta, casu tuo hominem innocentem oppressura esses, damnum inflictura esses immerenti. Vel, quod ut simplicius, ita et verius et elegantius habuerim: cuius, quod a scelesta manu plantata enutritaque es, caeteras huius pagi arbores, quae tecum in consortio quasi vixerunt, pudet. Praeclarum vero, et ex animi commotioris affectu ductum hoc, quod poeta non eum solum, qui arborem posuisset, tanquam ultimam istius infortunii caussam, ad quam fere, calamitate quapiam affecti, animo progredi solemus, (v. ad I. 3. 9.) exsecratur, sed et ipsi arbori, rei inanimatae, quae, putredine resoluta, eum paene oppressisset, nocendi animum tribuit, eique irascitur. Quo et egregie facit orationis ad ipsam arborem conversio.

v. 5. sqq. Ille non sacrilegus solum, sed etiam parricida fuit, hospitem suum occidit, venena miscuit. Atrocissima in eum cumulat poeta flagitia, quo detestabilius inde monstrum efformaret. Similem enumerationem apud Tibull. III. 5. 9 sqq. enotarunt iam alii. Observa poetae artem in varianda oratione: *Ille te posuit, illum crediderim fr.*; *ille ven. tractavit*. Paene persuadeor, ut credam illum parentis sui *cervicem* laqueo *fregisse*, iugulasse, strangulasse eum. Cf. V. 3. init. *Frangere gulam laqueo* dixit Sallust. Cat. c. 55. *cervicem fr.* simpliciter etiam Cicero aliquoties. — 6. et hospitem noctu occidisse. Pro hoc ornate: *penetralia* domus, interiorem domus partem, domum *sparsisse*, conspersisse, commaculasse *nocturno cruore*, caede *hospitis* noctu patrata.

Hospi-

Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colcha,

Et quidquid usquam concipitur nefas,
Tractavit: agro qui statuit meo
Te triste lignum, te caducum
In domini caput inmerentis.

Quid

Hospitii ius sanctissimum habebatur antiquis; eiusque violati vindex gravissimus Iupiter ξένιος. Vide, ne in re nota longior sim, Spanhem. ad Callim. H. Dian. 123. Auget rei atrocitatem, quod hospes noctu per somnum opprimitur, quod coram Diis Penatibus, in domus penetrali collocatis, scelus perpetratur, quod domus ipsa sanguine isto *consceleratur*, ut Catull. ait LXVIII. 23. De usu adiect. *nocturno cr.* v. ad II. 5. 19. Caeterum minus docte alii verba: *illum* — *hospitis* ad sequ. v. 10. trahunt. — 8. *Venena Colcha*, Colchica: qualia Medea Colchica tractavit, adeoque praesentissima; ut V. 5. 62. *dira Medeae venena* Canidia sua vocat. Adde V. 17. 35. — 9. *Et*, quid? quod iste, *quidquid nefas* quodcunque scelus animo *usquam concipitur*, per totum terrarum orbem fit, ab eo illud patratum crediderim; nil tam nefarium cogitari potest, quod non istud scelus hominis designaverit. Memoratis Colchicae regionis domesticis facinoribus ad caetera terrarum orbis animo delabitur poeta, hisque istum onerat. Orta igitur v. 9. sententia unice ab epith. orn. *Colcha*. Observa exquisitum verbi dilectum, quod utrique mire convenit. Nam et nefas *tractatur*, patratur, et venena, quae miscentur, docte tractari dicuntur. Vid. V. 3. 8. et ad I. 37. 27. — *qui te statuit*, posuit, sevit in *agro meo*. Repetita adeo cum vi priorum vv. sententia, quod animo commoto plane convenit. Tum designatur simul locus, in quo defossa erat ista arbor. Alii *statuit* exponunt: transtulit in agrum meum, eo transplantavit, quasi *ille* v. 5. et 8. diversus sit ab *illo* priore v. 1. quod statuere admodum ieiunum foret. — *triste*, ob tristes effectus, damnosum, exitiosum; *lignum* vocat arborem, per contemtum. — *caducum*, quod casurum, oppressurum eras *caput domini*, dominum, possessorem huius agri, me, *immerentem*.

Quid quisque vitet, numquam homini satis
Cautum est, in horas. Navita Bosporum
Poenus perhorrescit, neque ultra
Caeca timet aliunde fata;

Mi-

tem, innoxium, nullius culpae conscium; quippe vatem sacrum. Mira adeo δεινότης est in *domini immerentis*. De v. *caducum* v. ad III. 4. 44.

v. 13 *sqq.* Dum periculi, quod incautum eum paene oppresserat, cogitatione poetae animus intenditur, facilis erat ad communem de incerto cuiusque fato sententiam progressio. Praeclare vero orditur eam poeta, nulla adiecta transitionis formula. *Nunquam homini satis cautum est*, ab homine satis caveri potest, nunquam homines satis tuto praevident, *quid quisque vitet*, quae sibi vitanda sint, instent pericula, *in horas*, ἐς ὥρας, quovis temporis momento (v. ad I. 32. 2.); innumera sunt, quae vitae hominum continuo insidiantur, pericula, a quibus sibi cavere nequeunt. — 14. Egregie iam sententiam exemplis perquam appositis communit atque exornat poeta. *Navita Poenus*, mercator Phoenicius *perhorrescit*, maxime, unice timet *Bosporum* Thracium, fretum aestuosissimum, per quod in Pontum Euxinum traiicitur. Hinc *Bosp.* *gemens* II. 20. 14. *insaniens* III. 4. 30. *Neque ultra*, ulterius, traiecto Bosporo, *aliunde*, ἄλλοθεν, ab alio maris tractu; nisi potius est: sub alia specie occurrentia *fata caeca*, unde minime rebatur, mortem ex occulto venientem *timet*, sibi ab alio mortis periculo ac genere non metuit. Fata caeca disertius exponit Prop. II. 1. 76. *Quippe ubi nec caussas, nec apertos cernimus ictus; unde tamen veniant tot mala, caeca via est* — 17. *Miles* Romanus (ex oppos. v. sq. *Italum robur*) perhorrescit maxime Parthum; pro hoc significantius, notata simul Parthorum pugnandi ratione: *sag.* et *celerem fugam P.* Parthum in fuga simulata fortissime depugnantem, sagittis petentem Romanum temere insequentem. Res notissima. Vid. ad I. 19. 11. Parthorum vero nomen Romanis maxime timebatur; de quo passim Noster. Vid. III. 2. 3. IV. 5. 25. Caeterum de paradoxo, *timere fugam* Horatium cogitasse vix putem, cum talibus argutiis hic plane locus non esset. Multa sic exciderunt poetis, quae, si sedulo captata studioseque ab iis anquisita ponere

Miles ſagittas et celerem fugam
Parthi; catenas Parthus et Italum
Robur: ſed inproviſa leti
Vis rapuit rapietque gentes.

Quam paene furvae regna Proſerpinae,
Et iudicantem vidimus Aeacum;

Sedes-

nere velles, pro vitio habenda ſorent; quae ipſa tamen pro elegantibus acuteque dictis (ut h. l.) nonnulli venditant, pravo utique iudicio. Immane enim quantum Horatii, Virgiliique gravitas a levitate Ovidiana discrepat. — 18. Parthus contra *catenas* Italas (ad utrumque enim referendum) Romanas, metuit, ne bello a Romanis capiatur, in triumpho ab ipſis catenatus ducatur; tum *robur*, carcerem roboreum, ne in carcere obtruncetur; captivitatem adeo et necem Parthus a Romanis timet. Praeſtat igitur *robur* h. l. de carcere roboreis textis communito intelligere. De mortis enim genere h. l. quaeritur. Alii de compedibus roboreis accipiunt: quae notio iam catenis ineſt. — 19. 20. Enimvero hos ipſos alius ſaepenumero manet exitus. Sed hoc iterum in generalem ſententiam, a qua exorſus fuerat, convertit poeta. *Leti vis*, cum virtute propter *rapuit*; Mors *improviſu*, ἀπροσδόκητος, *rapuit*, *rapietque*, improviſo venit et ad Inferos deducit *gentes*, homines; notiſſimo phantaſmate.

v. 21. Ita et ipſe paene occubuiſſem. Praeclare ex animi humani natura, quae ita fert, ut, cum praeſentiſſimum periculum praeter ſpem ſubterfugerimus, cum voluptate quadam ei cogitatione immoremur, et, quae noſtra futura fuiſſet conditio, expendamus, poeta, contactus hoc caſu, mortis ideae diutius inhaeret, et quae incenſae eius phantaſiae occurrunt imagines, vivide exponit, mirificeque exornat. *Vidimus regna*, ſubiimus regnum *Proſerpinae*, loca infera; ſimplicitate Homerica, Il. o. 251. 2. νέκυας καὶ δῶμ' Ἀΐδαο ὄψεσθαι, *nigra videre Tartara* Virg. Aen. VI. 134. v. Burm. ad Prop. II. 20. 71. Aliter exornavit Stat. Silv. III. 5. 37. ſecutus Eurip. Alc. 252 ſqq. — *furvae*, nigrae, perpetuo rerum inferarum epitheto. *Furvam caliginem* ſimiliter umbris tribuit Auſon. Cupid. 45. (Poet.

Sedesque discretas piorum; et
Aeoliis fidibus querentem

Sap-

min. II. 304.) — 22. *vidimus Aeacum iudicantem* de tribunali ius dicentem. Simili colore Antipat. Sid. I. 4. (Anal. Br. II. 6.) *Μίνω θᾶσσον ἐποψόμεθα.* — 23. *sedes piorum*, campos Elysios. *Sedes* constanter de locis inferis apud Virgilium, Tibullum, alios. — *discretas*, seiunctas a reliquis regionibus, flumine interiecto. Sic simpliciter malim: quam „ab impiis disiunctas" ut vulgo volunt. Stat. Theb. IV. 524. *Et Styx discretis interflua Manibus errat. Secreti partem orbis, mundumque piorum* vocat Calpurn. VIII. 20. Ad hanc vero sententiam facilis poetae cum per se erat progressio, tum, quod ipsi, vati quippe, sedes in Elysio adsignanda erat; quandoquidem *pios vates et Phoebo digna locutos* (Virg. Aen. VI. 662.) in Elysio collocabat antiquitas. Proclive adeo erat, Horatium, poetam lyricum, Lyricorum graecorum Sapphus et Alcaei, ibi degentium, mentionem iniicere; tantoque honorificentiorem uberioremque eam facit poeta, quo magis ipsi eorum carmina probarentur, adeo quidem, ut hos potissimum, maxime Alcaeum (I. 32. 5.) ducem secutus sit. Iam, quum *eadem cura*, eadem studia, *quae vivis fuissent, tellure repositos sequi* (Virg. Aen. VI. 655.) putarentur, apertus iam poetae erat campus, in quo se iactare posset, et obiectae phantasiae eius imagines, quas felici ingenii sui ubertate tantum amplificaret atque exornaret. Similiter de Anacreonte Simonides LV. 9. 10. (Anal. Br. I. 136.) *μολπῆς δ' οὐ λήθει μελιτοεπέος, ἀλλ' ἔτ' ἐκεῖνο βάρβιτον οὐδὲ θανὼν εὕνασεν εἰν Ἀΐδῃ.* — Sappho *querentem fidibus*, lyra, carmine *de puellis popularibus* suis, quas amaret; amores suos canentem; nihil amplius. Respicit autem poeta Sapphus *ἄσματα* amatoria, in puellas, quas deperiret, composita. Fragmentum eius generis extat apud Hephaest. p. 24. et inde apud Vrsin. p. 10. Eodem spectare videtur fr. quod est apud Athen. XIII. p. 571. D. *τάδε νῦν ἑταίραις ταῖς ἐμαῖς τερπνὰ καλῶς ἀείσω.* Atthidem, Telesillam, Megaram, *πρὸς ἃς διαβολὴν ἔσχεν αἰσχρᾶς φιλίας*, nominat Suidas voc. Sappho; Mnaida et Pyrino ipsa in fr. apud Heph. p. 37. et Ovid. cum aliis Her. XV. 15. *Queri* eleganter de carmine molli, tenero, quod Amorem *γλυκύπικρον*,

Sappho puellis, de popularibus;
Et te ſonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.

Vtrum-

προν, ἀλγεσίδωρον (uti Sappho eundem dixiſſe tradit Max. Tyr. Diſſ. XXIV. p. 297.) refert. Alii proprie accipiunt, illamque de popularibus ſuis conqueſtam dicunt, quod Phaonem, a ſe adamatum, ad ſe allicerent; quod temere poni arbitror. Rectius forte de Gorgo et Andromeda, quas ἀντιτέχνους τῇ Σαπφοῖ vocat Max. Tyr. l. l. intelligas; vel ſic tamen priorem rationem praeferam. — *Aeoliis*, Lesbiis; Lesbos enim tota fere ad Aeoliam pertinebat. Strabo XIII. p. 916. et 924. Almel. Hinc *Aeolia puella* Sappho dicta IV. 9. 12. et eiusdem *lyra Aeolia* Ovid. Her. XV. 200. Σαπφοῦς Αἰολίδες χάριτες Epigr. ἀδέσπ. DXIX. 2. (Anal. Br. III. 260.) — 26. Suaviter mollibus Sapphus modis pleniores ac fortiores Alcaei opponuntur. Eximiam quoque vim habet oratio ad Alcaeum converſa. Alcaeus *ſonat plenius mala*, plenioribus, gravioribus ſonis, *plectro* fortius lyrae impreſſo, canit aerumnas, quas perpeſſus ſit. Scilicet in grandi ac ſublimi argumento lyra fortius pulſatur, voxque intenditur, in tenui contra atque humili illa leviter tantum perſtringitur, haecque remittitur. Res notata iam ad II. 1. extr. *Sonare mala* pro, ſonis referre, decantare, verſibus exponere mala, labores. Cf. V. 17. 39. Serm. I. 4. 44. et alibi. — *aureo*, translato ab Apollinis lyra epitheto. Sic χρυσέαν φόρμιγγα Pind. Pyth. I. 1. et χρύσεον πλάκτρον Apollini tribuit idem Nem. V. 44. Loc. claſſ. apud Callim. H. in Apoll. 32. Cum virtute tamen h. l. dictum accipiebat Quinctilian. X. 1. 63. *Alcaeus in parte operis* aureo plectro merito donatur, *qua tyrannos infectatur*; tanquam praeſtantiam carminum eius hoc epith. poeta innuere voluiſſet; minus poetica ratione; tum laudes Alcaei vv. 30. ſqq. demum ſubiiciuntur. Malim adeo pro epitheto ſimpliciter ornante habere, etſi omnino de Quinctil. iudicio non dubitem. — *dura* aſpera, gravia, ut ſaepe; v. c. Sil. I. 533. h. l. auget notionem *mal.* — *mala navis*, navigationis, tempeſtates, naufragia; cf. I. 33. 7. — *fugae*, φυγῆς, exilii. A Myrſilo enim et Pittaco, civitatis ſuae tyrannis, eadem eiectus erat, quam poſtea cum reliqua

Vtrumque sacro digna silentio
Mirantur Vmbrae dicere: sed magis
Pugnas

liqua exulum manu, tyranni de exstirpata, recuperavit. Lesbios ad hanc rem Alcaei cantu audaciores factos tradit Max. Tyr. Diss. XXXVII. p. 439. Σπαρτιάτας ἤγειρε τὰ Τυρταίου ἔπη, — Λεσβίους ἡ Ἀλκαίου ᾠδή. — *belli dura mala*, *duros labores belli*, Sil. III. 89. *grave Martis opus* Virgil. Aen. VIII. 516. Respicit vero poeta bellum Mitylenaeorum cum Atheniensibus de obtinendo Sigeo (Herodot. V. p. 425. Wess.) e quo Alcaeus, pugna facta, proiectis armis aufugerat. Enarratam hanc rem ab Alcaeo carmine, diserte tradit Herodot. l. l. ταῦτα δ' ἐν μέλεϊ ποιήσας cact. Etiam bella civilia carmine complexus est. Vid. v. 31. Caeterum de Sapphus et Alcaei carminibus idem fert iudicium Ovid. Her. XV. 27 sqq. *Mihi* (loquitur Sappho) *Pegasides blandissima* (mollia, s. omnino suavia, κηλοῦντα καὶ καταθέλγοντα τοὺς ἀκροωμένους, quo nomine τὰ Σαπφικὰ μέλη extollit Plutarch. Sympos. VII. p. 1266.) *carmina dictant*; — *Nec plus Alcaeus consors patriaeque lyraeque laudis habet*, *quamvis grandius ille* (s. ore) *sonet*; eodem fere orationis usus colore.

v. 29 sqq. Abreptus phantasiae vi poeta, se plane ad Inferos delatum, Alcaeumque et Sappho in media umbrarum, maxima eos frequentia stipantium, audientiamque facientium, turba canentes audire se opinatur. Quo quidem phantasmate ad sensus commovendos efficacius quidquam cogitari vix potest; tum novum plane artificium est poetae, quo satis exquisito istorum laudes vividissime repraesentat. Adumbravit Horatianam hanc imaginem Statius Silv. II. 7. 111. de Lucano; *meritum nemus felix Elysiis tenes in oris*, *quo Pharsalica turba congregatur, et te nobile carmen insonantem Pompeii comitantur et Catones.* Minus vigoris habet Silianum phantasma, etsi operose exornatum, de Homero L. XIII. 778 - 795. *Vmbrae mirantur utrumque*, Sappho et Alcaeum *dicere digna s. silk.*, auscultant eis admiratione defixae, *dicentibus*, canentibus, admirantur eorum cantum, *dignum sacro silentio*, cuius maxima dulcedo est, qua delinitae silentium tenent *sacrum*, quale in sacris obtinet, adeoque altissimum; maximam istis vatibus audientiam umbrae faciunt. De silentio in sacris res pervulgata; v. III. 1. 2. Tanto aptius autem hoc epitheton haberi debet, cum, quod vate aliquo insigniore

Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.

Quid

ore canente vel ipsi naturae silentium imponit poetarum phantasma, (v. ad I. 15. 3.) tum quod poetae Apollinis et Musarum sacerdotes audiunt, quos adeo carminibus ipsorum praefari decebat: Εὔφημος πᾶς ἔστω λεὼς στόμα συγκλείσας. Aristoph. Thesmoph. 39. qui ipse locus de Musarum sacris agit. Sequitur enim: ἐπιδημεῖ γὰρ θίασος Μουσῶν ἔνδον μελαθρῶν τῶν δεσποσυνῶν μελοποιῶν. — Magis tamen Alcaei cantus umbras tenet. Vide quam ornate haec poeta extulerit! *Vulgus* omnino pro multitudine Vmbrarum, ut *ex sangue vulgus Ditis* eaedem Senec. Oedip. 598. et Stat. Theb. IV. 519. — *densum*, condensatum *humeris*, constipatum; graphice prorsus de auscultante atque inhiante Alcaei cantui multitudine. — *bibit aure*, haurit avide, intente audit; nota loquendi ratione. Exempla, si tanti est, pete a Markl. ad Stat. Silv. V. 1. 58. Ita et *sitis*, *sitire* (v. c. Claudian. XXXIV. 19. *sitientes carmina rupes*) de audiendi cupiditate. Avien. Descr. O. 261. *Sudorisque mei patulo bibe carmina rictu*, insulso acumine. — *Pugnas* Alcaeum decantantem, *et exactos* eo duce *tyrannos*. Docte haec carmina *minaces Alcaei Camenas* vocat IV. 9. 7. De iisdem incerti epigr. DXIX. 7. (Anal. Br. III. 260.) καὶ ξίφος Ἀλκαίοιο, τὸ πολλάκις αἷμα τυράννων ἔσπεισε, πάτρης θέσμια φυόμενον. Atque hactenus consentit cum Nostro Quinctil. iudicium superius laud. quod istis Alcaei carminibus, *quibus tyrannos insectatus est*, palmam defert, lusibus autem et amoribus canendis minus aptum censet; quod idem est Iuliani Misop. p. 337. Melanchrum autem, tyrannum, a Mitylenaeis expulsum hic potissimum respici censebat Ouwens N. II. III. 3. p. 374. sed plurium, dominationem affectantium, disfidiis rem Mitylenaeorum concussam diserte tradit Strabo L. XIII. p. 917. C. cuius locum, cum classicus sit, huc adponere non gravabor: ἐτυραννήθη δὲ ἡ πόλις κατὰ τοὺς χρόνους τούτους ὑπὸ πλειόνων διὰ τὰς διχοστασίας· καὶ τὰ διχοστασιαστικὰ ποιήματα τοῦ Ἀλκαίου περὶ τούτων ἐστίν. — Ἀλκαῖος μὲν οὖν ὁμοίως ἐλοιδορεῖτο καὶ τούτῳ (Pittaco) καὶ τοῖς ἄλλοις, Μυρσίλῳ καὶ Μεγαλαγύρῳ, καὶ τοῖς Κλεανακτιδαῖς, καὶ ἄλλοις τισί.

v. 33. *Quid mirum? ubi*, quid? quod ipsa Erebi monstra istis carminibus demulcentur.

Per-

Quid mirum? ubi illis carminibus ſtupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues:

Quin

Pervulgatum quidem poetis hoc ad declarandum poeſeos vim ſigmentum; h. l. tamen mira arte novoque plane ornatu inſtructum variatumque a poeta. Certavit cum Noſtro Virg. Ge. IV. 471 ſqq. Ex utroque profecere Ovid. Met. X. 41 ſqq. Senec. Herc. Oet. 1065. ſqq. et Boeth. Conſ. Philoſ. III. metr. 12. 29 ſqq. — *Bellua centiceps*; ἑκατοντακάρηνος, Cerberus. In capitum numero admodum variant poetae. Heſiodus Theog. 312 Cerberum ſingit πεντηκοντακάρηνον, Sophocl. Trachin. 1106. Ἀΐδου τρίκρανον σκύλακα; quod fere, tanquam minus τερατῶδες, poetae Latini adoptarunt. Noſter graecum h. l. exemplum ſecutus videri debet, quod vel e Tzetza colligas ad Lycophr. 678. ὁ Κύων τοῦ Ἅιδου, ὃς ἔχει ἑκατὸν κεφαλάς. Alii ad angues, quibus caput Cerberi munitum fingitur (III. 11. 17.) referunt; minus apte h. l. — *ſtupens illis carminibus* (ita iunge) audito Alcaei cantu ſtupore, torpore correptus *demittit aures*, ſpeciali notione pro, miteſcit exuta ferocia; ſed illud exquiſite prorſus de cane, *Orci ianitore* (Virg. Aen. VIII. 296.) πυλωρῷ τοῦ Ἅιδου (ep. ἀδεσπ. DCXXIV. Anal. Br. III. p. 283.) qui ad quemvis ſtrepitum aures arrigit. — *atras*, communi rerum inferarum epitheto. *Cerberum nigrum* etiam Tibull. I. 3. 71. *atrum* Senec. Herc. Oet. 23. dixit. Praeclarum vero eſt poetarum phantaſma, quo animalium corpora vi Muſices torpore alligari, et ſomno reſolvi dicuntur. Splendidiſſimus hanc in rem eſt locus Pindari Pyth. I. 10. ſqq. εὕδει δ' ἀνὰ σκαπτῷ Διὸς αἰετὸς — τεαῖς (lyrae) ῥιπαῖσι κατασχόμενος. — 35. 36. *Eumenides* ſ. Furiae mitigantur, iram remittunt, ipſis propriam. Declaratur haec poetis per comam earum erectam, et angues, quibus *intorti*, implexi ſunt capilli (hinc ὀφιοπλόκαμοι Orph. H. 69. 10. πεπλεκτανημέναι πυκνοῖς δρακοῦσιν (Aeſchyl. Choeph. 1049.) *implexae crinibus angues* (Virg. Ge. IV. 482) dictae. Adde Catull. LXIV. 193. Tibull. I. 3. 69.) ſibilos edentes. Sedata adeo Furiarum ira angues, ſibilis continuis feſſi, *recreantur*, dum ſilent, quieſcunt, otiantur.

v. 37.

Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur ſono:
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

v. 37. *Quin et* ii, qui Tartaro incluſi ſcelerum poenas luunt, lyrae ſuavitate permulcentur, dolores minus ſentiunt, cantu deliniti. Ex his memorat Prometheum et Tantalum poeta. In Promethei fabula, toties a poetis tractata, magna narrationis diverſitas eſſe debuit. Vulgo Caucaſo monti affixus ſubducti aetherea domo ignis poenas pendere, ibique cor eius ab aquila continuo exedi narratur. Antiquiores haud dubie poetae Prometheum cum reliquis Titanibus fulmine in Orcum detruſum ſimpliciter dixerant. Adſicta mox huic narrationi altera de aquila cor eius adedente, et alia, quae ad exornandam eam ſpectant. Cf. Ariſtot. Poet. c. 17. Similiter adornata deinceps Tityi fabula apoetis. Nec in ſupplicii, quo Tantalus affectus ſit, genere poetae ſibi conſtant. Antiquiorem fabulae faciem repraeſentat Pind. Ol. α. 91. Iſthm. η. 20. Pauſan. X. 31. p. 876. et Paul. Silent. ep. XXXIII. Anal. Br. III. 81.) qui ſua hauſit ex Eurip. Oreſt. 6. ubi vide Schol. Vulgarem narrationem ſequitur Noſter Serm. I. 1. 68. Iam pro vulgari: Vterque, cantus dulcedine permulſus, obliviſcitur cruciatuum, docte poeta: *Pr. et Pelopis parens*, Tantalus *dulci* Alcaei cantus *ſono* deliniti *decipiuntur laborum*, ita, ut ſenſus ipſorum a *laboribus*, cruciatibus, avocetur, obliviſcuntur miſeriarum ſuarum, eas non ſentiunt, κλέπτονται καμάτων ᾠδῇ γλυκερῇ παραγόμενοι, graeca prorſus ſtructura et loquendi ratione. Alii aliter. v. Obſſ. — 39. 40. Nova atque ab antecedentibus prorſus diverſa eſt ratio, qua vim poeſeos his vv. ob oculos ponit poeta. Nimirum Orionis exemplo umbras Alcaei carmine ita demulceri atque detineri oſtendit, ut vel ea ſtudia atque occupationes, quibus maxime delectentur, omittant ac negligant. Cum dilectu vero illud poſuit, quod in venatione maxima ſtudii pertinacia appareat. Cf. I. 1. 25 ſqq. Suavitas inſuper accedit huic imagini ex oppoſitione vv. 37. 38. *Orion non curat*, ei curae non eſt, *agitare*, non agitat, perſequitur *leones et lyncas*, Alcaeo unice vacivas aures praebens. Exornavit Horatius Homericam imaginem Od. λ. 571 ſqq. Τὸν δὲ μέτ' Ὠρίωνα πελώριον εἰσενόησα θῆρας ὁμοῦ εἰλεῦντα κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα· τοὺς αὐτὸς κατέπεφνεν ἐν οἰοπόλοισιν ὄρεσσι, χερσὶν ἔχων ῥόπαλον παγχάλκεον.

CAR-

CARMEN XIV.

ARGVMENTVM.

De morte omnibus communi vitaeque brevitate atque hinc ducto illa perfruendi officio philosophiam, toties iam tractatam, hoc etiam praestantissimo carmine persequitur Horatius, sed novo iterum more, novaque conversione exornatam. Nam hic inprimis plenius exactiusque exprimit communes de morte et brevitate vitae locos, ipsa inde derivanda vitae praecepta leviter tantum attingit, amicoque ipsi inde colligenda relinquit. Videtur ille Postumus (quem eundem cum Iulio Floro, ad quem est Ep. 3 l. I., statuebat Dacerius, iure improbante Sanad.) fuisse dives atque opulentus, sed parcus idem et avarus, qui adeo anxia futuri sollicitudine a praesentis temporis fructu detineretur. — Regnat in hoc carmine mollius quoddam πάθος, quam in caeteris eiusdem argumenti, sedatiorque quaedam gravitas, ad sententiarum vim egregie attemperata. Elocutio docta atque ornata, numerique suaves ac concinni; ut omnino inter praestantiora Nostri carmina hoc referendum videatur.

AD

AD POSTVMVM.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni: nec Pietas moram
Rugis et instanti Senectae
Adferet, indomitaeque Morti.

Non

v. 1—4. Egregie τῷ *eheu* animum poeta brevitatis vitae mortisque cogitatione, quam sibi velox temporis decursus obiecerat, intime commotum, molliterque affectum initio statim ostendit, quo altius vivendi praecepta, quae subiecturus esset, in Postumi animum descenderent. Mira quoque διανοίας est in repetitione nominis eius, quae gravi admonitioni viam munit. *Anni fugaces labuntur* docte et copia poetica pro, fugiunt, labuntur, praetereunt; aucta tamen hac cumulatione celeritatis notione. Nam et *labi* de veloci cursu dicitur. Ovid. A. A. III. 65. *cito pede labitur aetas.* Met. XV. 179. *adsiduo labuntur tempora motu*, et sic infinitis paene locis. Vtrumque coniunxit Ovid. Fast. VI. 772. *Tempora* labuntur, *tacitisque senescimus annis, et* fugiunt, *freno non remorante, dies*, notissimo loco. Mirae tamen sunt argutiae quorundam h. l., dum per *fugax* continuum ac celerem, τῷ *labi* vero insensibilem temporis decursum innui volunt. — 2. nec a Diis precibus aut sacrificiis impetrare licet, ut tardius senescamus, ut vitam protrahamus. Docte haec a poeta adornata, vivideque expressa sententia. *Pietatem* in genere volunt esse, Virtutem, animi probitatem; in quam quidem sententiam satis apposite Ovid. Amor. III. 9. 37. *Vive pius; moriere pius, cole sacra; colentem Mors gravis a templis in cava busta trahet.* et Stat. Silv. V. 1. 154. *Quid probitas, quid casta fides, quid numina prosunt culta deum? furvae miseram circum undique leti vallavere plagae.* Sed constituenda h. l. eius notio e v. 5. sqq. Sunt adeo preces, sacrificia, quae Diis fiunt, pro avertenda aliqua re molesta, sacra averrunca. Haec neutiquam *moram adferent*, iniicient, morabuntur, retardabunt *rugas, Senectam* et *Mortem*, ut tardius istae ad te accedant, non efficient, ut vitae tuae vel minima fiat annorum accessio. Se-

Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places inlacrimabilem
Plutona tauris; qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi
Con-

nectus ad nos accedere (γῆρας ἐπερχόμενον, Solon XIII. 10. Anal. Br. I. 70.) nobis adstare (Homer. H. in Ven. 245. γῆρας — τὸ γ' ἔπειτα παρίσταται ἀνθρώποισι) dicitur; sed suavior est imago Senectae *instantis, a tergo prementis* (Senec. Praef. ad Quaest. Nat. l. III.) quae adeo *non intellecta obrepit* (Iuven. IX. 129.) nos opprimit, expressa e Mimnermi IV. 4. (Anal. Br. I. 61.) ὀλιγοχρόνιον γίνεται ὥσπερ ὄναρ ἡβη τιμήεσσα· τὸ δ' ἀργαλέον καὶ ἄμορφον γῆρας ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτίκ' ὑπερκρέμαται. — *indomitae, θανάτῳ ἀηττήτῳ* (Crinag. XXV. 8. Anal. Br. II. 147.) cui resisti nequit, qui in homines imperium exercet. Eadem de caussa Ἀΐδης dictus ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος Hom. Il. ι. 158.

v. 5. *Non* hoc efficies, neutiquam retardabis mortem, etiamsi *trecenis tauris*, tribus hecatombis *places* sacrum facias *Plutoni*, *quotquot eunt dies*, singulis diebus, si vel amplissima quotidie Plutoni appares sacra. *Placare* fere accipiunt pro, placare conari, exorare velle, tentare; quod uti non plane improbem, ita magis Horatianum duxerim, pro generali: sacrificare, positum censere. Ita vero est I. 36. 2. III. 23. 5. et saepius apud Nostrum, ut alios taceam. — *illacrimabilem*, ἄδακρυν, ἄτεγκτον, immisericordem, durum, inexorabilem, apposito epitheto. Ad sententiam loci facit Aeschyl. fr. Niob. p. 642. Stanl. μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ· οὔτ' οὖν τι θύων, οὔτ' ἐπισπένδων τινὶ. Οὐ βωμός ἐστιν, οὐδὲ κατωνίζεται· μόνου δὲ Πειθῶ δαίμονων ἀπεστατεῖ, quod traduxit Aristoph. Ran. 1439. Spectat etiam hue Solonis ep. XIII. 9. 10. (Anal. Br. I. 70.) Οὐδ' ἂν ἄποινα ἰδὼν θάνατον φύγοι, οὐδὲ βαρείας νούσους, οὐδὲ κακὸν γῆρας ἐπερχόμενον: unde enati vv. qui in Theognideis leguntur, 1139. sqq. ed. Brunk. — *eunt*, procedunt, illucescunt *dies*, de praesenti temporis momento. Sic *anni euntes*, quos ipsos vivimus, Epp. II. 2. 55. In utroque loco erratum ab Intpp. — 7. Quandoquidem mori fatale est, moriendi conditio omnibus proposita est. Connexa haec cum superioribus sententia, eadem-

que

Conpeſcit unda, ſcilicet omnibus,
Quicumque terrae munere veſcimur,
Enaviganda, ſive reges
Sive inopes erimus coloni.

Fru-

que converſa atque exornata, vere Pindarica ratione. Vulgaris enuntiatio erat, cum vel ii, qui virium immenſo robore excellerent, morti ſuccubuerint; tu ne exſpectes, te immunem ab ea fore. Eadem quidem argumentatio I. 28. 7. ſed aliis exemplis, quae loquentis perſonae magis convenirent, ibi firmata. H. l. fortiſſimorum virorum exemplo commune moriendi fatum edocet, quod v. 4. vim invictam morti tribuiſſet. Homer. Il. σ. 117. οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε Κῆρα. *Geryon* Chryſaoris et Callirhoes f. vaſti corporis vaſtarumque monſtrum virium, tribus corporibus ideo ab antiquitate inſtructum. Fabulam eius eruere conatus eſt Iacobs in Bibliotheca philologica et antiquaria P. X. p. 48. Hinc *ter amplus*, τριστώματος (Eurip. Herc. fur. 423.) *tripectora tergemini vis Geryonae* Lucret. V. 28. *Monſtrum Geryones immane tricorporis* Sil. XIII. 201. *triformis* Senec. Herc. fur. 232. *Bicorpor* autem dictus Attio in Trachin. apud Scriv. Coll. Trag. p. 148. *Tityus*, γηγενὴς, *raptor Dianae* (IV. 6. 2.) ab Apolline ideo ſagittis confoſſus; Nota fabula. Originem eius ſollerter indagavit Heyn. in lib. Antiquar. Aufſätz. T. I. p. 56. Vtrumque Pluto *compeſcit*, incluſum tenet *undâ* Stygis; quatenus fluvii inferi Tartarum ambiunt. Notus Virgilii locus Ge. IV. 478. *Quos circum limus niger et deformis arundo Cocyti tardaque palus inamabilis unda alligat, et novies Styx interfuſa coercet.* Idem orationis color II. 18. 38. — *triſti* vel e natura fluvii, ut *palus inamabilis* Virg. l. l. *inamoenus Cocytos* Stat. Theb. I. 89. vel quia ad Infernum pertinet. — *ſcilicet* quippe quae omnibus eſt *enaviganda*, traiicienda, omnibus adeunda eſt regio infera, omnes morti ſumus obnoxii. Hinc Charontis cymbam Aeſchyl. Sept. adv. Theb. 862. θεωρίδα πάνδοκον et λίμνην Inferorum πάγκοινον vocat Sophocl. El. 137. — 10. *Quicunque terrae munere*, muneribus, quae illa ad vitam ſuſtentandam profert, (unde φερέσβιος, φυσίζοος paſſim terra dicta) *veſcimur*, iis alimur, quicunque in terra vivimus; Homerica loquendi ſimplicitate, οἱ ἐρούρης καρπὸν ἔδουσι Il. ζ. 142.

Fruſtra cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Hadriae;
Fruſtra per auctumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum:
Viſen-

et alibi. Εὐρυόδου ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα χθονὸς, Simonides apud Plat. T. I. p. 345. Eandem ſententiam eodem orationis colore expreſſit Phanocles, c. II. (Anal. Br. I. 415.) Ἀλλὰ τὸ Μοιράων νῆμ' ἄλυτον, οὐδέ τιν' ἐστὶν ἐκφυγέειν, ὁπόσοι γῆν ἐπιφερβόμεθα. — *ſive reges*, divites, potentes, ſive *inopes coloni*, pauperes *erimus*, h. nullo discrimine. Eadem distributione utitur I. 4. 19. II. 18. 32. et alibi.

v. 13. Vana adeo eſt omnis hominum vitae valetudinisque tuendae cura ac ſollicitudo, cum mors certiſſima nobis impendeat. Docte hanc ſententiam ſpecialibus ideis declaratam dedit poeta. *Fruſtra carebimus*, abstinebimus, vitabimus *Martem*, belli pericula. *Mars cruentus*, αἱματι φοινικόεις, (Heſiod. Scut. 194.) αἱματόεις, φόνοις πεπαλαγμένος αἰεὶ (Orph. H. 64. 3.) cruore adſperſus, dum pugnas obit; nota imagine. cf. Stat. Theb. VII. 69. — 14. Fruſtra mare procellis infeſtum fugiemus, a navigatione, naufragii metu, abstinebimus. Pro mari procelloſo cum dilectu ſunt *fluctus Hadriae*, maris Hadriatici, *fracti* ad ſcopulos adliſi, et inde relabentes; unde *raucum* illud murmur. Virg. Aen. X. 292. *Quo vada rara ſpirant, nec fracta remurmurat unda.* cf. I. 11. 5. — 15. 16. Fruſtra cavemus, ne corpus morbo tentetur, iſtoque opprimatur. Pro morbis univerſe, ponuntur ſpeciatim, *quos anni adportant* (Lucret. V. 221.) *tempora*, et quidem Auctumnales; hoc enim anni tempus febrium, aliorumque morborum proventu feraciſſimum. Bion. VII. 13. οὐκ ἐθέλω φθινόπωρον, ἐπεὶ νόσον ὥρια τίκτει. Noſter Serm. II. 6. 19. *Auctumnusque gravis, Libitinae quaeſtus acerbae. Letifer* inde dictus Iuven. IV. 56. Cuius rei cauſſa quum in caeli intemperie, aerisque humiditate quaerenda ſit, docte poeta eam deſignat per *Auſtrum* pluvias certem, ſicque *nocentem* noxium, infeſtum *corporibus*, corpus morbo adfligentem. Sic *pluvios ventos* pro morborum cauſſis poſuit I. 17. 4. Poſſunt vero verba ita quoque iungi: *fruſtra corporibus metuemus A. noc.* quae exquiſitior ratio videtur.

v. 1

Visendus ater flumine languido
Cocytos errans, et Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris

Lin-

v. 17 — 20. Mortem enim nequaquam effugiemus; descendendum aliquando ad loca infera. Designat ea poeta per *Cocytum*, regionis inferae fluvium; tum per *Danaidas*, et *Sisyphum*. Atque hos quidem, in *sceleruta sede* s. Tartaro a poetis collocatos, memorat, totamque regionem inferam intelligi vult, tanquam poeta. Tum, si argutari velis, proprie poetam locutum dicas; quandoquidem umbris Inferum intrantibus, Tartarus statim obiicitur; adeoque et haec loca *visenda*. De forma loquendi *videre* Tartarum, loca infera v. ad II. 13. 21. *Acheronta*, ut hic Cocytum, *videre* Sil. II. 367. — *ater*, quippe inferni fluvius; ut saepissime. *flumine languido errans*, lente fluens, tardis flexibus labens. Senec. Herc. fur. 686. *Palus inertis foeda Cocyti iacet*. Id. eiusd. trag. v. 554. *Stat nigro pelagus gurgite languidum*. Caussam a coeno, quo oppletus iste fluvius, (Virg. Ge. IV. 478.) fere repetunt; sed omnino languor, torpor, inertia rebus inferis tribuitur, hocque dignius poeta videtur. *Errans*, elegantter de fluvio flexuoso, Tartarum ambiente. Virg. Aen. VI. 132. *Cocytusque sinu labens circumvenit atro*. — *Danai genus*, γένος, filiae — 19. *infame*, diffamatum scelerum portentis, adeoque detestabile, scelestum, sponsis necatis. Fabula fusius exposita III. 11. 25. *Infamem* Thesei *domum* similiter vocat Senec. Hippol. 142. — *Sisyphus Aeolides*, Aeoli f. ὁ κέρδιστος γένετ' ἀνδρῶν (Hom. Il. ζ. 153.) apud inferos molem saxeam continuo provolvere iussus. Loc. class. apud Hom. Od. λ. 592 — 99. Cuius supplicii variae afferuntur caussae. Vide quos laudat Heyn. ad Apollod. I. 9. 3. p. 143. — *Damnatus* poenae *longi laboris*, aerumnae, saxi aeternum volvendi. Homer. l. l. κατὰ δ' ἱδρὼς ἔῤῥεεν ἐκ μελέων, κονίη δ' ἐκ κρατὸς ὀρώρει. Senec. Hippol. 1230. *degravet fessas manus saxum, seni perennis Aeolio labor*.

v. 21 *sqq.* Eadem fere sententia, aliis tantum coloribus adumbrata: Omnibus iis, quae in hac vita iucunda fuere, aliquando carendum; omnia tibi erunt relinquenda; qua et mol-

Linquenda tellus, et domus, et placens
Vxor: neque harum, quas colis, arborum
Te, praeter invisas cupressus,
Vlla brevem dominum sequetur.

Ab-

lissimos sensus in Postumo excitaret, sicque altius animo eius, quod de vita, dum liceret, fruenda subiuncturus esset, infixum iri praeceptum sperare posset. Docte vero enumerat, quibus vita beata ac iucunda censetur. Cf. omnino II. 3. 17. sqq. — *tellus*, terrae tractus, quem possides, adeoque agri, latifundia. — *domus*, quam forte magnifice exstructam splendideque exornatam possidebat Postumus, cuius adeo desiderio facile moveretur. — *placens* moribus, ingenio, forma; a cuius consortio adeo aegre divelleris. — 22. Linquenda amoena arboreta, quibus maximopere delectaris. Suavitas accedit sententiae e variata oratione; tum miram ἐνάργειαν habet *harum, quas colis arb.* De Romanorum luxu atque insania in conserendis viridariis cum in impluvio (de quo v. ad III. 10. 9.) tum in ipsorum fundis ostensa v. Carm. seq. et ad III. 10. 5. Nulla te, *brevem* istarum *dominum*, qui ne diu quidem istas possidebis, his deliciis tuis frui poteris, in discessu ex hac vita *sequetur*, comitabitur *praeter cupressum*, quatenus ista ad tumulum apud Romanos poni solebat; res notissima. Hinc *invisa*, quatenus omnia, quae mortuo impendebantur, iam ad res inferas spectabant, uti *ignes* rogi *nigri* IV. 12. 26. et alia. Hinc *cupressus atra* Virg. Aen. III. 64. Res autem inferae poetis *invisae* obvia ratione appellatae. v. I. 34. 10. — *dominus brevis*, cuius dominium breve est, non diu durat; docte. Sic *brevis hora* Lucret. IV. 179. *brevis rosa* II. 3. 13. *breve lilium* I. 36. 16. Miror Wernsdorfium, virum exquisite doctum, *brevem dominum* in Not. ad Poet. Min. III. 213. explicantem, in cineres et ossa redactum, mortuum et sepultum; uti alias dicatur *brevis tumulus*, *parva favilla* et sim. Sed in his paulo diversa est ratio, et Propertii II. 1. 82. *breve nomen* de epigraphe sepulchrali intelligendum. Observa autem exquisitam verborum invicem sibi respondentium *dominum sequetur*, collocationem.

v. 25 — 28. Vix poterat fortius animum Postumi impellere, et ad sectandas vitae voluptates excitare poeta, quam haeredis in

Absumet haeres Caecuba dignior
Servata centum clavibus: et mero
Tinguet pavimentum superbum
Pontificum potiore coenis.

in profundendis consumendisque iis, quibus ipse genium suum defraudasset, unice curiosi occupatique imagine animo eius repraesentata. Simillime Serm. II. 3. 122. *filius aut etiam haec libertus ut ebibat haeres, Diis inimico senex custodis?* Cf. omnino II. 3. 20, et IV. 7. 10. — *Haeres dignior*, qui dignior est qui ista possideat, ad quem deferantur, quod iis fruiturus est; inest adeo gravis obiurgatio parsimoniae eius. — *absumet Caecuba serv. cent. cl.* epotabit cados vini Caecubi, tam diligenter a te servatos. — 26 sqq. Adiecta haec egregie ad profusissimam haeredis luxuriam ulterius declarandam. *mero tinget pavimentum*, large effundet merum in triclinii solum, ut *natent pavimenta*, uti Cic. Phil. II. 41. in simili descriptione; aucta verbi vi, ut IV. 12. 22. et alibi. Ad libationem quo minus h. l. referas cum quibusdam, (etiam Toup. ep. cr. p. 111. laudato hanc in rem Ionis c. II. 3. (Anal. Br. I. 161.) ὁ δὲ Χρύσης οἶνον ἔχων χειροῖν νιζέτω εἰς ὕδαφος: cui adde sis Empedoclis fr. apud Athen. XII. 1. p. 510. ξανθῶν τε σπονδὰς μελιτῶν ῥίπτοντες ἐς οὖδας) vetat omnino totius loci ratio, quae unice de profusione cogitari iubet. *Merum potius*, praestantius, generosius *coenis pontificum*, quam quod bibitur in c. p. doctiore forma, poetis admodum frequentata. Iam coenas Pontificum, utpote epulas religiosas, opiparas pollucibilesque fuisse patet vel e Macrob. II. 9. adeo, ut in proverbium abierint. Martial. XII. 48. 12. *Non Albana mihi sit comissatio tanti, Nec Capitolinae, Pontificumque dapes.* — *superbum*, magnificum, opere tessellato expolitum. Notus satis veterum in pavimentis e pretiosissima materia, ebore et marmore, maxime Numidico artificiosissime struendis luxus. Praeclare vero poeta hoc unico epitheto haeredem omnis generis luxuriae indulgentem designat.

CARMEN XV.

ARGVMENTVM.

Invehitur hoc carmine Horatius in profusissimam privatorum hominum, aedificiis splendidis, villarumque insanis structuris, tum hortis, piscinis ac vivariis, solius amoenitatis et voluptatis gratia immensos sumtus impendentium luxuriam, laudatque e contrario priscam veterum Romanorum frugalitatem, severamque continentiam, qui modicis privatis opibus contenti omnia sua in publicam utilitatem ac dignitatem contulerint. Totum igitur carmen duabus quasi tabulis contrariis iuxta se positis constat, quarum una luxuriam eius aetatis, altera priscam simplicitatem exprimit, quarum colores tanta arte inter se opponuntur, ut continua antitheta exeant, quae non possint non summa energia legentis animum percellere.

Iam

Iam pauca aratro iugera regiae
Moles relinquent: undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu: platanusque caelebs
Evin-

v. 1. *sqq.* Initio statim carminis erumpit liberrima poetae indignatio per sententias breves, nulloque nexu adpositas prodita. Satis habet luxuriae istius temporis adnumerare genera. Tum stomachantem poetam mirifice decent cum aucta in maius omnia, tum quod pestem illam latius grassaturam, totiusque Italiae faciem sic luctuosissimam fore certo auguratur. *Iam*, procedente sic luxurie fieri non potest, quin brevi agri arationi defuturi sint propter immanem hominum in aedificiis exstruendis insaniam. Pro hoc docta brevitate poeta: *regiae moles*, aedificia regali luxu educta, sumtuosa, splendida (ut *regum turres* I. 4. 14.) *pauca* admodum *iugera aratro*, arationi, *relinquent*, omnes fere Italiae agros occupabunt amplitudine sua. *Moles* fere de substructionibus villarum accipiunt; quod etsi loquendi usus ferat (cf. III. 1. 34. Etiam Cic. pro Mil. 31. vocat *substructionum insanas moles* et inde Petron. de Mut. R. R. 91.) exquisitius tamen, et (propter adi. *regiae*) si quid iudico, verius de aedificiis amplis, alteque exstructis in genere intelligas. Ita turrim Maecenatianam *molem propinquam nubibus* appellat Horatius III. 29. 10. et *moliri* h. alte educere *atrium* III. 1. 46. ut alios taceam. Villas autem intelligendas esse h. l., quarum immensae structurae urbium speciem (Sallust. de B. Cat. 12.) referrent, quae adeo fundum (uti Cato de R. R. III. 1. ait) quaererent, facile perspicitur. Plin. Epp. II. 17. *Litus ornant nunc continua nunc intermissa tecta villarum, quae praestant multarum urbium faciem.* — 2. Alteram luxus genus, quod villis exornandis gulaeque inserviret, piscinae; quae vel iniectis mari molibus, si villa littori praetenderetur, (de quibus v. ad III. 1. 33.) vel mari in terras recepto ac vel per montes suffossos ducto in continenti in hunc finem adornabantur, ut exquisitorum marinorum piscium quovis tempore suppeteret copia, *utque tempestatum* (ut Seneca ep. XC. ait) *pericula non adiret gula.* Vid.

Evincet ulmos: tum violaria, et
Myrtus, et omnis copia narium,

Spar-

Tibull. II. 3. 45. Varro R. R. III. 17. Colum. VIII. 16. Senec. ep. 89. De utrisque agit Petronii locus de Mut. Reip. 88. *Expelluntur aquae saxis, mare nascitur arvis.* Qua maris appellatione amplitudo simul ipsarum notatur. *Navigabilium piscinarum freta* eadem de causa vocat Senec. Controv. V. 5. et *stagna* Noster h. l. Quorum quo magis in sensus caderet magnitudo, ampliora ea ipso lacu Lucrino fore auguratur poeta. Erat is prope Baias, iuxta lacum Avernum, e quibus invicem coniunctis, immissoque mari per aggerem, qui illud a Lucrino lacu excludebat, portus factus ab Augusto, inde Iulius dictus. v. Strabo V. p. 374. Dio Cass. XLVIII. 50. Suet. Aug. 16. Virg. Ge. II. 161. et ibi Heyn. Cum dilectu h. l. ad partes vocatus cum propter latitudinem, tum quod piscosus esset; maxime vero ostreis abundaret (τῶν ὀστρέων θήρων ἔχων ἀφθονωτάτην Strabo l. l. cf. V. 2. 49.) Iam haec stagna *visentur undique*, passim per totam Italiam cernere licebit, erunt *latius* magis *extenta*, latiora, ampliora Lucrino lacu. Caeterum haec cum antecedentibus haud inepte ita coniungas, ut *moles* interpreteris aggeres, claustra, quibus piscinae communirentur; ut posteriora adeo per epexegesin, more Horatio admodum familiari, adiecta videri possint. Praeferam tamen priorem rationem hactenus, quod enumeratio singularium villae partium, quae profusioris luxuriae speciem prae se ferunt, maiorem ἐνάργειαν habet; plures vero a poeta adponi, docent vel seqq. — 4. *Platanus evincet*, cedere coget, loco suo demovebit, penitus expellet *ulmos*, h. platani ulmorum locum occupabunt; ubi ulmi steterant, ibi platani erunt. Iam cum ulmi, populi, caeteraeque arbores, ad quas vites ducerentur, ita vel in pedestri sermone dicerentur *maritari*, v. c. Colum. R. R. V. 6. v. ad V. 2. 10; docte poeta platanum *coelibem* dixit, cui vitis non adhaeret, quae vitibus iungendis apta non est, propter densas ramorum umbras. Exquisite igitur hoc unico epitheto disertius declaratur illud: omnem hominum curam a vitibus ad platanos conferendas mox traductum iri, platanos brevi agros vitibus consitos occupaturas esse. Alii cum vet. Schol. exponunt: *evincet* numero, plures erunt platani quam ulmi, minus poetica ratione; minore etiam cum vi. Tum et seqq. immutatam peni-

tus

Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori:

Tum ſpiſſa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli

Prae-

tus rerum faciem deſignant. Plataneta autem poeta omnino pro viridariis poſuit, cum dilectu; quod iſta maxime arbor Romanis, Genio ſuo litantibus, (*genialis* inde Ovid. Met. X. 95. dicta) in deliciis eſſet. cf. ad II. 11. 13. — 6. *omnis copia narium*, quae naribus inſervit, parata eſt, multitudo rerum odorarum, h. l. flores omnis generis ſuaveolentes, cum virtute ita dicti, quod ſolus iſtorum fructus in odore eſt. Ineſt adeo ſuavis oppoſitio v. 8. — 7. *ſpargent*, diffundent in *olivetis odorem*, quam ornate, pro, occupabunt agros, qui olivis conſiti fuerant; ubi oliveta fuerant, ibi erunt violaria, myrteta ac flores omnigenae. — 8. unde utilitates redundarent in priorem dominum; cum ex iſto ſolo, quod nunc voluptatibus domini inſervit, uberrimi olim fructus perciperentur; graviter hoc adiectum. Si verba curate expendas, vix dubites, obverſatum fuiſſe hunc locum Quinctil. Inſt. Or. VIII. 3. *An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis oſtenderit lilia et violas — quam ubi plena meſſis, aut graves fructu vites erunt? Sterilem platanum, tonſasque myrtos, quam maritam ulmum et uberes oleas praeoptaverim? —* 9. Vbique daphnones erunt, laureta conſerentur, quae opacas et amoenas ambulationes praebeant. Suavis imago Romani, olim pulveris et ſolis patientiſſimi, nunc luxu diffluentis, et in lauri umbra laſcivientis. Praeclare ad eam declarandam adornata a poeta oratio. *Laurea* laurus *ſpiſſa ramis*, ſpiſſis, denſis ramis, πυκνόφυλλος, frondoſa *excludet*, arcebit ipſa hac ramorum denſitate ſolem, adeoque denſam umbram efficiet. Auſon. Moſ. 15. *conſertis per mutua vincula ramis — excluſum viridi caligine coelum.* Pro ſole docte ſunt *fervidi ictus*, θερμὰ ἡλίου τοξεύματα, (incert. apud Stob. in Floril. Grot. p. 393.) quatenus res fulgore aliquo colluſtratae *feriri*, *percuti*, ſplendor adeo, qui refulget, ἀμπρύγματα, teli inſtar emitti dicuntur. Frequentatae hinc loquendi formulae, ἡλίου βολαί (Eurip. Bacch. 458. Apoll. Rh. IV. 679.) *ictus*, *verbera ſolis* (Lu-

Praeſcriptum et intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumque norma.

Privatus illis cenſus erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Me-

(Lucret. V. 486. 612.) *tela diei* (Lucret. paſſim) et aliae. vid. Lambin.

v. 10. *ſqq.* Ac in hoc quidem quantum ab inſtitutis maiorum disceſſimus! alia ſane exempla nobis maiores noſtri reliquere. Iam cuius ea vivendi eſt ratio, quam optimus quisque ſequendam ſtatuat, is *praeſcribit* quaſi vitae recte inſtituendae rationem, tradit exemplo ſuo recte agendi *praecepta.* Tum idem, qui exemplo ſuo praeit, *auſpex* h. dux et auctor rationis vivendi, agendi caet. dici poteſt. *Auſpicia* adeo ſunt exempla, pro norma habita, quae *praeſcribunt*, dant, ſuppeditant vitae regulas. Vtrumque hoc, vide quam docte poeta coniunxerit! *Non ita praeſcr. auſp. R. et Catonis,* aliter prorſus Romuli et Catonis nos agere iubent exempla; aliter iſti vixere, quos ſequi oportuerat, quorum vivendi ratio nobis pro norma eſſe debuerat. Atque haec ſimpliciſſima atque unice vera huius loci videtur explicatio, quam etiam, quae perſpicuitatis cauſſa adiecta ſunt, *veterumque norma*, confirmant. Alii *auſpicia* eſſe volunt leges h. l., quod ius auſpiciorum penes ſummum magiſtratum, a quo leges ferrentur, eſſet, vereque leges ſumtuarias ad aedificandum pertinentes, a Romulo et Catone latas, quas tamen ignorat antiquitas, vano molimine ex h. l. extorquere conantur. Praeclare vero *Romulo* deſignat poeta *paupertatem* iſtam *Romanam* (Iuven. IV. 246.) atque frugalitatem, qua resp. maxime aucta eſt, cum nondum *divitiae avaritiam et abundantes voluptates deſiderium per luxum atque libidinem perendi perdendique omnia invexiſſent,* Liv. praef. extr. *Catonem* autem maiorem nominat, quod is labentem diſciplinam veterem luxuque diffluentem civitatem morum atque cenſurae aſperitate continere conabatur. Prodita haec eius antiquae diſciplinae ſeveritas etiam corporis habitu, barbaque *intonſa;* unde *intonſus.* cf. I. 12. 41. — *veterum norma*, vivendi ratione, quae pro norma eſt, exemplo.

v. 13. Quorum *cenſus*, divitiae, opes *privatae*, res familiaris

Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:

Nec

liaris cuiusque *brevis*, angusta, exigua erat, *commune* contra, τὸ κοινὸν, quod ad omnes pertineret, opes reip. *magnae*, immensae. — 14. Domus privatae non magnifice exstructae erant, aut splendide exornatae. Posterius hoc docte ita extulit poeta: nulla domus privata porticibus instructa erat, laudata ea aedificiorum parte. Iam observa ornatum in singulis. Pro porticu privati hominis est *porticus metata* (passive) quae metata est, cuius dimensio facta est *privatis decempedis*, privatorum hominum decempedis, quae adeo a privatis hominibus exstructa est. Praeclare ita spatium porticus amplissimum, pluribus decempedis descriptum, a poeta declaratur. Aliis hanc vim in v. *metari* quaerunt, quod illud de castris et campis proprie adhibeatur, laudantque in hanc rem Priscian. VIII. p. 792. Sed is usum huius v. passivum tantum ex h. l. ostendit, et *metari* omnino est, metiri cuiusvis moduli spatium. *Prope publici operis* cryptoporticum suam vocat Plin. epp. II. 17. quae magnitudine et magnificentia ad publicas port. proxime accederet. Porro pro simplici verbo, nulla p. metata, descripa *erat*, docte poeta, designato uno porticuum genere: *excipiebat Arcton*, h. patebat versus Septentrionem, quae adeo clausa versus meridiem submoto solis calore Boream admitteret, sicque media aestate frigus iucundum praeberet. Erant vero etiam, quae meridiem exciperent, h. quae versus meridiem apertae solem hiemis tempore tenerent; de quibus Iuven. VII. 183. Caeterum idem exquisitus τοῦ *excipere* usus est apud Lucan. II. 429. *Gallica rura videt, devexasque excipit Alpes*, de Luna oppido. Id. VI. 359. *Excipit adversos Zephyros et Iapyga Pindus.* Senec. ep. 55. *esse villam totius anni credo. Occurrit enim Favonio, et illum adeo excipit, ut Baiis neget.* Male Lamb. laudat Serm. I. 4. 134. Male etiam alii Arcton pro Borea, et hinc excipere Arcton pro, Boreae aditum facere accipiunt; vere quidem ad sententiam loci, quam tamen rectius ita e verbis elicias, ut *excip. A.* simpliciter sit obiacere Arcto, pertingere ad septentrionalem plagam, unde adeo Boreae liber est ad porticum accessus. — *opaca*, quae frigus inducit, gelida; docte translato a porticu ad Arcton epitheto. Cuius rationis poeticae parum memor Schol. Cruqu.

ad

Nec fortuitum ſpernere ceſpitem
Leges ſinebant, oppida publico
Sum-

ad hanc interpretationem delapſus eſt, nulla privatis domus erat, quae porticum haberet tantae latitudinis, ut poſſet ſufficere umbram, ſole vicino ſeptemtrionali plagae, tunc enim parviſſimae ſunt umbrae, quae quam contorta ſit, facile apparet. Alios autem, Arcton opacam privatis (tertio caſu) iungentes, non moramur.

v. 17 *ſqq.* Maiores enim noſtri privatim frugalitatis continentiaeque maxime rationem habebant; quae autem ad dignitatem ac maieſtatem imperii tuendam vim haberent, ea vero ut quam ſplendidiſſime apparerentur, ſedulo curabant. Praeclare in hanc rem Cic. pro Flacc. 12. *Haec ratio ac magnitudo animi in maioribus noſtris fuit, ut, cum in privatis rebus ſuisque ſumtibus minimo contenti tenuiſſimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam ſplendoremque revocarent. Quaeritur enim in re domeſtica continentiae laus, in publica, dignitatis.* Idem pro Muraen. 36. *Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.* Generalem ſententiam iterum ſpeciali notione, e qua diverſitas iſta maxime intelligitur, declarat poeta. Aliter adornabantur aedes privatae, aliter publicae. Hae quidem quam ſumtuoſiſſime; illae quam minimo. *Leges non ſinebant,* legibus cautum erat, ne quis *ſperneret*, iubebant leges domibus exſtruendis adhiberi *ceſpitem,* quo et culmen tecti pararetur (*tuguri congeſtum ceſpite culmen* Virg. Ecl. I. 69.) et parietes induccrentur. — *fortuitum*, obvium, parabilem, vilem; oppoſ. materiae, quae magna cum difficultate atque impenſa conquiritur. Petron. carm. min. IV. 8. (Wernsd. Poet. min. IV. 296.) *At paries circa palea ſatiatus inani fortuitoque luto.* Senec. ep. 90. *Philoſophia haec, cum tanto habitantium periculo, imminentia tecta ſuſpendit? Parum enim erat, fortuitis tegi, et ſine arte et difficultate naturale ſibi invenire aliquód receptaculum. — Iſta nata ſunt, iam naſcente luxuria, in quadratum tigna decidere* caet. Exiguam autem caſam, vile tugurium ita deſignari a poeta patet vel ex oppoſitione aedificiorum publicorum. *Ceſpitem* ſimpliciter illud vocat Rutil. Itin. I. 555. *Exiguus rerum rectores ceſpes habebat, et Cincinnatos ingera pauca dabant.* Talem caſam deſcribit Seneca ep. laud.

Fur-

Sumtu iubentes et Deorum
Templa novo decorare ſaxo.

Furcae utrimque ſuſpenſae fulciebant caſam: ſpiſſatis ramalibus, ac fronde congeſta et in proclive diſpoſita decurſus imbribus quamvis magnis erat. Errant adeo, qui poſt Cruquii Schol. ſimpliciter pro: in gramine recumbere, hocque ſimplicem ac ſine ambitione vitam veterum Romanorum a poeta declaratum volunt. — 18. Eaedem contra iubebant *oppida publico ſumtu decorare*, urbem aedificiis, publico ſumtu factis, exornari, aedificia, quae publico ſumtu fierent, opera publica, ita exſtrui, ut urbi decori, ornamento eſſent. Iam quam paullo obſcurius generaliter enuntiaverat poeta ſententiam, diſertius, tanquam novam, more ipſi familiari, uno operum publicorum genere, quo pietatem ſimul antiquorum Romanorum erga deos oſtenderet, declaratam ſubiicit: *et deorum templa decorare ſaxo*, exſtruere ſaxis, quo decor, ſplendor iis accederet, templa ſplendide educere. — *novo*, cuius uſus minus frequens eſſet, quod privatis aedibus non adhiberetur. Nihil amplius. Alii de lapide quadrato, vel marmore cogitant, quod non neceſſe. Nam ſaxum novum ſimpliciter opponitur ceſpiti, qui vulgo aedificiis explendis inſerviebat. Caeterum in eo haerendum non eſt, quod de talibus legibus, quae ceſpitem privatis aedificiis, ſaxa autem publicis adhiberi iuberent, nihil conſtet; nam poeta ſpecialibus notionibus elocutus eſt, quod generalius erat: privatam luxuriam antiquitus cum legibus tum maxime cenſoriis animadverſionibus (ſic v. c. Rufinum Fabricius cenſor Senatu movit, ob luxuriae notam, quod decem pondo libras argenti facti haberet, Gell. IV. 8.) circumſcriptam ſevereque coercitam fuiſſe. Privatas aedes earumque triclinia templis aequata queritur Manil. V. 507. *Nunc iam luxuriae pars, et triclinia templis concertant.* Adde Lucan. X. 111.

CAR-

CARMEN XVI.

ARGVMENTVM.

Ne aptus partium nexus in hoc carmine, quod verae sapientiae praecepta tradit, cum Homio (Elem. crit. I. 37.) desideretur, sententiarum progressionem ita apud animum nostrum informemus: Omnes quidem otium, tam corporis quam animi tranquillitatem, vitam adeo curis molestiisque vacuam exoptant, sed non veram viam, qua ad eam pervenitur, ingrediuntur. Honorum divitiarumque, quae eam efficere somniant, inexplebili cupiditate laborant, nec intelligunt, animum ita curis, corpus autem laboribus continuo fatigari, quibus tamen se levatos quam maxime cupiant. Immo vero tranquillitatis verae unice capax est animus sorte sua qualicunque contentus, in qua tanto lubentius acquiescit, cum recordetur, nullius hominis conditionem ab omni parte beatam esse posse, et huic bonum aliquod contingere, quo alteri carendum sit; eidemque contra negari, quod alteri obtigerit. Illustrat hoc poeta Tithoni et Achillis, tum etiam suo et Grosphi exemplo. Oratio huius carminis numerosa ac docta; imagines vividae, sententiarumque in brevitate vis praecipua.

AD

AD GROSPHVM.

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:

Otium

v. 1—8. Ordo sententiarum: Vnusquisque *otium* h. vitam tranquillam curisque vacuam maximo studio expetit. Quam cum in divitiarum honorumque splendore publica hominum reponat persuasio, congerendis comparandisque istis omnes vel cum vitae periculo operam navant maximam. Enimvero haecce neutiquam praestant vitae tranquillitatem caet. Praeclare contentiones ac studia hominum, quibus se otium obtenturos speranf, specialibus picturis adumbravit poeta. Nauta s. mercator *prensus* deprensus tempestate in medio, altissimo mari; pro hoc cum dilectu, *in Aegaeo*, utpote procellosissimo mari. Cf. III. 29. 63. — *patenti*, ubi latissime patet, alto, ubi nullum refugium est; auget periculi notionem. *Prendi* dicuntur nautae tempestate subito ingruente, satis nota ratione. Liv. XXI. 58. *tandem effuso imbre, cum eo magis accensa vis venti esset, ipso illo*, quo deprehensi erant, *loco castra ponere necessarium visum est*. Chariton III, 2. Διονύσιος — κατείληπτο ὑπὸ χειμῶνος· ut Virgilii aliorumque poetarum loca taceam. Cf. Burm. ad Phaedr. IV. 24. 20. Nostrum imitatus est Statius Theb. I. 370. *velut hiberno deprensus navita ponto, cui neque temo piger, neque amico sidere monstrat luna vias, medio coeli pelagique tumultu stat rationis inops.* — *simul*ac, ubi *nubes atra*, nubes atrae condidere, absconderunt, obduxerunt *lunam* et sidera h. caelo nubibus obscurato. Posterius novo instruxit ornatu poeta. *Sidera fulgent*, apparent, in conspectu sunt, *certa nautis*, quae cursum certum faciunt nautis, ad quae nautae cursum dirigunt, quae duces sunt navigationis. Sic *Helice certa* Val. Fl. V. 71. Tibull. I. 9. 19. *Ducunt instabiles sidera certa rates*, ubi v. Broukh. Adiecta autem haec τῷ *prensus*, perspicuitatis caussa; tum egregie totam imaginem augent et exornant.

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpura venale, neque auro.

Non

v. 5. Alii militiam sectantur, ut, opulentiores inde facti, otio aliquando indulgere possint. Thracas et Parthos ad partes vocat, itaque affectos ait poeta, nescio quam bene; cum istis populis plane insita ac numquam intermissa tribuatur bellandi cupido, nullo nec parandarum opum nec otium nanciscendi excitata studio. At Romanis quaestuosa habebatur militia cum praemiis eius, auctisque stipendiis, maxime bellis civilibus, tum praeda ex hoste faciendâ; unde adeo ipsis otiose vivere liceret. Sed voluit forte poeta nihil amplius quam, etiam gentes vel maxime inquietas aliquando otium exoptare; atque sic satis apposite Thraces ac Medi a poeta memorati videri possint. Enimvero cum statim subiiciat, otium illud minime opibus parari, illudque adeo de sola animi tranquillitate accipi debeat, vix recte in medium productos dixeris istos populos, quibus tantum otia sine armis, h. vita laborum ac molestiarum expers aliquando curae cordique sit. Dicendum igitur, poetam in constituenda otii notione parum accurate versatum esse, et in priori membro de vita secum periculisque vacua; in posteriore autem de sola animi tranquillitate cogitasse; quam utique diversarum notionum coniunctionem, transitionemque minus concinnam doctamque, iure improbandam duxeris. — *Thrace*, Θρᾴκη, Thracia, quantumvis *furiosa*, μαινομένη, furens, effera *bello*, bellicosissima, etsi libenter bello Thraces detinentur, in armis vitam degant; tamen aliquando *otium*, vacationem a militia, quietem praeoptant. Pervulgata satis immanis Thracum bellandi cupiditas; unde Ἄρεϊ κάτοχον γένος Thraces dixit Eurip. Hec. 1090. *Mavortiam Thracen* Stat. Ach. I. 201. — 6. *Medi*, Parthi *pharetra decori*, incincti, pharetram gestantes, sagittiferi; h. l. omnes vi, qui semper in armis sunt, quos maxime bellum delectatur, propter crebras ipsorum in fines Romanorum incursiones ac bella et cum his et cum finitimis gesta. — 7. Enimvero illud nullis opibus redimas, obtineas. Docte haec connexa cum antecedentibus. *non venale*, οὐ ὠνητόν (similis loquendi ratio in Epict. XII. 2. τοιούτου πολλοῦ.

Non enim gazae neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis, et Curas laqueata circum
Tecta volantes.

Vivi-

πωλεῖται ἀκάθεια, τοσούτου ἀταραξία) parari nequit *gemmis, purpura, auro*, rebus pretiosissimis, maxima opum affluentia animi tranquillitatem praestare nequit. *Purpuram* adeo pro divitiarum parte (v. ad II. 18. 8.) h. l. accipiendam suadere ipsa huius v. videtur collocatio; ob seqq. tamen, *gazae* et *consularis lictor* paene inducor, ut magistratus maiores, tum omnino maximas dignitates, imperia (I. 35. 12.) hoc vocabulo a poeta innui existimem. Esset adeo: neque divitiis, neque honoribus animi tibi compares tranquillitatem. Ad sententiam plane facit fragm. Ter. Varronis (in Anthol. Lat. Burm. I. p. 512.) *Non fit thesauris non auro pectu' solutum. Non animis demunt curas ac relligiones Persarum montes, non atria diviti' Crassi.*

v. 9 — 12. Docta inversione amplificatur anteced. vv. sententia, divitiis atque honoribus animi curas non cedere, pelli; imo iis augeri. Pro magnis opibus sunt *gazae*, ut I. 29. 2. et pro honoribus universis magistratus Romanus, consulatus. Iam pro vulgari: consulem dignitate sua neutiquam curis liberari, exsolvi, exquisitissimo ornatu ab insigni huius magistratus desumto poeta: *lictor consularis*, qui praecedens viam consuli munit, summovendo populo, neutiquam *summovet*, summovere, arcere a consule valet *tumultus mentis*, animi aegritudinem, curas *miseras* quae eum in tanto splendore misere affligunt, angunt, excruciant. Praeclara imago hominis externa specie fortunatissimi, vere autem, ob internas animi curas, infelicissimi. Iam observa verborum delectum. *Submovere* propr. vocabulum de lictore turbam populi dimovente, viamque consuli aperiente. Apposite, etiam ad sententiam, Senec. ep. 94. *Non est, quod tibi tranquillitatis tuae fastidium faciat ille, sub illis fascibus, purpura cultus: non est, quod feliciorem eum iudices, cui submovetur, quam quem lictor semita deiicit. Tumultus*, lectissimum h. l. vocabulum; nam et de turba hominum, forum ac vias obsidente, a lictore adeo submovenda in usu est, et animus tumultuari dicitur, graviori aliquo affectu commotus, perturbatus,

ASHMOLEAN MUSEUM OXFORD

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum:

Nec

seu, ut vulgarior fert loquendi forma, curae tumultuantur (θορυβεῦσι μελεδῶναι Theocr. XXI. 5.) in pectore. Naevius apud Nonium et inde in Scriv. Collect. vet. trag. p. 45. *magni metus tumultus pectora possidet.* Ita *mentis tumultus* Lucan. VII. 183. et eiusd. libri v. 779. *animi tumultus* et *privatos tumultus*, affectus animi, ex oppos. *turbae populi*, dixit Vellr. Spurinna II. 7. (Wernsd. Poet. min. III. 362.) Adde Claudian. in Ruf. I. 20. Alia exempla suppeditat docta Ruhnkenii nota ad Vellei. II. 79. Notionem rei optime explicat Seneca ep. 56. *Dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditas et timor, dum avaritia luxuriaque non disfideant, nec altera alterum vexet. Nam quid prodest totius regionis silentium, si affectus fremunt?* Suavissima adeo imagine *Tumultus* et *Curae* cogitandae tanquam turba, quae animum circumstrepit, obsidet, impedit (v. ad I. 22. 11.) ne fascium quidem terrore discutienda. — *Curae alatae* et alibi occurrunt; v. c. in Theognideis v. 707 - 8. Φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερὰ ποικίλ' ἔχουσαι, μειρόμεναι ψυχῆς εἵνεκα καὶ βιότου. Iam pro vulgari, opulentiores curis maxime excruciari, vividior erat imago: Curae commorantur in beatiorum palatiis, insident aedes splendidas, et pro hoc, exquisitiore ornatu et pictura, volant circa *tecta* triclinii *laqueata*, adeoque capiti hominis opulenti, in triclinio suo in luxum atque epulas perdite effusi, imminent, instant; in exquisitissimo convivii apparatu dives curis distragitur, maceratur. *Tecta* h. l. esse cubiculorum, maxime triclinionum, vel ex adi. *laqueata* intelligitur. Ita et Lucan. X. 112. *laqueataque tecta ferebat divitias, crassumque trabes abconderat aurum.* Triclinia enim quam sumtuosissime, maxime lacunari exornata erant. Iam *laquear*, s. lacunar erat tectum contignatione quadrata, cuius interstitia vel auro inducta, vel opere sectili, vel picturis exornata erant. Senec. ep. 90. Non *tecta coenationi parabantur: nec in hunc usum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus,* (plane ut Tib. II. 3. 43. *urbique tumultus portatur validis mille columna iugis*) *ut ex illa lacunaria aut gravia penderent.* Ad sententiam III. 1. extr.

v. 13 — 16. Is demum *bene* beate ac tranquille vitam degit, qui

Nec leves ſomnos Timor aut Cupido
Sordidus aufert.

Quid

qui ſorte ſua, etſi mediocri vel adeo tenui contentus eſt, quem nulla augendae rei cupiditas vexat. *Parvum* de re mediocri, fortuna tenui, ut ſaepe alibi, v. c. Lucret. V. 1117. *Divitiae grandes homini ſunt, vivere parce aequo animo; neque enim eſt unquam penuria parvi*: appoſite etiam ad ſententiam poetae. Noſtrum expreſſit Claudian. in Ruf. I. 215. *Vivitur exiguo melius.* cf. Serm. II. 2. 1. Iunge autem: vivitur bene *illi*, is bene vivit, *cui pat.* caet. Peſſime alii: *vivitur parvo* (tertio caſu) *cui* caet. Iam illud *parvum* docte ſpeciali; poetisque frequentata paupertatis notione declaratum ſubiicitur a poeta. Vtrumque autem, et apparatum ſ. ſupellectilem curtam, et victum tenuem deſignat per *ſalinum* et *menſam tenuem*, tenui, viili cibo inſtructam, ſ. vili materia compactam; tum contentum eius atque ab omni luxu alienum animum per *ſal. paternum* (cf. V. 2. 3.); denique, ut paupertatem eius, non ſordidam illam, atque omnium rerum egenam, ſed mundam referret, ſalinum ipſi *ſplendere* ait in menſa tenui. Noſter Serm. I. 3. 13. *Sit mihi menſa tripes, et concha ſalis puri* caet. Leonid. Alex. XXX. 3. (Anal. Br. II. 196.) Αὐτάρκης ἁ πρόβυς ἔχειν ἅλα καὶ δύα κρῖμνα. Perſ. III. 25. *rure paterno eſt tibi far modicum, purum et ſine labe ſalinum.* — 15. 16. *Nec* et cui non *Timor* caet. qui nec metu turbatur, ne bonis exuatur, nec augendarum rerum cupiditate inſatiabili tenetur; quae duo divitis avari animum miſere torquent. Pro hoc ſuavi imagine; *Timor* et *Cupido* ipſi non *auferunt*, intercipiunt, turbant *ſomnos leves*, ſomno leni ac placido perfruitur, animo eius nulla ſollicitudine perturbato. Cf. III. 1. 21. Senec. Herc. Oet. 644. *Ceſpes Tyrio mollior oſtro ſolet impavidos ducere ſomnos: aurea rumpunt tecta quietem, vigilesque trahit purpura noctes.* Spectat etiam huc fragm. Menandri in Stob. Floril. Grot. p. 391. (in Brunkii Gnom. p. 193.) ᾤμην ἐγὼ τοὺς πλουσίους — οὐ στένειν τὰς νύκτας, οὐδὲ στρεφομένους ἄνω κάτω οἴμοι λέγειν· ἡδὺν δὲ καὶ πρᾷόν τινα ὕπνον καθεύδειν, ἀλλὰ τῶν πτωχῶν τινα. νυνὶ δὲ καὶ τοὺς μακαρίους caet. — *ſordidus*, qui animum *ſordidum*, avarum arguit. *Sordes* enim animo tribuuntur, avaritiae labe coinquinato.

v. 17. Aurea plane ſententiae, brevitate maxime animum admo-

Quid brevi fortes iaculamur aevo
Multa? quid terras alio calentes
Sole

admodum ferientes! *Quid*, διὰ τί cur *fortes*, tanto cum nisu, tantopere *iaculamur*, appetimus *multa*, cur magnis consiliis tanta cum intentione imminemus, cur cogitationes nostras, augendarumque opum studium longe ultra vitae nostrae terminum extendimus, quasi aeternum victuri simus, *brevi aevo*, cum tamen brevissima nostra vita sit, in tam brevi, exiguo vitae spatio. *Iaculari* plane ut gr. τοξεύειν v. c. Eurip. Hec. 603. καὶ ταῦτα μέν γε νοῦς ἐτόξευσεν μάτην. Idem in Suppl. 745. ὦ κενοὶ βροτῶν, οἱ τόξον ἐκτείνοντες ὡς καιροῦ πέρα. Sic τόξον μερίμνης dixit incertus poeta apud Plutarch. de audiend. poet. c. XI. et inde in Excerpt. Grot. p. 925. Adde Lucian. Nigrin. §. 36. (T. I. p. 77.) et Hermot. §. 28. p. 768. Similiter Epictet. c. XV. μὴ ἐπίβαλλε πόῤῥω τὴν ὄρεξιν, ubi v. Heyn. — 18. Nexus sententiarum: Cur tantopere aestuamus curisque atque aegritudine nosmet affligimus, quam frustra longinquis peregrinationibus susceptis dispellere conamur, quum animum ita adfectum ubique nobiscum circumferamus. Animi vitia, cupiditates, quae te patria expellunt circumaguntque, exstirpandae sunt; has ubi compescueris, ubique gentium, animi ad σωφροσύνην composito habitu, beate ac tranquille vives. Ad rem ac verba Seneca Ep. 28. *Admiraris, quod peregrinatione tam longa et tot locorum varietatibus non discussisti tristitiam gravitatemque mentis. — Quaeris, quare te ista fuga non adiuvet? tecum fugis.* Idem ep. 104. *Quid prodest, mare traiicere, et urbes mutare? si vis ista, quibus urgeris, effugere, non alibi sis oportet, sed alius.* et mox: *Nullam tibi opem feret iste discursus: peregrinaris enim cum affectibus tuis, et mala te tua sequuntur.* *Terrae calentes*, calefactae, illustratae *alio sole*, sub alio caeli cardine sitae adeoque remotae, dissitae. Scilicet ex antiqui sermonis simplicitate, quae cuique regioni caelum suum, adeoque et solem, sidera sua adsignat, ducta haec loquendi forma. Sic *Italum caelum* II. 7. 4. Sic Sarmatae, vagi antea, *sub uno caelo* a Domitiano *vivere* iussi apud Stat. Silv. IV. 7. 51. *Mutato evadere caelo* Sil. X. 420. Hinc *mutare diem*, h. aliud subire caelum, ubi dies aliter se habent (uti optime Grotius) Lucan. VIII. 217. et *alii Soles* Idem l. IX. 872. *patriae non arva requiro, Europamque, alios soles, Asiamque calentem.* Iam Virg.

Sole mutamus? Patriae quis exsul
Se quoque fugit?

Scandit aeratas vitiosa naves
Cura: nec turmas equitum relinquit:
Ocior

Virg. Ge. II. 512. *alio patriam quaerunt sub sole iacentem.* Iam *mutamus terras longinquas* exquisita inversione doctaque brevitate dictum videri potest pro vulgari: mutamus terras nostras terris longe disjunctis, remotis, h. adimus terras alias. Cf. ad I. 17. 2. Simplicius tamen et, si quid iudico, magis ἐναγγέστερον videtur, *mutare terras* accipere pro, aliam ex alia adire terram, ἄλλοτε ἄλλην γῆν ἀμείβειν (Lucian. de Gymn. 18. T. II. p. 897.) terras remotissimas pererrare, animi inquieti aestui continuo circumagente. Sic *urbes mutare* in Senecae l. l. Lucret. IV. 460. *coelum mare flumina, montes mutare et campos pedibus transire videmur:* et magis apposite III. 1070. Si nossent homines aegritudinis caussas, *haud ita vitam agerent — quaerere semper commutare locum, quasi onus deponere possit* animus. — *Patriae quis* caet. Enimvero is, qui patriam fugit, relinquit, alias aditurus regiones, num *se quoque fugit?* h. is animi sui aegritudinem ubique circumfert, curae cum isto peregrinantur. Seneca de Tranquill. 2. *Aliud ex alio iter suscipitur, et spectacula spectaculis mutantur, ut ait Lucretius:* Hoc se quisque modo semper fugit. *Sed quid prodesit, si non effugit? sequitur se ipse, et urget gravissimus comes.* Lucretii locus est III. 1081. sqq. *Exul patriae* docte et plenius (ut *dux militiae* II. 7. 2.) pro simpl. *exsul*, et hoc pro, qui patria excedit, longinquam peregrinationem susceptiurus. Longam enim absentiam innuit hac voce poeta. *Exsulem hiemis* eadem virtute ciconiam dixit Petron. fragm. V. Praeclare autem servavit Horatius orationis colorem, ab exsilio petitum, v. *fugere*, quod itidem, ut gr. φεύγειν de exsilio poetis in usu est. Virg. Ecl. I. 1. 4. *Nos patriam fugimus*, et saepius alibi.

v. 21 — 24. Amplificatur iam, specialibusque picturis egregie repraesentatur proximorum vv. sententia. Hominem animo aegrum itinera, terra marive animi recreandi caussa suscepta, non levant, eius aegritudinem neutiquam minuunt aut tollunt. Pro hoc vividissima imagine

Ocior cervis, et agente nimbos
Ocior Euro.

Laetus

poeta: Cura, tanquam persona, ei, peregre ituro, adhaeret, ad latus ipsi est, eum comitatur, una adeo cum eo, mare traiecturo, *naves scandit*, navem conscendit. Iam quaevis affectio, πάθος, vitium animi est, h. morbus; illa enim animus consumitur, exeditur. Hinc animus, ita affectus, vitiosus, et ipsae affectiones, quae animum vitiosum reddunt, conficiunt, ut amor, aegritudo, cupiditates caet. docte *vitiosae* dicuntur. Sic *vitiosa libido* Nostro est Epp. I. 1. 85. et h. l. *Cura vitiosa*. Nescio tamen, an satis commode h. l. ita dicta sit; abducimur enim sic a persona ad rem significatam. —*aeratas*, aere munitas, rostratas; ornat. — 22. seu terra iter faciat, continuo eum sequitur. *Turmas* catervas *equitum*, equites *non relinquit*, eadem celeritate cum iis fugit, exaequat ipsorum cursum quamvis velocissimum, non defetiscendo. Iam *equites*, *equi* possunt simpliciter *navibus* videri opponi; ut adeo illo iter maritimum, hoc terrestre declaretur; uti fere in loco simillimo III. 1. 39. *Timor et Minae scandunt eodem, quo dominus; neque decedit aerata triremi, et post equitem sedet atra Cura*. I. 6. 3. pariter opponuntur *naves* et *equi*, et inde apud Flor. II. 2. *ille terrester populus ostendit, nihil interesse virtutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur*, ubi expungendum illud glossema: *terra an mari*. Possunt et *turmae equitum* proprie accipi de equitatu, omninoque exercitu, cui se Cura audacter immiscet. Lucret. II. 47. *Metus hominum Curaque sequaces nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela*. Ita vero audaciae magis quam velocitatis in Cura effingenda rationem a poeta habitam iure exspectasses. Magis adeo appositum videtur, magistratum Romanum aliquem cogitare, qui, provinciam sortitus, aut legatus eo missus, cum numerosa comitum caterva eo proficiscitur (v. Tibull. I. 3. in. Catull. X. XXVII. et XVI. 9.) vel omnino divitem Romanum, in magno comitantium strepitu villam aut aliam regionem petentem. Huic enim praesto erant plures comites, plures caballi, *manni*, *asturcones*, *toluarii* (Seneca ep. LXXXVII.) Noster Serm. I. 6. 101. *ducendus et unus et comes alter, uti ne solus rusve peregreve exirem; plures calones atque caballi pascendi*. Spectat huc Lucret. III. 1076.

Cur-

Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare, et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.

Abs-

Currit agens mannos ad villam hic praecipitanter, auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans; oscitat extemplo, — aut etiam properans urbem petit atque revisit. — 23. *agente* prae se, dispellente, vel excitante, cogente. Homer. Il. μ. 156. νιφάδες — ἅς τ' ἄνεμος ζάης, νέφεα σκιόεντα δονήσας, πυρφορίοις κατέχευεν ἐπὶ χθονί, h. *demissa tempestas ab Euro*, ut Horat. III. 17. 11. e quo simul, ut alios mittam, apparet, Eurum in illis regionibus crebrum procellis, posteriorem adeo rationem priori praeferendam esse; etsi celeritatis notio alteram suadeat.

v. 25 — 27. Animus ab omni cupiditate liber ac *laetus in praesens*, praesenti, quod vivendum datur, tempore hilariter fruens *oderit curare* ne curet *quod ultra est*, τὸ πόῤῥω (uti saepe Pindarus) quae nondum attigimus, ne sollicitus sit de futuro. Verae hoc tranquillitatis fundamentum saepius ab Horatio inculcatum; veluti I. 9. 13. III. 29. 32. *quod adest, memento componere aequus*, III. 8. 27. *dona praesentis capo laetus horae et linque severa* et alibi. — 26. *amara*, τὰ πικρά, acerba, iniucunda, adversa animus *temperet*, comprimat, retundat, levet *risu*, ita ut frontem ne corruget, malis succumbat, adversa nimis molliter ferat, adeoque animus adversis, si quae incidunt, ne frangatur, ne contristetur. In hac quidem ratione nihil est, quod quemquam offendere possit. Exquisitior tamen ac doctior haec altera, quae omnes intpp. fugit, in Horatio etsi et alibi obvia, qua *temperare* est miscere, et *amara risu temperare* adeo, tristitiam hilaritate miscere, in dolore laetitiam prae se ferre, aequo iniquam fortunam pati animo. Ita plane, unde sua poeta hausisse putandus est, in epigr. ἀδεσπότῳ DXXXI. (Anal. Br. III. 263.) Ὁ τὸν πολυστένακτον ἀνθρώπων βίον γέλωτι κεράσας Νικωνὺς Φιλοστίων. cf. IV. 12. 27. — *lento*, qui animum lentum, amaris non perturbatum, adeoque quietum declarat; docto epitheto. — 27. Nova sententia, ita cum superioribus connectenda: memor, secum reputans, nihil esse ab omni parte beatum, etiam fortuna-

Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget Hora.

Te

tunatissimo sua adesse incommoda. Ad sententiam Eurip. fr. Sthenob. I. οὐκ ἐστὶν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ caet. Laudant et Theognidea Οὐδεὶς γὰρ πάντ' ἐστὶ πανόλβιος. Adde eiusd. v. 170.

v. 29. Vltima iam insignibus heroicae ac mythicae aetatis exemplis illustrat poeta. Mira virtus poetae h. l. cernitur cum in docta brevitate, qua illa extulit, tum in epithetis, in quibus tota sententiae vis est, eorumque aptissima collocatione. Etiam oppositio, quae in his duobus exemplis est, magnam vim ad animum commovendum habet: Achilli maxima nominis claritas cum brevissima vita: Tithono contra longa vita, sed decrepito, contigit. *Achillem mors cita*, cito, in ipso aetatis flore constitutum *abstulit*, sed *clarum*, ut qui maximam fortitudine sua gloriam adeptus esset; Achilli brevis, at gloriosissima obtigit vita. Respexit poeta Homer. Il. ι. 410 sqq. Hinc μινυνθάδιος, ὠκύμορος eidem dictus Il. α. 417. et 505. — 30. *Tithonum minuit*, consumsit, confecit vires eius, decrepitum fecit, *longa senectus*; Tithono quidem obtigit longissima vita, ipsa adeo immortalitas, a Iove ipsi ab Aurora obtenta (Hom. H. in Ven. 220 sqq.) sed hilaritatis expers, senio quippe obnoxia, quod Tithonum Iupiter ἀθάνατον quidem, non vero ἀγήρακον fecisset; id quod Aurora petere oblita fuisset. Hinc ille, ὅτε δὴ πάσαν στυγερὸν κατὰ γῆρας ἔπειγεν, οὐδέ τι κινῆσαι μελέων δύνατ' οὐδ' ἀναεῖραι, Hom. H. l. 233. 4. — 31. 32. Etiam alterutri nostrum casu aliquid obvenire potest, quod alter ardentissimis votis frustra obtinere studeat. *Hora*, fortuna in horas varians (uti optime Ruhnken. ad Vellei. II. 18. p. 127.) Fors, mihi *porriget*, ultro deferet, non petenti dabit, *quod tibi negarit*, quod tu frustra votis expetieris, flagitaveris; forte mihi nec cupienti nec speranti obtingent, quibus tu aegerrime careas, quae tu maxime desideres. Modeste sic Horatius se ab omni cupiditate liberum, quaeque sibi fortuna largiatur, grata manu sumentem, Grosphum contra in maximis divitiis ulterioribus desideriis laborantem ostendit.

Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctae

Vesti-

v. 33. Iam, quo uterque beatus esset, quae diversa uterque bona nactus esset, perspicuitatis caussa subnectit poeta. Tu in summa opum affluentia vivis; ego vero pauper, at, quo me beatissimum praedico, facultate aliqua poetica polleo. Haud vulgari doctrina, ornatuque summo hanc sententiam instruxit poeta, adeo quidem, ut ipsi hi versus modestiam eius, qua tenuem admodum sibi obtigisse venam ait, egregie redarguant. Quo praeclaro artificio et alibi usus est poeta, v. c. I. 6. Iam divitias Grosphi docte enumerat per greges ovium, boum, equorum, et purpuram. Tum illud *tu possides*, vide quam docte et exquisite variaverit. Vivide enim et ad naturam rei *te circum mugiunt*, de magnis gregibus, late per agros pascentibus. Eodem ornatu Theocr. ιϛ. 36. Πολλοὶ δὲ — μόσχοι σὺν κεράοισιν ἐμυκήσαντο βόεσσι. E nostro colorem duxit Stat. Silv. IV. 5. 17. *Non mille balant lanigeri greges, nec vacca dulci mugit adultero: unique, si quando, canenti mutus ager domino reclamat.* *Greges* puta ovium. De his adeo proprium erat, *balant te circum*, ut in Papiniano loco. Sed alii greges vaccarum intelligunt, et *Siculas vaccas* declarative a poeta subiici volunt. Praestat tamen prior ratio, altera doctior. Ovid. Met. IV. 634. *Mille greges illi, totidemque armenta per herbas errabant.* — *Siculae*, tanquam praestantiores. Sicilia enim pascuis nobilissima. Alii Grosphum saltus et agros in Sicilia habuisse ex h. l. cogunt; haud incommode, etsi, ut omnino hoc statuamus, vix necesse existimem. — *tibi* in tui commodum equa *tollit*, edit *hinnitum* (ut *tollere clamorem*, *vocem* et similia) luxuriatur, pascitur in pratis, pro vulgari: tibi sunt equae armentales, adeoque armenta equorum. — *Apta quadrigis*, forte antiquo et primario vocabuli significatu, pro, iuncta h. quae iungatur aliquando quadrigis in certamine curuli, per prolepsin. Simplicius tamen fuerit, *aptam* idoneam *quadr.* quae in certamine curuli adhibeatur, accipere. Ita *longis cursibus aptus equus* dicitur Ovid. ex P. I. 2. 86. Vtrovis autem modo equorum generositatem ita declarat poeta; nihil amplius.

Ar-

Vestiunt lanae: mihi parva rura, et
Spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca

Argutantur alii, nimis in orationis ornatu haerentes. — 35. tu purpura amicitis, purpuratus incedis. *To lanae vestiunt*, lana vestit *bis tincta*, infecta *murice*, succo muricis, h. colore purpureo. Murex e genere testaceorum, qui ad Phoenices (hinc *Tyrius* V. 12. 21. Ovid. A. A. III. 170. *Sidonius* Tibull. III. 3. 18.) Africae (ut h. l. Adde Epp. II. 2. 181. Ovid. Fast. II. 318.) et Laconicae litora capiebatur. Bis eius succo lana tingebatur, quo ea colorem nigricantem traheret, qui, pretiosior quippe, veteribus maxime in deliciis erat.

v. 37 — 40. Praeclare Musam suam immensis Grosphi divitiis opponit poeta, haeque virtute se eidem felicitate, si non superiorem, parem saltem haberi vult. Horatio hic et II. 18. init. ante oculos fuit carmen Bacchylidae, cuius fragm. servavit Athen. XI. p. 500. Anal. Br. I. 152.) Οὐ βοῶν κάρεστι σώμασ', οὔτε χρυσὸς, οὔτε πορφύρεοι τάπητες· ἀλλὰ θυμὸς εὐμενὴς, Μοῦσά τε γλυκεῖα. Iam pro vulgari „mihi obtigerunt" antiqua notione poeta sibi a Parcis ista tributa ait. Parcae enim nascentis cuiusque sortem non tantum praedicere, sed ipsae cuique adsignare, dare, credebantur. Iam quae fatali quadam necessitate cuique in vita contingunt, conditio cuiusque, tam bona quam mala, adeoque non solum opes atque honores, sed et egestas, aerumnae, et miseriae; tum corporis atque animi dotes vel divinitus vel a Parcis dispensari putabantur. Parcae adeo cum paupertatem suam tum facultatem poeticam acceptam refert Horatius h. l.; non vero Musis, quas indocte quidam intelligendas statuunt; ut aliorum commenta sileam. Apte Laqib. laudat Pind. Ol. 9. 38. εἰ σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι κᾶπον. Magis tamen huc spectat Nem. δ. 66. ἐμοὶ δ' ὁποῖαν ἀρετὰν ἔδωκε Πότμος ἄναξ, εὖ οἶδ' ὅτι χρόνος ἔρπων πεπρωμένον τελέσει. quem locum Horat. obversatum h. l. paene crediderim. Iulian. Misop. 337. Ἀνακρέοντι τῷ ποιητῇ πολλὰ ἐποιήθη μέλη χαρίεντα, τρυφῶν γὰρ ἔλαχεν ἐκ Μοιρῶν. — *non mendax*, verax, perpetuo Parcarum epitheto, quatenus ipsarum decreta mutari nequeunt. — *parva rura*, agellum Sabinum. — 38. *Spiritum tenuem Graiae Camenae*, aliquid facultatis poeticae, qua poetae lyrici Graeci exsplenduerunt, poesin lyricam,

Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

lyricam, facultatem pangendi lyrica, ad Graecorum exempla facta. *Spirare*, *spiritus* sollennia de vi ingenii poetica, nisuque altiore. Noster IV. 6. 29. 30. *Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem carminis nomenque dedit poetae.* cf. IV. 4. 24. Stat. Theb. I. 17. *quando Itala nondum signa nec Arctoos ausim spirare triumphos.* Idem Silv. V. 3. 10. *Ibam altum spirans.* Alcaeus Mess. V. 3. (Anal. Br. I. 487.) Δωρόθεος γοεροὺς ἔννεπε Δαρδανίδας — ἔπνεε δ' ἵππου ἔργματ' ἀειζώων ἁψάμενος χαρίτων. Dioscorid. XXV. (Anal. Br. I. 499.) Σάπφω, σὺν Μούσαις ἦ ῥα σὲ Πιερίσιν ἢ Ἑλίκων εὔκισσος, ἴσα πνείουσαν ἐκείναις, κοσμεῖ. — *et malignum spernere vulgus*, sicque effecit, ut despicere possem turbam invidam, invidos, h. invidia me superiorem, *maiorem* (ut II. 20. 4.) constituit, maximam mihi e poesi lyrica famam conciliavit. Adiecta adeo haec ad exornationem superioris sententiae. Pedestris oratio ita iungebat: Parca facultatem poeticam mihi tribuit, qua maxime glorior, qua maximam famam consecutus sum.

CAR-

AD MAECENATEM.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Dis amicum est, nec mihi, te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum.

Ah!

v. 1. Initio statim carminis tenerrimus amoris, quo adversam Maecenatis valetudinem molliuscule ferebat Horatius, erumpit affectus. Cur me *exanimus*, occidis, enecas h. excrucias, angis *querelis tuis*, de morte tibi instante, sensu mollissimo pro, vanae istaec tuae sunt querelae, quod morti proximus sis, quod vita nunc tibi excedendum sit. *Exanimare, enecare* (Terent. Andr. IV. 1. 36.) *occidere* (V. 14. 5.) de iis, qui quocunque affectu animum alicuius penitus conturbant, ut sui amplius compos non sit; plane ut gr. ἀποκτείνειν, ἀποκναίειν. V. Valken. ad Eurip. Hippol. 1064. *Animus* contra *redditur*, vanescente metu, sollicitudine caet. — 2. Quandoquidem *non amicum est Diis, οὐ φίλον θεοῖς ἐστὶ* (de graeca hac loquendi forma v. Lamb. h. l. et Muret. Var. Lect. II. 13.) non placet Diis, Deorum e voluntate non est, in fatis non est, te prius obire. Adiecta adeo haec, quo vanum eius timorem argueret; tum Deos id nolle, miro acumine poeta inde ponit, quod eorum utriusque fata essent simillima, sibi adeo eodem tempore mors oppetenda sit, quam tamen nunc non videat, cur pertimescat sibi propinquam. Quae sane argumentatio in Maecenate, mortis timidissimo, cuius rei, nisi aliunde constaret, ipsae eius querelae (v. 1.) fidem faciunt, adeoque omnibus, quae ipsi vitae longioris spem ostenderent, vocivas aures praebente, vim aliquam habere poterat. Pessime autem voluntatem hanc Deorum ex sua cogere poetam statuunt intpp. — *nec*, etiamsi Dii nolint, mihi *amicum*, statutum est, tibi superstitem esse. Docte sic parat transitum ad vv. sqq. sententiam. — 4. *decus* v. I. 1. 2. *Columen mearum rerum*, in quo omnes meae res, ac fortunae repositae sunt, quo adeo mortuo nihil amplius est, cur vitam ulterius expetendam existimem. Caussam adeo, praeter tenerrimi amoris

Ah! te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera?
Nec carus aeque, nec superstes
Integer. Ille dies utramque

Ducet

amoris testificationem, continet, cur ipsi secum mori constitutum sit.

v. 5. Insurgit atque emollescit penitus poetae affectus mortis, quae a Maecenate eum disiunctura sit, cogitatione. Si *vis* leti (ut II. 13. 20.) *necessitas leti* (I. 3. 33.) *mors indomita* (II. 14. 4.) *maturior rapit*, docte pro, mors te maturius, citius quam me rapit, si maturius obieris, quam ego. Male alii vim maturiorem de morte immatura capiunt. *Partem*, dimidium *animae meae*, uti Virgilium suum Horatius vocat I. 3. 8. — 6. *Quid* ego, *altera*, cuius dimidia tantum animae pars restat, amissa te altera, defuncto te, *moror*, amplius vivo, qui ego sine te amplius vivere possim? 7. — Siquidem *non aeque* ac antea, cum tu, pars mei melior, superesses, *carus* mihi futurus sim, vitam non amplius iucundam ducam. Sic Statius *partem animae suae meliorem* Metium vocat Silv. III. 2. 7. Blandius autem, aut exquisitiore ratione vix efferri potuit, quanti Maecenatis amicitiam faceret poeta. — *non superstes integer*, amissa altera animae parte. Fatendum sane, posi antecedentia haec ultima enervia videri, et acumen, quod subest, admodum languere. Sed et graeci poetae in hac testificandi amoris formula exornanda atque ad prima sua stamina revocanda mire sibi placuerunt frigidumque quendam lusum captarunt. Vide Callimachi loca ad I. 3. 8. adducta; adde Theocr. XXIX. 4. *οὐχ ὅλας φιλέειν μ' ἐθέλησθ' ἀπὸ καρδίας· γινώσκω. τὸ γὰρ ἥμισυ τᾶς ζοΐας ἔχω, ζᾷ τὰν σὰν ἰδέαν, τὸ δὲ λοιπὸν ἀπώλετο.*

v. 8. Ille dies, quo tu morieris, *utramque*, utriusque nostrum *ruinam* casum *ducet*, uterque eodem die ruemus, occumbemus, moriemur. Proprie erat: tu occumbens duces ruinam, me tecum trahes, una occidam; imagine ab aedificio ducta; quod, solutis compagibus ac iuncturis collabitur. Virg. Aen. II. 465. *ea lapsa repente ruinam cum sonitu trahit.* Claudian. de R. P. III. 379. *pariter traxere ruinam — campoque recumbunt.* Id. in Phoen. 33. *pinus seram ponderibus*

Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi ſacramentum: ibimus, ibimus,
Vtcunque praecedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.

Me

pronis tractura ruinam. Alii *ducet* pro, adducet, dictum volunt, parum docte. — 9. *Dixi ſacramentum*, iureiurando me obſtrinxi, *perfidum*, quod fallerem, ſancte adiuravi tibi, me numquam te deſerturum. *Dicere ſacramentum* verba ſollennia de iuramento militari, ſatis accommodata h. l. Nam uti milites iurabant, ſe numquam deſerturos militiam; ita iuraverat Horatius, ſe Maecenatem haud derelicturum. — 10. *ibimus, ibimus*, geminatum, graviter aſſeverantis eſt, pro vulgari, ſequar te, *utcunque*, ſtatim ſimul ac *praecedes*. Color orationis itidem petitus a ſacramento militari. Nam ut militum erat, ducem et ſigna ſequi, quocunque tenderent, ita Horatius Maecenatem praecedentem tamquam ducem illico ſecuturum ſe ſpondet. — 12. 12. *parati*, πρόθυμοι, *carpere* ad carpendum, haud cunctanter carpturi *iter comites* una, tecum, comitaturi te in *ſupremo itinere*, ad loca infera. *Ire ad inferos* pervulgata imagine dicitur pro, mori. Vide ad I. 4. 17. Nobilitavit eam poeta, dicendo, *ſupremum* iter carpere. Similiter Sophocles Antig. 818. Ὁρᾶτε μὲ — τὰν νεάταν ὁδὸν στειχοῦσαν, νίατον δὲ φέγγος λεύσσουσαν ἠέλιον. Simmias Rhod. IV. 4. (Anal. Br. I. 204.) ὤχετο γὰρ πνοιάων εἰς Ἀχέροντος ὁδόν.

v. 13. Nullis terriculis, ne horrendis quidem Tartari monſtris in hoc itinere obiectis me a te divelli patiar, conſtanter tibi adhaerebo. Animo igitur praecipit poeta, quae ſe poſt mortem a Maecenatis conſortio disiungere poſſint. Generaliter hanc amoris obteſtationem ab intpp. accipi video, quaſi vivus videnſque monſtris iſtis ſe ceſſurum neget; quod, ne quid gravius dicam, admodum ieiunum foret. Sed cogitandum, Chimaeram et alia monſtra in aditu ad Vmbrarum loca a poetis collocari, etiam a Virgilio Aen. VI. 285-289. Tum et Centimanis, e quibus poeta *Gygen* (Virgil. l. l. *Briareum*) commemorat, in Orci veſtibulo ſedem adſignarunt poetae; etſi Heſiodus eos in Tartari fauci-bus collocet Theog. 734. ἔνθα Γύγης, Κόττος τε ἠδ' ὁ Βριάρεως μεγάθυμος ναίουσιν, φύλακες πιστοὶ

Me nec Chimaerae ſpiritus igneae,
Nec, ſi reſurgat centimanus Gyges,
Divellet unquam. Sic potenti
Iuſtitiae placitumque Parcis.

Seu Libra, ſeu me Scorpius adſpicit
Formidoloſus, pars violentior

Na-

πιστοὶ Διὸς αἰγιόχοιο. quem alibi Virgilius (VI. 574. *Cernis, cuſtodia qualis veſtibulo ſedeat?* ſc. Centimanorum) in talibus figmentis ſibi parum conſtans (ita et Hydrae diverſam a priore v. 287. ſedem dat v. 576.) ſecutus videri debet. Proclive adeo fuit, ut poeta in hoc phantaſma, quod Vmbris loca infera intrantibus obiiceretur, incideret, quum ſe nullo terrore ac periculo vel praeſentiſſimo ab hoc conſilio deductum iri declaraturus eſſet. Similiter de Hercule, Orcum ingreſſo, Virg. Aen. VIII. 298. *Nec te ullae facies, non terruit ipſe Typhoeus arduus, arma tenens; non te rationis egentem Lernaeus turba capitum circumſtetit anguis.* Iam pro vulgari, *Chimaera* ignem ſpirans, exquiſitius ac fortius erat, Chimaerae ſpiritus igneus; pro quo doctiore ratione eſt *Chimaerae igneae ſpiritus*, Χίμαιρα πῦρ πνείουσα, *flammis armata*, ut Virg. Aen. VI. 288. — 14. *Gyges centimanus*, ἑκατόγχειρ, nota ratione. — *ſi reſurgat*, ſeſe mihi obiiciat, manus intentet, vim paret. Sequitur adeo poeta eos, qui Centimanos fulmine in Tartarum detruſos. perhibuerant. Iacebant adeo proſtrati in Tartaro; uti fere *Titaniam pubem fulmine deiectam in imo fundo volvi* h. exanimes iacere narrat Virgil. Aen. VI. 581. Apte adeo *reſurgat*, ut *Typhoeus arduus*, erectus, reſurgens in ſimili loco Virg. Aen. VIII. 299. — 15. 16. Similis forma Homerica, Il. β. 116. οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι. *Sic placitum*, conſtitutum eſt *Iuſtitiae*, Δίκῃ, tanquam Deae; hinc *potenti*, cuius decreta, ut Parcarum, immutabilia ſunt. In proſa ſimpliciter erat: ita conſentaneum, ita ius fasque eſt pro noſtra amicitia; *placitumque Parcis*, quod ipſum fata decreverunt. Caeterum haec ῥῆσις non tam ad proxime antecedentia, quam ad univerſam ac primariam poetae ſententiam ſpectat: in fatis eſt, nos uno eodemque tempore mori.

v. 17. Ac de hoc (ſc. quin uno eodemque tempore moritu-

Natalis horae, ſeu tyrannus
Heſperiae Capricornus undae:

Vtrumque noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum. Te Iovis impio

Tu-

ri ſimus) dubitationem plane eximit caſuum atque eventorum, quae utrique noſtrum acciderunt, ſimilitudo; cuius quidem cauſſas in conſenſu ſideris noſtri natalitii latere exiſtimo. Iam quum inde mortis etiam tempus definirent genethliaci, facile intelligitur, quantam iſta ad Maecenatis animum huic ſuperſtitioni alligatum vim habere debuerit argumentandi ratio. Pro vulgari: quaecunque mea geneſis ſit, quodcunque ſidus fuerit, ſub quo natus ſum, docta ſiderum enumeratione poeta: *Seu Libra me adſpicit*, adfulget mihi, vim in me habet, utpote ſidus, quod natali hora emerſerit. Huius enim vis in horoſcopo reliquis, certa aliqua caeli parte ab eo diſtantibus, aut e regione oppoſitis, praevalere credita. Eſt adeo: *ſeu Libra* ſidus meum natalitium eſt, *ſeu Scorpius*. — *formidoloſus*, adſpectu terribilis, formidabilis, Scorpii ſidus *κακοποιόν*, ornatu a noxia huius animalis natura petito. Ita *Scorpius minitans ictu* eſt in Anthol. lat. Burm. T. II. p. 317. — *Pars natalis horae* ſ. geniturae dicitur, quia plures ſtellae obſervabantur, earumque intervalla, quibus cum inter ſe tum ab aſtro primario diſtabant, notabantur; quae notatio horoſcopus dicebatur. Iam quum Scorpius in noxiis haberetur, ſidus autem, quod in ipſa natali hora emergeret, caeteris efficacius putaretur, docte poeta Scorpii ſidus natalitium *partem* appellat *violentiorem*, quae vim reliquorum, quae geneſin efficiunt, beneficam frangit, ac hebetat. — 19. 20. *Capricornus tyrannidem* exercet, dominatur *undae Heſperiae*, fluctibus maris occidentalis, quatenus ortus eius (qui incidit in a. d. XVI. Cal. Ian.) et occaſus (a. d. VIII. Id. Iul.) maximas procellas excitare credebatur. Vid. ad I. 3. 15. Propert. IV. 1. 107. *Quid moveant Piſces, animoſaque ſigna Leonis, lotus et Heſperia quid Capricornus aqua.* Vnde *aquoſus* dictus in Anthol. Lat. II. p. 315. et *νότιος*, *χαλαζόεις* Nonno. Caeterum ſalutares (Libram) et noxias (Scorpium et Capricornum) ſtellas memorat poeta, cum quod utrarumque vi cuiusque fere geneſis temperaretur.

Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque Fati

Tardavit alas, quum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum:

Me

retur, tum quod utraeque Maecenatis genituram, ad quam suam plane accommodat, efficerent.

v. 21. Quodcunque tandem sidus fuerit, quaecunque in hora mea natali coniunctio; ea certe tuae genesi simillima fuerit, necesse est; quandoquidem par fere fatum uterque habuimus, et in discrimen mortis adducti, et inde servati. Iam quum Horatius arboris *ictu* prope *funeratus* (III. 8. 7.) fuisset, nimis anxie casus utriusque similitudinem rimari atque exigere putandi sunt intpp., qui ideo idem fere Maecenati periculum intentant, eumque vel in aliquo spectaculo (ita Masson. p. 356.) vel ipsa theatri ruina vel denique conspiratione adversus eum facta (ut Cruq.) vitae discrimen adiisse contendunt. Caeterum Maecenatis genesin non plane suam facit Horatius, sed diversae tantum potestatis stellis, tam noxiae quam salutaris, similiter ita temperatam fuisse contendit, ut salutares noxiis praevalerent, vimque harum retunderent. In verbis, *nostrum incredibili modo consentit astrum*, orationem admodum ad pedestrem normam depressam videri, notarunt iam alii; sed sunt quaedam, per se tenuia, quae nullis machinis ad dignitatem poeticam extollere valeas, siquidem veram istorum notionem repraesentare velis. Peccant adeo, qui vano quodam tumore, verborumque inani strepitu nobilitatem talibus adstruere conantur. — 22. In Maecenatis adeo genitura praesidebat Saturni sidus *impium*, pestiferum, exitiosum, *grave* (Propert. IV. 1. 106. adde Apulei. Florid. p. 124. Bip.) cuius tamen vis *felicis* (Propert. l. l.) *Iovis stellae* radiationibus mitigabatur, ac temperabatur. *Iovis* igitur *tutela*, sidus tutelare, salutare *refulgens*, ex adverso radians, opposita (Saturni stellae) *eripuit*, subtraxit te *Saturno impio*, periculo a Saturni sidere pernicioso tibi imminente. Sublegit totum locum Pers. V, 45 sqq. *Non equidem hoc dubites, amborum foedera certo consentire dies, et ab uno sidere duci. Nostra vel aequali suspendit tempora Libra Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora di-*

Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum

Dextra

vidit in Geminos concordia fata duorum: Saturnumve (male legitur *que*) *gravem noſtro Iove frangimus una.* — 24. Teque praeſentiſſimo vitae periculo liberavit. Ornatiſſime hoc extulit poeta. Iupiter *tardavit* inhibuit, repreſſit *alas Fati volucris*, alas volucres Fati, Fatum impetuoſe in te involans, irruens. Scilicet ſollenni imagine, Homero potiſſimum frequentata, Μοῖρα homini ἐπισκήπτειν, ἐπιχράειν dicitur; unde *alatam* eam effinxit Horatius. — 25. Quod accidit eo tempore, *quum populus*, quo die te primum recuperata valetudine in theatro adfuturum audierat, *frequens*, magna ideo frequentia in *theatris* congregatus *ter erepuit ſonum*, edidit plauſum, intranti tibi applaudit. — *laetum*, quo laetitiam ſuam ob receptam ſanitatem teſtatam faceret. Blanda autem admodum huius rei commemoratio (fere ut I. 20. 3.) tantoque ſuavior, quo minus anxie facta ac quaeſita videtur.

v. 27. *Truncus* arboris *illapſus cerebro me ſuſtulerat*, docte pro, arbor *cerebro*, capiti meo *illapſa* fuiſſet, *me*que adeo *ſuſtuliſſet*, necaſſet, niſi *Faunus ictum*, ab arbore intentatum *dextra* protenta *levaſſet*, ſuſtinuiſſet, avertiſſet. Ad rem cf. c. 13. huius libri. Fauno acceptum hanc ſuam ſalutem refert poeta, utpote deo agreſti, inprimisque Sabini ſui, ubi res iſta evenerat (II. 13. 10.) cuſtodi vigilantiſſimo. Cf. I. 17. init. Iam quum hoc ſibi, tanquam poetae, cuius *pietas et Muſa Diis curae* cordique eſſet (I. 17. 13. cf. I. 22.) accidiſſe perſuaſum haberet, ſatis proclive erat, eundem Faunum inter *cuſtodes*, ſ. Deos tutelares *Mercurialium virorum*, poetarum referre. Eadem ratione Baccho deberi quod ſervatus ſit, profitetur III. 8. 7. Poteſt etiam Faunus poetarum cuſtos haberi hactenus, quod illi fere tribuerentur, quae Panis Graecorum eſſent propria; is autem deus συρίζων, συρικτάς. Hinc etiam in Bacchi comitatum adlectus, cui ſe libenter adiungunt poetae, receſſus nemorum petentes. Cf. I. 1. 31. Vel ſic tamen priorem rationem, et ſimpliciorem et ad ſenſum iucundiorem tenuerim. Ridicule autem Lambinus haec ad Horatii geneſin refert, Martisque iniuriam a Mercurio et Fauno propulſatam innui contendit.

v. 30.

Dextra levaſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum. Reddere victimas
Aedemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

v. 30. Quare *memento reddere*, redde, perſolve, para *victimas votivas*, ſacrum ex voto debitum, et *aedem votivam*. Ad utrumque enim referendum. *Reddere* proprium verbum de ſacrificiis ac muneribus, quae ex voto diis perſolvuntur. Propert. II. 21. 59. *Tu quoniam es, mea lux, magno demiſſa periclo, munera Dianae debita redde choros.* — 32. Nos agna caeſa ſacrum Fauno faciemus *humile*, tenue, pro re tenui noſtra. Suaviter hoc ſplendidiſſimo Maecenatis voto opponitur.

CARMEN XVIII.

ARGVMENTVM.

Suo ipsius exemplo hoc carmine ostendit Horatius, quam vere beatus is sit, qui ab omni cupiditate liber mediocri sorte sua contentus vivit; ridetque contra atque exagitat insanas atque improbas divitum saeculi sui cupiditates, a quibus explendis ne mortis quidem ipsius instantis cogitatione absterreantur atque abstrahantur. Exsplendescit hoc carmen summo imaginum vigore; oratio exquisite comta, numerorumque harmonia suavissima; ut illud adeo inter consummatissima totius antiquitatis monumenta facile posuerim.

Non

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa:

v. 1 — 8. Sententia vulgaris erat: Pauper ego sum, et in hac paupertate mihi admodum placeo; divitias neque possideo, neque desidero. Ornatissime hanc specialium notionum copia, iisque maxime, qui perditum aetatis suae luxum referrent, coloribus adumbravit poeta. Primo loco commemorantur aedificia splendida; specialisque haec divitiarum notio descriptione talium aedium per partes instituta insigniter exornatur. 1. In domo mea nihil pretiosum, quod oculos praestringat, neque eboris neque ulla auri lamina, conspicitur, est. Exquisitior autem forma, *ebur, aurum renidet in domo*, altera, *domus renidet*, resplendet *ebore, auro*, qua usus est Bacchylides, cuius locum in animo forte habuit h. l. Horatius c. XI. 11. 12. (Anal. Br. I. 151.) Χρυσῷ δ' ἐλέφαντι τε μαρμαίρουσιν οἶκοι; et Lucret. II. 27. *Nec domus argento fulget, auroque renidet.* Nam *renidere* proprie de fulgore repercusso. vid. ad II. 5. 19. Iam *ebur* veteribus exornandae domui varie inserviebat. Nam et postes, parietes, pavimenta et varii generis supellex, sellae, vasa caet. isto inducta, vel adeo ex eo dolata erant; quae generatim poeta ita complectitur. Neque tamen Acronis et Schol. Cruq. rationem cum quibusdam plane aspernandam duxerim, qua *ebur et aureum lacunar* esse volunt pro, eburneum et aureum lacunar, quae satis docta atque apposita h. l. videtur, cum non nisi specialissimis ideis h. l. poeta usus sit, et exornando lacunari ebur etiam adhibitum fuerit. Senec. Thyest. 457. *Nec fulget altis splendidum tectis ebur.* Etiam Cicero *marmorea tecta*, h. marmoris crustis ornata, *ebore et auro fulgentia* memorat Parad. I. 4. — *Lacunar aureum*, auro inductum, condecoratum. v. ad II. 16. 11. — 3. 4. Nec columnis marmoreis domus instructa est, nullas porticum contignationes habet. Iam, quo magis huius luxus insania appareret, pretiosissima, quaeque ideo Romanis maxime in deliciis essent, marmorum genera ponit poeta. *Trabes* h. l. superiores columnae partes, epistylium, zophorum et coronam, tra-

Africa: neque Attali
Ignotus haeres regiam occupavi:

Nec

trabeationem simpliciter dictam, complectuntur. Erant eae fere ligneae, auro, (Lucan. X. 114. *crassumque trabes absconderat aurum.*) anaglypho opere, maxime animalium sculpturis (undè et zophori appellatio derivatur. v. Vitruv. III. 2.) aliisque modis condecoratae. Sed et lapideas ac marmoreas eas fuisse, vel ex h. l. discitur. Cf. Bentl. h. l. *Trabes Hymettiae* adeo sunt, e marmore Hymetti, Atticae montis, excisae. De eo Strabo IX. p. 613. *μαρμαίρου δ' ἐστὶ τῆς τε Ὑμηττείας καὶ τῆς Πεντελικῆς κάλλιστα μέταλλα πλησίον τῆς πόλεως.* *L. Crassum primum columnas habuisse Hymettias* tradit Plin. XXXVI. 3. eundemque a Cn. Domitio, collega suo, graviter notatum memorat Valer. Max. IX. 1. unde in maximo illud pretio fuisse, facile intelligitur. Thebaicum idem et Achaicum appellatum esse, tradunt Schol. ad h. l. Alii, qui forte trabes lapideas parum recte dici in animum sibi induxissent, de ligno Hymettio acceperunt, de cuius tamen pretio nihil aliunde constat. — 4. *premunt*, impositae sunt, incumbunt columnis; graphice. — *recisa ultima Africa*, de marmore Numidico. Proprie marmor *reciditur* dum ex omni parte accidit, et expolitur, donec columnae formam induit. Hinc docte ipsae *columnae recisae* dicuntur. *Ultimam Africam* dixit poeta simpliciter, remotam, longe disitam,, ut *ultimos Gelonos* II. 20. 18. *ultimos Britannos* I. 35. 29. *ultimam Hesperiam* I. 36. 4. Potest et esse: ultimae Africae pars, quae sc. Romanis innotuit, Numidia. Nobilissimum autem marmor Numidicum, pavimentis maxime et columnis, ob duritiem, a veteribus adhibitum. In deliciis maxime erat subnigrum, et quod variis maculis distinctum esset. Vide omnino Plin. XXXVI. 8. Nostrum locum forte in animo habuit Seneca Thyest. 645. in describenda Pelopis regia: *fulget hic turbae capax immane tectum, cuius auratas trabes variis columnae nobiles maculis* (h. Numidicae) *ferunt.*

v. 5. 6. Neque facultates, quales Attalus, Pergamenorum rex, reliquit, h. immensas, amplissimas possideo. Docte sic ulterius amplificatur divitiarum notio a poeta. In enuntianda autem hac sententia colores ita temperavit, ut simul homines aetatis suae perstringeret, qui malis artibus ditescerent, ma-

Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae.

At

maxime eos, qui corruptis aut suppositis testamentis *in pecunias alienissimorum hominum, eiectis veris haeredibus, tanquam haeredes essent, invaderent*, ut de Antonio Cic. Philipp. II. 16. Iam cum amplissima patrimonia sollenni istius temporis more Attali opibus designasset, facile exspectari poterat, ut et reliquum orationis ornatum inde repeteret. Pro maximis opibus adeo est *regia Attali*, regiae opes Attali; has *occupat*, invadit, involat, sibi vindicat, *haeres*, tanquam haeres scriptus, cum tamen sit *ignotus*, testatori ne de facie quidem, albus aterve sit, cognitus; qui adeo, cum nec suus sit, nec vere institutus, fraude haereditatem adquirit. Exquisito autem dilectu poeta adhibuit v. *occupare*; nam et *regia occupatur*, affectata iniusto modo dominatione (fere ut Phaedr. I. 2. 5. *arcem occupat Pisistratus*) et *haereditas*, fraude adita. Claudian. in Ruf. I. 191. *Laribus pellit, detrudit avitis finibus* (fere ut infra vv. 23-27.) *aut aufert vivis, aut occupat haeres*. Nollem adeo in mero orationis ornatu hic haesisse, in eoque vim sententiae quaesisse interpretes. Nam cum propriis verbis Horatium hic locutum plane sibi persuasum haberent, in vanam disceptationem delapsi sunt, miserque digladiati sunt, utrum populus Romanus, quem Attalus bonorum suorum h. regni, ut Romani interpretabantur, scripsisset haeredem, an Aristonicus, qui se regia stirpe satum ferret, regnumque iure sibi vindicaret (quem a M. Perperna victum ductumque in triumpho, notum vel e Vellei. II. 4.) hic a poeta designetur, his, populum Romanum tanquam non iure factum haeredem; illis, Aristonicum, regiae stirpis originem ementitum sicque *ignotum*, ignotae stirpis hominem, qui adeo haereditatem alienam occupasset, innui contendentibus. Tum sententia sic accepta, utrumvis tandem intelligas, a primaria carminis consilio plane aliena videtur; quod quidem non animadverterunt viri docti, animo semel ad haec intento.

v. 7. 8. Duobus modis horum vv. constitui sententia potest, prouti vim verborum, quae vel sensui vel soli ornatui inserviant, definias. Potest esse: neque clientium multitudo mihi adest; ut adeo nobilitas universe designetur a turba clientium (cf. III. 1. 13.), quae tanto illu-

At fides et ingenî
Benigna vena est; pauperemque dives
Me

illustrior est, quo *honestiores* sunt, qui sese in fidem patrociniumque dediderunt. Tum quo magis nobilitatis notionem extolleret poeta, eidem viam ad summos magistratus capessendos munitam clientarum studiis in purpureo clavo, quorum insigne is esset, occupatis docte declarasse videri potest. Esset adeo generatim: neque nobilitate conspicuus sum. Ac hanc quidem rationem unanimi intpp. consensu comprobatam videas. Potest vero etiam simpliciter esse: non purpureis vestibus, stragulis utor, iis careo; ut divitiarum notio etiam hic sit primaria, purpura, more Horatio sollemni (cf. II. 16. 7. III. 1. 42.) in specie declarata. Quod quidem cum sententiarum series (etiam v. 10. *pauperem*que dives me petit) efflagitare, tum Bacchylidis locus, (*οὔτε πορφύρεοι τάπητες· ἀλλὰ θυμὸς εὐμενὴς*, caet. quem totum planissime expressit, adtextisque Romanis ideis suum fecit, suadere videtur. Ornatui adeo, quem sua aetas, suus ipsi populus suggerebat, quique Romanum divitiis potentem factum simul ostenderet, deberi existimo, quod non conductitias multitudinis sed gratuitas honestissimarum clientarum operas purpureis vestimentis ac stragulis conficiendis addictas commemorat. — *trahunt purpuras*, ducunt fila lanea; nent lanam purpura tinctam; graphice, ut Tib. I. 6. 78. Catull. LXIV. 313. — *Laconicas*, tanquam nobilioris generis; erat enim lucidior reliquis. Vnde eandem poeta forte designavit III. 1. 42. Appellata autem sic a murice, unde ea fieret, ad Laconicam oram capi solito. Wernsdorfius huic locum admovit Encheriae v. 3. (Poet. min. III. 98.) *Sericeum tegmen, gemmantia texta Laconum;* sed revocat se, et de textura, qua Lacones excellebant, locum interpretatur. Recte. Nempe *gemmantia texta Laconum* sunt διαφανῆ Λακωνικά (ut Suidas vocat v. διαφανῆ) vestes pellucidae, *telis, quibus vestis nihil celatura conficitur,* (ut ait Seneca ep. XC.) contextae.

v. 9. Praeclare poeta externis his fluxisque animi interna bona, innocentiam atque continentiam, tum facultatem suam poeticam, qua magnam iam famam adeptus sit, opponit. *Fides* omnino h. l. potest esse animi integritas; ut opponatur ave-

Me petit; nihil ſupra
Deos laceſſo: nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.

Tru-

avaritiae rapacitatique divitum peſſimis artibus rem augentium (v. 6 et 23 ſqq.); verius tamen exiſtimem, ad exornandam tantum vatis ideam docte hic a poeta adiici. Vatibus enim ex antiqua ipſorum notione *pietas* (I. 17. 14.) *vitaeque integritas* (I. 22. 1.) propria. In Bacchylide tamen eſt: ἀλλὰ θύμὸς εὐμενὴς, Μοῖσά τε γλυκεῖα, quod priori rationi favere videtur. — *Vena ingenii benigna*, quae benigne, h. large (I. 9. 6.) fluit, ingenium fertile, fecundum, facultas poetica. Nam poetis inprimis *flumen* tribuitur, quod rerum verborumque copia exuberans phantaſmatumque mira varietate *immenſum profundoque ore ruit*, IV. 2. 7. ubi vid. Not. Sic *dives vena* eſt A. P. 409. — 10. Poteſt iungi cum ſuperioribus; ideoque *divites*, maximi in rep. viri, *me* etiſi *pauperem*, *petunt*, meam amicitiam ultro expetunt, iis placeo facultate mea poetica. Cf. IV. 3. extr. Multo tamen maior vis ſententiae, per ſe acceptae, ineſt, hoc quidem inverſo modo: Non adeo potentiorum limina, eorum gratiam non aucupor, ab iis contra expetitus. Praeclare ſic animum ab omni opum ambitione honorumque contentione alienum, et in ſola Maecenatis gratia ac liberalitate acquieſcentem profitetur atque explicat poeta. Quam tamen rationem, ad ſeqq. etſi perquam accommodatam; paullo ſubtiliorem videri lubens largior. — 11. *nihil ſupra*, inſuper, praeterea, *Deos laceſſo*, a Diis expeto, in votis habeo, nihil ulterius concupiſco. — 12. *Nec amicum potentem* divitiis, in ampliſſima fortuna conſtitutum, qui adeo et benigne dare poſſet, et pro ea, qua me dignatur, *amicitia*, lubens mihi daturus eſſet, Maecenatem *largiora flagito*, ut mihi amplius quidquam largiatur, ut qui *ſatis* ſuperque *beatus*, dives mihi videar, contentus ſim *unicis Sabinis*, unico agello Sabino; fere ut V. 1. 31. *Satis ſuperque me benignitas tua ditavit*. Blanda autem admodum haec ad Maecenatem eſt converſio, eiusdemque liberalitatis commemoratio, nec ſtudioſe anquiſita, nec ambitioſe facta, Cf. III. 16. 29.

v. 15.

Truditur dies die,
Novaeque pergunt interire Lunae:
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus; et sepulcri
Imme-

v. 15. *sqq.* Nexus sententiarum: Equidem in parva mea fortuna lubentissime acquiesco, de eaque amplianda tanto minus animum subit cogitatio, quo angustius vitae tempus est, quo frui ea licet. Quam stulte igitur faciunt ii, qui in tam praecipiti temporis fuga, tam certaque adeo vitae brevitate novas usque spes inchoant, qui, lineis admoti, de aedificiis quam splendidissime exstruendis exornandisque, quae ne intraturi quidem sunt, unice cogitant ac laborant. Quam insanos, quam flagitiose perditos putas eos, qui, insatiabili augendarum rerum cupiditate ducti, nullum rapacitati suae modum figunt? Scilicet ut tanto maiores opes sint, quibus aliquando exuantur. Vide, quomodo lyrica, tam in connectendis quam enuntiandis sententiis, ab hac pedestri differat ratio! — *Dies diem trudit*, promovet, impellit, h. premit, sequitur; suavi phantasmate de continuo temporis lapsu. V. 17. 25. *Vrget diem nox, et dies noctem* seu, ut idem Seneca ep. XXIV. extulit, *diem nox premit, dies noctem.* Ammian. c. XXVI. 1. 2. (Anal. Br. II. 389.) eadem sententia: Ἡὰν ἐξ ἡοῦς παραπέμπεται. εἶτ', ἀμελούντων ἡμῶν, ἐξαίφνης ἥξει ὁ Πορφύρεος. Plura vide ad IV. 7. 9. — 16. *Lunae novae*, crescentes *pergunt interire*, continuo pereunt, μῆνες φθίνουσι, luna continuo crescit ac decrescit; Proprie enim dicendum erat poetae: Lunae *pergunt novae* fieri, atque *interire*, continua vicissitudine crescunt ac decrescunt. Praeclare autem speciali hac poeta usus est imagine, unde maxime levis temporis transitus velocitasque cognoscitur. Eadem imagine velocitatem temporis designavit II. 11. 10. — 17. Maximam ἐνάργειαν habet allocutio: *Tu* tamen, fuga temporis haud admonitus, et *sub ipsum funus*, τυμβογέρων ὤν, morti iam proximus, aedificia adhuc splendida et supra modum sumtuosa moliris. Pro hoc exquisite et e suae aetatis more poeta: tu *marmora secanda*, caedenda et advehenda; cum dilectu pro materiem universam locas, et hoc pro generali: tu aedes exstruendas locas; adiuncta tamen magnificentiae notione. Solebant autem apud Romanos in aedifi-

Immemor, ſtruis domos;
Marisque Baiis obſtrepentis urgues
Submovere litora,
Parum locuples continente ripa.

Quid?

aedificiis exſtruendis operae cum ipſa materie *locari* redemtoribus; ut in vulgus notum. Cf. III. 1. 34. 35. Alii *marm. ſecanda* nimis anguſte accipiunt pro, diſſecanda in cruſtas ac tabulas, ad pavimentorum, parietum, et lacunarinm uſum. — 18. Eadem ſententia, ſed magis perſpicue tradita, more Horatiano. Praeclare autem opponuntur *ſepulcrum* et *domus*, de qua ſola cogitat. — 20. *Vrges*, *σπεύδεις*, enixe hoc agis, in hoc totus es, ut *ſummoveas* longius promoveas, propellas *littora maris*, *Baiis obſtrepentis*, exquiſite pro, Baias alluentis, littora ſinus Baiani. Proprie *ſubmovetur mare*, molium aggere excluſum ac propulſum; (uti eſt apud Senec. de Tranqu. III. in eadem re: *incipiemus aedificia alia ponere, alia evertere, et mare ſubmovere* caet.) tum et littus, hoc modo protentum. — 22. *parum locuples* tanquam non ſatis loci, ſpatii domui aedificandae ſit in *ripa continente* terrae continentis, in litore. *Ripa* ſ. litus *continens* ſuaviter opponitur litori, ut ita dicam, artificioſo, molibus in mare immiſſis effecto, quod adeo pars continentis non eſt. Senſus igitur: Tu, quo latius poſſeſſiones tuas extendas, ipſi mari inaedificas, ipſum mare occupas. Res adeo a poeta h. l. adornata ſic, ut non tam frigoris captandi aut proſpectus gratia, aut denique, ut piſcium maritimorum quavis tempeſtate copia eſſet (quae fere huius moliminis cauſſae eſſent) quam, quo latius regnaret avaritia, villas in mari aedificatas declaret; id quod, praeter ſententiarum ſeriem (opponit enim ſibi, agello Sabino contento, divitem avarum, poſſeſſiones ſuas quovis modo amplificantem) et elocutionis ratio (*parum locuples cont. ripa*) et ſeqq. in quibus climax eſt (*quid? quod* caet.) abunde docent. Deſignat adeo non tam luxum nobiliorum Romanorum, ſumtuoſis his ſubſtructionibus proditum, quam inſanam ipſorum, vel mare de iure ſuo decedere cogentium, avaritiam. Quod nec mirum videbitur ei, qui, quam ſpatioſae iſtiusmodi villae fuerint, meminerit. Talem *Trituritam* deſcribit Rutil. Itin. I. 527. *ſic villa vocatur, quae iacet* expulſis inſula paene fretis. *Nam-*

que

Quid? quod usque proximos
Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientium
Salis avarus; pellitur paternos

In

que manu iunctis procedit in aequora saxis; quique domum posuit, condidit ante solum. Neque vero in Campania tantum, eiusque amoenissima Baiarum ora maritima, (Epp. I. 1. 83.) sed et ad Thesprotiam (Prop. I. 11. 3. 4.) et alibi tales magnificae Romanorum villae conspiciebantur. Cf. omnino Gronov. Diatr. Stat. c. XXXIX.

v. 23 — 28. Insurgit poetae affectus cum ipsa, quam repraesentat, rei atrocitate. Est haud dubie totus hic locus ex elaboratissimis maximamque ad animum vim habet cum mira colorum, quibus imaginem divitis avari ad vivum plane delineat, varietate ac veritate, tum quod nos sensim contemplatione eius magis magisque commoveri, summoque tandem eius odio incendi, ac miseratione eorum, quibus illa pestis incidit, impleri sentimus. Quis non detestatur eiusmodi monstrum, qualium quaevis aetas, quaevis regio feracissima est, Diis hominibusque invisissimum? — *Quid? quod* caet. Tu non tantum mari detrahendo, quod sane absque cuiuspiam iniuria facis, possessiones tuas dilatas, sed et vicinos pauperum agros scelestissima fraude invadis, occupas. *Revellis*, moves (quod proprium hac de re verbum. v. Gothofr. ad l. 1. D. de term. moto) effodis *proximos agri terminos* proximorum agrorum lapides terminales, effossosque ulterius *usque* defigis, iteratis usque vicibus terminium movet. Praeclare *τὸ revellere* vi ac palam grassantem eum ostendit. — *Salis ultra*, transgrederis *limites clientium*, quanto gravius pro: tenuiorum agros vicinos occupas, emoto termino. Exaggeratur enim sic sceleris exarato termino commissi atrocitas, quod isto *clienti* a patrono fraus innectatur, quem, in fidem suam receptum, ut omni modo tutaretur et ab iniquitate hominum prohiberet, iniuriaque affectum vindicaret, lege cautum erat. Hinc ultimae in patronos, qui clientes ipsi iniquе tractarent, poenae constitutae iam legg. XII. tabb. *Si patronus clienti fraudem faxit, sacer esto.* Eadem severitate animadvertebatur in eos, qui terminum loco movissent. Qua de re iam lex Numae extat: *Qui ter-*

In ſinu ferens Deos
Et uxor, et vir, ſordidosque natos,
Nulla certior tamen,
Rapacis Orci fine, deſtinata
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus
Pau-

terminum exaraſſit, ipſus et boves ſacri ſunto. Salire praeclare depingit hominem divitiis potentem factum, aliena, ſpe impunitatis, audacter invadentem. — *avarus*, cupidus agri proximi. — 26. Pedeſtris connectendae orationis modus erat: Tu eo usque limites clientium coarctas, donec victus inopia ſedes ſuas relinquere cogantur. Apte ad rem laudant Salluſt. B. Iug. c. XLI. *Interea parentes aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, ſedibus pellebantur.* Noſtrum reſpexit Quinctilian. Decl. XIII. 2. *Poſtquam proximos quosque revellendo terminos ager locupletis latius inundavit: aequatae ſolo villae, et exciſa patria ſacra, et cum coniugibus parvisque liberis, reſpectantes patrium larem, migraverunt veteres coloni:* et Apulei. Met. IX. p. 664. Oudend. *Fruere exitio totius noſtrae familiae — dum ſcias*, licet privato ſuis poſſeſſionibus paupere, fines usque et usque proterminaveris, *habiturum te tamen vicinum aliquem.* Iam vulgaris ratio poſtulabat: *et uxor et vir* pelluntur, ferentes *in ſinu* tanquam rem auro pretioſiorem *deos paternos*, ἱδρύματα θεῶν πατρῴων θεῶν (ut Plato de Legg. IV. p. 601. Lugd. diſertius eloquitur) Larium, Penatium iunculas, et *natos*, parvulos *ſordidos*, ſqualidos, utpote parentum ad ſummam paupertatem redactorum. Nam haec ſollenni reique ſatis apto epitheto *immunda, ſordida* poetis audit. Seneca Herc. fur. 200. *ſordida parvae fortuna domus. Infans ſordidus* Martial. I. 50. 28. *ſordens alumnus ruſticae genetricis* Claudian. de B. Get. 358. *Pauperies immunda domus* Noſter Epp. II. 2. 199. Senec. Ep. 86. *Pauper ſibi videtur, ac ſordidus, niſi parietes magnis et pretioſis orbibus refulſerunt*, caet. Mirifice autem totam picturam illuminat inſignis pulſorum clientium erga deos pietas, oppoſita impiae ac deteſtandae patroni rapacitati, nihil prorſus neque divini neque humani iuris penſi habentis.

Pauperi recluditur
Regumque pueris: nec ſatelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic ſuperbum
Tan-

v. 29. Nexus: In re quidem admodum incerta, an ſcilicet aedificia, quae magnificentiſſimo apparatu moliris, unquam inhabitaturus ſis, hoc *tamen* certiſſimum habeto, ſedes inferas te certo aliquando eſſe intraturum. Praeclare ſpeciali hac ſententiae converſione, ad quam viam ſibi munierat poeta vv. 17-22. declaratur generalius hoc: Tu tamen his omnibus aliquando exueris, carendum tibi erit opibus, tam neſarie corraſis. Altera enim ratio amaritudinis quiddam atque irriſionis admixtum habet. *Nulla aula*, nullum domicilium, nulla ſedes *certior* certius *deſtinata manet*, copia poetica pro deſtinata eſt, manet *divitem herum*, vel maximarum poſſeſſionum dominum, *ſine Orci*, quam fines, regnum Orci, regio infera. Poſſis quidem *finem* metam noviſſimam ab Hade conſtitutam interpretari; quandoquidem decurſo vitae ſpatio *lineis admovemur* (ut Seneca ait) nota mortis, *ultimae rerum lineae*, (Epp. I. 16. 79.) imagine, iam in Pindaro (Nem. ς. 13. *οὐκ εἰδότες, ἄμμε Πότμος ἄντιν' ἔγραψε δραμεῖν ποτὶ στάθμαν*) obvia. Sic quoque bene reſpondet ſeqq. *quid ultra tendis?* Altera tamen ratio ad *aulae* notionem, cui opponitur, magis appoſita videtur. *Orcus rapax*, ἁρπακτὴρ Ἀΐδης (Callim. ep. II. 6.) perpetuo epitheto. *Manet* nos, quod ſubterfugere non licet, quod fato decretum eſt. I. 28. 15. *omnes una manet nox;* Res nota. — 32. Quid *ultra* ulterius, quam mortalem decet, in longinquum *tendis*, cogitationes tuas extendis, nullumque ideo cupiditatibus tuis modum ſtatuis, tanquam aeternum victurus ſis? Enimvero *tellus aequa*, aeque *pauperi regumque* ac regum *pueris*, παισὶ, filiis, potentibus, opulentis *recluditur*, patet, terra tam pauperes quam divites in ſe recondit. Nam hic de ſepulcro ſolo cogitandum, plane ut in Pind. Nem. VII. 27. *ἀφνεὸς πενιχρός τε θανάτου παρὰ σᾶμα νέονται.* — 34. Vnde nulli, ne ditiſſimis quidem, reditus datur. Docte ac more Pindarico ſententiam exemplis, quae eius veritatem demonſtrent, involutam propoſuit poeta. *Satelles Orci*, Charon, ne dubita. Leonid. Tar. LIX. 1. (Anal. Br. I. 235.) Ἀΐδεω λυπηρὲ διήκονε,

Tantalum, atque Tantali
Genus coërcet; hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audit.

διήκονε, τοῦτ' Ἀχέροντος ὕδωρ ὃς πλώεις πορθμίδι κυανέῃ, ducta ab noto eius ministerio appellatione; unde ψυχοπομπὸς, νεκροπομπὸς Eurip. Alcest. 362 et 443. et νεκυοστόλος Antip. Thess. LV. (An. Br. II. 123.) audit. Sunt qui Mercurium (etiam Stanl. ad Aeschyl. Choeph. init.) vel adeo Cerberum intelligendum statuant, invitis seqq. etiam ob *revexit*, quod diserte πορθμῆα καμόντων (Theocr. XVII. 49.) innuit. Doctior autem structura *non revexit auro captus* pro, auro capi non potuit, ut reveheret Prometheum. *Callidum*, ποικίλον, αἱμυλομῆτιν, perpetuo eius epitheto. Caeterum de hac narratione nihil plane aliunde constat; graecum tamen aliquem poetam, qui hoc figmento, etsi parum callido, Promethei vafritiem ulterius declarare conaretur, Nostro hic et II. 13. 37. praeivisse, satis probabile videtur. — 36. Hic opulentissimos *coercet*, inclusos tenet, eos non revehendo. Ad Charontem, a quo exorsus erat, haec et seqq. traduxit poeta, quae Morti, vel regi inferorum magis essent propria. *Tant. superbum*, vel simpliciter divitem, vel, quo poenae simul caussa declaretur, divitiis superbum, insolentem, ὃς καταπέψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη· κόρῳ δ' ἕλεν ἄταν — — καρτερὸν λίθον caet. apud Pind. Ol. α. 88 sqq. — *Tant. genus*, γένος, filium, Pelopem, vel omnino posteros, quod magis ad sententiam appositum videtur, etsi doctior altera ratio. — 38. *Hic vocatus*, precibus expetitus, arcessitus (ut I. 30. 3.) *levare*, graece pro, ut *levet* onere suo, miseriis, *pauperem functum laboribus*, aerumnas perpessum, egestatis malis oppressum, κάμνοντα, *audit*, adest, levat onere, vehens eum in *portum aeterna placidum quiete* (Senec. Agam. 592.) — *atque non vocatus*, κἄκλητος, ἀκλητὶ; ad mortis necessitatem hoc refer. Expressit autem poeta graeca, ἄκλητος ὁ θεὸς, καὶ καλούμενος παρέσται, quae in proverbium abiere. Vid. Schotti Adag. p. 346. et 452. ubi eius origo traditur. *Audit* in altero membro omnino est, deducit ad inferos, διαπορθμεῖ.

CARMEN XIX.

ARGVMENTVM.

Dici vix potest, quantum super consilio huius carminis viri docti hallucinati sint, quam egregie vel ii, qui acutiores videri vellent, imponi sibi passi sint, et quam abstrusis ineptiis excellentissimum hoc carmen plane obruerint; ad quas quidem vix delapsos fuisse crediderim, si in poeta, graecis exemplis exprimendis unice intento, se versari meminissent. Scilicet hoc et L. III. c. 25. Noster assequi imitando conatus est graeca dithyrambici generis carmina, de quibus quum alio loco exposuerimus, nos hic in descriptione huius carminis continebimus. Declarato igitur, quo ad laudes Baccho dicendas impulsus sit, summa cum ἐναργείᾳ enthusiasmo, exponit poeta ex priscorum Hymnorum ratione, virtutes dei, eiusque res gestas, easque, neglecto fere idoneo nexu, adcumulat, magnificoque spiritu exornat; id quod effrenatioris enthusiasmi naturam mirifice decebat. Parum igitur recte eos statuere arbitror, qui meditato quodam anxieque quaesito ordine poetae ingenium procedere volunt, qui fabularum hunc ab eo dilectum factum credunt, unde potentia huius dei per omnes huius universi partes, caelum, terram, mare, Tartara adeo, sparsa ac didita appareat. Neque magis eorundem placet opinio, qui occasione diei Baccho sacri celebrandi Horatium hoc carmen scripsisse autumant; cuius quidem suspicionis ne minimum quidem fulcrum illud suppeditat.

IN

IN BACCHVM.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite posteri!),
Nym-

v. 1 — 4. Vividissima enthusiasmi, quo exultat poeta, ὑποκύκωσις! Scilicet quod a poeta Bacchi laudes celebraturo facile expectari poterat, ut se eius numine plenum in fronte statim carminis profiteretur, hoc, quo augustior rei esset species, egregie nobilitavit sic, ut se ab ipso Baccho ad laudes suas canendas mire commoveri vique impelli iactitet. Exquisitissimorum, quibus sensum hunc suum eloquitur poeta, phantasmatum inde enatam puta ubertatem felicissimam. Quorum quidem vim ac virtutem, ut plane intelligas, omnino tenendum, poetas, maxime Nostrum h. l. in declaranda summa enthusiasmi vi colores a μανίᾳ, qua Bacchae perturbantur, repetere. In quo Διθυραμβοποιῶν graecorum exempla praeivisse cum per se veri admodum simile est, tum ex Pratinae hyporchemate, quod extat apud Athen. XIV. 2. p. 617. mox per partes laudando, abunde cognoscitur. Excelsiore igitur spiritu contactus incensusque poeta videtur sibi in abditos silvarum recessus agi, Bacchique ibi cum Maenadibus, Nymphis et Satyris versantis conspectui obiici, numine eius adflari, thyrsoque ab eo intentato in furorem cum reliquo comitatu agi, adeoque discurrere, εὐάζειν, ipsis adeo sacris, et quae in iis repraesentarentur, interesse, et sic porro. Iam qui Bacchis e profundo somno, in quem longo discursu fessae prolapsae fuerant, experrectis habitus a poetis tribuitur, nimirum ut rerum, quae turbatae adhuc ipsarum phantasiae praetervehuntur, recens a se gestarum visarumque miratione defixae stupeant, novumque inde furorem animo persentiscant; ad eundem se in hoc carmine composuisse poetam satis manifestum est. Animo igitur sedatiore facto enarrat ac percenset poeta quae viderit, quaeque audierit, plane antiquissimorum vatum instar, qui remitti demum coepta rabie vaticinia eloquuntur, repraesentataque istorum apud animum suum imagine novo se furore tentari (v. 7. 8.) sentit. Aliter adornata res III. 25. — Vulgarior loquendi modus erat: Vidi Bacchum docentem Nymphas carmina, inter Nymphas et

Nymphasque diſcentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas.

Evoe!

et Satyros canentem. Baccho adeo Choragi perſonam induit poëta h. l.; nam is proprie chorum *docet* modos carminis, ac motus leges. Maxime autem cyclios, qui dithyrambos decantarent, a poetis adeo dithyrambicis edoctos atque inſtitutos reſpici crediderim. Hi enim ſollenni appellatione dicti inde διθυραμβοδιδάσκαλοι, κυκλιοδιδάσκαλοι. Appoſite igitur *docere* h. l. de Baccho διθυράμβου καὶ χορείας ἐφευρετῇ. v. ad v. 25. Pervulgato autem poetis phantaſmate Dii ſacris ſuis adeſſe, pompam ſacram ipſi ducere, choros in ipſorum honorem inſtitutos agere, praeſultare, (ἔξαρχος Βρόμιος Eurip. Bacch. 141. de Diana Virgil. Aen. I. 499. Stat. Achill. II. 344. nam ibi legendum *laſſata Therapnis*. Quo eodem figmento eandem deam *ſacrificantium* h. in eius honorem ſaltantium; *virginum choro mixtam* Apelles pinxerat iuxta Plin. XXXV. 36.) quid? quòd hymnis ſuis accinere credebantur. Maxime haec opinio obtinebat in ſacris cum furore peragi ſolitis; in quibus ipſa iſta inſania numinis praeſentia excitari putabatur. De Baccho ἐγερσιχόρῳ res notiſſima. Canentem eum inducit Euripid. Bacch. 150 ſqq. Adde Orph. H. LII. 5. αὐτός δ', ἡνίκα τὸν τριετῆ πάλι κῶμον ἐγείρῃ, εἰς ὕμνον τρέπεται σὺν εὐζώνοισι τιθήναις, εὐώζων κινῶν τε χοροὺς ἐνὶ κυκλάσιν ὥραις. Ad Bacchum carminum auctorem Calpurnii Ecl. X. 16. refert Wernsdorf. Sed *debemus carmina Baccho* ibi eſt, Bacchi laudes dicendae ſunt; quae etiam mox ſubiiciuntur. — *in remotis* a frequentia hominum, deviis *rupibus*. Amat enim Bacchus confragoſa loca ac ſaltuoſos receſſus (hinc οἰοπολεῖν dictus Eurip. Cycl. 74.) ob orgia ibi celebrari ſolita; res notiſſima. Hinc ὄρειος, ὀρειομανὴς φοιταλιεὺς poetis frequenter appellatus. — *credite poſteri*. Egregie haec animum poetae oſtendunt rerum viſarum miratione defixum, earundemque imagines tanquam praeſentes complexum, adeo quidem, ut, de quo ipſe, phantaſiae vi abreptus, plane perſuaſus ſit, eundem et in aliis ſenſum ac perſuaſionem excitare cupiat; id quod animi humani naturae mirifice convenit. Quo enim ipſi, vana etſi ſpecie deluſi, ſenſus noſtros vere impulſos pro certo habemus, illud maxime pro explorato et aliis obtrudere conamur,

Evoe! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Laeta-

mur, tantoque enixius hoc credi cupimus, quo magis fidem excedere videatur. Apage igitur insulsam Lambini animadversionem, exclamantis: credat *Iudaeus Apella, non ego.* — 3. *Nymphae* et apud Nostrum (v. I. 1. 31. III. 23. 14.) et alibi in Bacchi comitatu memoratae. Eurip. Cycl. 68. Οὐ τάδε Βρόμιος — σὺ Νύσσα μετὰ Νυμφῶν. Orph. H. LII. 2. Διόνυσον ἐγρόμενον κούραις ἅμα Νύμφαις ἐυπλοκάμοισι. Idem LIII. 6. de Sileno: Ναΐδι καὶ Βακχαῖς ἡγούμενε κιττοφόροισι. Νύμφας Βραμίας vocat auctor Scolii VIII. in Anal. Br. I. p. 156. Conf. etiam Pratinae c. l. Bacchi enim nutrices eae habitae. Hom. H. in Bacch. XXV. 3. Ὃν τρέφον ἠύκομοι Νύμφαι — καὶ ἐνδυκέως ἀτίτταλλον Νύσης ἐν γυάλοις. Simpliciter inde τιθῆναι appellatae Sophocl. Oed. Col. 673. et Orph. H. LII. 6. — *discentes* modos carminum, ex oppositione τοῦ *docentem*, pro vulgari, audientes, adstantes Baccho canenti. — *et Satyros.* Pro hoc vivida ἐνεργείᾳ, *aures Satyrorum acutas*, arrectas, Satyros arrectis auribus adstantes, auscultantes. Oculorum adeo sensu quidni hoc percipi potuit? Mire tamen in hoc quosdam, qui ad Nymphas *discentes*, itidem oculis cognitas, non offenderant, argutari videas. — *Capripedes*, αἰγίποδες, e. g. in Anal. Br. T. III. c. 412. p. 238.

v. 5 — 8. Divina prorsus recursantis furoris descriptio! Dum enim, quae mira sibi acciderint, quae viderit, quo modo, Baccho conspecto, in furorem actus sit, animo penitius perpendit poeta, iisque adstupet; ecce iterum Bacchum sibi adstare, thyrsoque commoto se denuo ad orgia celebranda exstimulari sentit. Scilicet, quod iam supra attigi, poetae dithyrambici enthusiasmum, quo ad laudes Bacchi dicendas feruntur, ita efferunt, ut Baccharum insaniam plane suam faciant. Thyrso adeo Bacchi percussi in furorem aguntur, discursitant, evoe adclamant, verbo, orgia simulant, dum virtutes Bacchi, in iisdem cantu ac symbolica repraesentatione expromi solitas, carmine describunt. Insigne huius rei exemplum praebet locus Pratinae supra laudatus, unde haec delibamus: ἐμὸς ἐμὸς ὁ Βρόμιος· ἐμὲ δεῖ (fere ut v. 9. *fas est mihi cantare*) κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ κατάγειν ἀν' ὄρεα ἰσασύμενον μετὰ Ναΐδων. Bacchantis adeo, ut ita dicam, poetae h. l. exclamatio est *evoe*, qua

Laetatur! Evoe! parce, Liber!
Parce, gravi metuende thyrso!

Fas

qua se deo correptum h. ἐνθουσιῶντα prodit. Mire hunc locum in rem suam detorsit Iuven. VII. 62. *satur est cum dicit Horatius: Evoe!* tanquam vino largius hausto, quod et Gesnerus statuere videtur, venae eius incensae fuissent, aut incensas ita simulasset poeta. — *mens trepidat*, attonita stupet, perturbatur *metu recenti*, ἐκπλήξει, μανίᾳ, horrore a Deo recens incusso, seu, quod malim, quo denuo tentatur, furore novo. Trepidat, metuit sibi a Baccho poeta, quum furorem accedere sentit. Is enim, ab eo immissus, corpus graviter adfligit atque excruciat. Recte adeo ac docte metum omnino pro furore ponere potuit poeta. Ita quoque Eurip. Bacch. 600. Bacchis τρομερὰ σώματα in adventu dei tribuit. Heinsius in Lectt. Theocr. c. VI. p. 314. comparat Theocr. II. 137. σὺν μανίαις φοβεῖσθαι, parum commode. — 5. Mens *turbidum*, cum perturbatione *laetatur*, laetitia simul atque horrore perfunditur *pectore pleno Bacchi*, Baccho pectus insidente, urgente, deo recepto. Mira βραχυλογίᾳ naturam enthusiasmi sic declaratam dedit poeta. Pectus graviter commovetur, aestuat, deo illud subeunte: idemque exultat, laetitia gestit, tanto hospite recepto. Pectus *plenum Bacchi*, ut III. 25. 2. Adde Ovid. Fast. VI. 538. *Fitque sui toto pectore plena dei.* Lucan. I. 675. *Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo.* et V. 166. *non unquam plenior artus Phoebados irrupit Paean.* — 7. 8. Etsi plenus iam Baccho vates, novis tamen usque furoribus se incendi ac perturbari sentit; hoc adeo, ne iis plane succumbat, deprecatur. Totum enim numen vix capere credebatur humana natura. Praeclare autem a poeta adornata omnia. Recte Porphyrion: *putat per mentis perturbationem sibi infesto thyrso Deum imminere*, quo scilicet novos furores excitaret. Sensus adeo: ne thyrsum mihi intentes, ne thyrso impacto graviorem mihi insaniam immittas. Haec enim isto effici credita. Vnde Bacchus θυρσομανὴς, θυρσαχθὴς Orpheo dictus H. XLIV. 5. XLIX. 3. Ad enthusiasmum poeticum, quo laudes Bacchi canerentur, similiter hanc imaginem traduxit Pratinas c. l.: Παῖε (thyrso percute) τὸν Φρυναίου (f. Φροιμίου) ποικίλου προανέχοντα, h. inspira numine tuo choragum, φλέγε τὸν ὀλολυγλαλοκάλαμον λαλο-

Fas pervicaces eſt mihi Thyiadas,
Vinique fontem, lactis et uberes

Can-

λαλοβαρυοπαραμελοῤῥυθμοβάταν caet. E Noſtro profecit Ovid. Amor. III. 1. 23. *Tempus erat thyrſo pulſum graviore moveri; ceſſatum ſatis eſt, incipe maius opus:* et eiusd. lib. c. 15. 17. *Corniger increpuit thyrſo graviore Lyaeus, pulſanda eſt magnis area maior equis.* Idem Triſt. IV. 1. 43. *mota calent viridi mea tempora thyrſo.* Poſſunt etiam verba: *gravi metuende thyrſo* ornate tantum adiecta videri; ut declaretur Bacchus θυρσοφόρος, θυρσοτινάκτης (Orph. H. LI. 4.) θύρσῳ δεινὸς (Epigr. CCLI. 2. in Anal. Br. III. 201.) eadem fere ratione, qua Phoebus ἑκηβόλος *certa metuendus ſagitta* I. 12. 23. Sed alterum phantaſma nobilius atque h. l. accommodatius.

v. 9. Bacchum canam, ab ipſo excitatus, plenus illo. *Fas eſt,* virtutes et ſacra Bacchi celebrare; plane ut Pratinas l. l. ἐμὲ δεῖ κελαδεῖν, ἐμὲ δεῖ παταγεῖν. — *Thyiades* ſ. Bacchae *pervicaces* indomitae, effrenes, furore correptae. Niſi linguae ratio obſtare videretur, mallem equidem interpretari, colla iactantes, imagine a tauris iugum detrectantibus petita. Hoc enim pervicaces recte dici poſſe vix dubitem. Eſſent adeo Bacchae ῥιψαύχενες, ὑψαύχενες, ut ſaepius de iis poetae. Catull. LXIII. 23. *Vt capita Maenades vi iaciunt hederigerae.* Cf. eundem LXIV. 256. Quem earundem habitum etiam in monumentis antiquis admodum frequentari videas. — 10. Ornate pro: ut vinum et lac copioſe e terra thyrſo icta, profluxerit. Res in miraculum verſa, qua Bacchi ἐπιφάνειαν priſcus ſermo ſimpliciter manifeſtabat. Scilicet Baccho, caeterisque numinibus, quae vegetae atque procreatricis naturae eſſent ſymbola, apparentibus, omnia ſtatim eorum adſpectu efflorescere, progerminare, terramque ubertate quaſi intumeſcere, unde maxima omnium rerum promanaret copia, antiqua fingebat religio. Vide vel Hom. H. in Bacch. 35 ſqq. Virg. G. II. 390. et Sil. Ital. VII. 192. Summam autem ubertatem plures antiquiores populi declarant per vini ac lactis fontes e terra ſcaturientes, et mellis copiam in terram defluentem. Vnde et auream aetatem his fere coloribus a poetis depingi videas. Vide Tibull. I. 3. 45. et ibi Heyn. Traducta mox haec imago inprimis ad ſacra Bacchica, in iisque inter Bacchi miracula repraeſentata ac celebrata. Notiſſimus locus Eu-

Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.

Fas et beatae coniugis additum
Stellis honorem, tectaque Pentheï

Dis-

rip. Bacch. 142 sqq. Ῥεῖ δὲ γάλακτι πίδον ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν νέκταρι. Senec. Oed. 491. *Pumice ficco fluxit Nyctelius latex — combibit dulces humus alta succos* (puta mellis), *niveique lactis candida fontes, et mista odoro Lesbia cum thymo.* — Mella *lapsa* defluentia in terram e *cavis* arborum *truncis iterare*, canere. Iterat enim poeta, quae gesta describit. Asellio apud Gell. V. 18. extr. loco admodum luculento: *Scribere autem bellum, quo initum consule, et quomodo confectum sit, et quis triumphans introierit, et quae eo in bello gesta sint*, iterare; — *id fabulas pueris est narrare* caet. Non est igitur, post Bacchum vel Nymphas vel adeo alios poetas celebrare, quae quam ieiuna ratio sit, facile animo adsequaris, sed simpliciter referre, enarrare. Vel sic tamen exquisitiorem illam poetarum rationem huic loco accommodandam duxerim, qua sese rerum, quas contigisse exponunt, ipsi auctores ferunt. Vide omnino ad II. 1. 10. Adde Virg. Cul. 27 sqq. *Iterat* adeo, elicit iterum mella poeta ex arboribus, unde ea fluxisse commemorat.

v. 13. *Fas et* celebrare *honorem*, ornamentum, decus, ἄγαλμα, quo Ariadnes *coniugis* caput redimitum fuerat, coronam eius auream (ita *regius honos* de chlamyde purpurea Virg. Aen. VII. 815. et sic passim) *additam stellis*, inter sidera relatam. Possis etiam interpretari: coronam in coniugis honorem inter stellas repositam. Ita *honorem adolere*, *imponere aris*, de sacrificiis in deorum honorem factis saepius Virgilius et alii. Atque hac fere ratione eandem rem elocutus est Avien. Arat. 197 sqq. *Adspice ceu rutilis vibret lux Gnosia flammis, haec quondam Bacchi monumentum fulget amoris, haec Ariadnei capitis testatur honorem.* Praeferam tamen priorem rationem, tanquam paulo audaciorem, aptioremque adeo huic carmini. — *beatae*, ἀποθεωθείσης, Diis adscriptae; Dii enim μάκαρες, sollenni appellatione. Ariadne autem Bacchi *lyncibus in caelum vecta* (Propert. III. 15. 8.) interque deos relata; ut pervulgatum.

Disiecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi.

Tu flectis amnes, tu mare barbarum:
Tu separatis uvidus in iugis
Nodo

gatum. vid. loca a Broukh. ad Prop. l. l. congesta; et de Ariadnes corona Hygin. II. 5. — 14. 15. Argumentum huius fabulae pete ex Euripidis Bacchis. Bacchus a Pentheo vinculis constrictus, in domo eius asservatur; unde se cum ipsa domus ruina expedit. *Tecta* adeo *disiecta*, compagibus solutis prostrata *non leni*, gravissima *ruina*, graviter in terram collapsa. Eurip. Bacch. 633. Δῶμα τ' ἔρρηξεν (Βάκχος) χαμάζε· συντεδράνωται δ' ἅπαν. — *Lycurgus* Edonorum, Thraciae populi, rex, ob pulsas cum ipsarum deo e regno suo Bacchas a Iove excaecatus, iuxta Homer. Il. ζ. 130-40. Iuxta alios, ob vites excisas a Baccho in furorem actus, quo et Dryantem filium interfecit, et sibi ipsi crura falce amputavit. Propert. III. 15. 23. *Vesanumque nova nequidquam in vite Lycurgum*, ubi v. quos laudat Burmann. Adde Heyn. ad Apollod. III. 5. p. 576. Rem in gemma antiqua repraesentatam vide apud Gor. T. I. t. 92.

v. 17. Maximam vim habet subita orationis ad Bacchum conversae mutatio; plane ut apud Virg. Aen. VIII. 293 et 296. ad Herculem; et apud Claudian. Praef. ad L. II. de R. P. 34. ad eundem. — *flectis* retro cursus *amnium*, Hydaspis et Orontis. Hos enim, thyrso eius tactos, sicco pede transiisse prisca narratio erat, quam latius persequitur Nonn. Dionys. XIII. 123 sqq. — *mare barbarum*, Indicum sedas, tranquillum reddis; hac enim notione τὸ *flectis* huic membro adaptandum videtur. Baccho enim mare intrante *tumidum Nereus posuit mare* apud Senec. Oedip. 450. Eidem Herc. fur. 409. Bacchus *domitor rubri maris* audit. Spectat autem hic locus omnino ad Bacchi expeditionem Indicam, miris antiquiorum poetarum figmentis famigeratissimam. — 18-20. Tu *uvidus* madidus vino, βεβρεγμένος, ὑγρὸς (uti idem audit in Anthol. gr. I. p. 82. vino furens, adeoque discurrens, versans in *separatis*, ἐρήμοις, remotis (v. 1.) montium *iugis coercet* constringis *crines Bistonidum*, Baccharum (Bistones enim Thraciae populus,

Nodo coërces viperino
Biſtonidum ſine fraude crines.

Tu, quum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum ſcanderet impia,
Rhoe-

lus, a quo τελεταὶ traditae ac propagatae) *nodo viperino*, viperis, ſerpentes implicas Baccharum crinibus *ſine fraude*, ſine noxa, impune: non, ut illis nil noceant viperae, ut fere volunt intpp., ſed Bacchi reſpectu, ſine noxa tractas manibus viperas, easque Baccharum crinibus innectis. Apud Euripidem Bacch. 101. ſibi ipſe comam ſerpentibus cingit, eumque ſequuntur Bacchae: στεφάνωσίν τε δρακόντων στεφάνοις· ἔνθεν ἄγραν θηροτρόφοι Μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις. Sed et nebridas Baccharum anguibus connexas fuiſſe tradit Eurip. trag. laud. v. 665. adde Catull. LXIV. 258. ubi vide Intpp. Deſignatur autem antiquo hoc figmento magna per naturam huius dei vis ac potentia, cui vel, quae eius efficaciſſima habentur, puta viperae venenum, ſubiecta ſint, nihil noxae inferant. Caeterum *Meduſae comas* anguibus innexis *nodoſus* ſimili ornatu vocat Ovid. Pont. III. 1. 124.

v. 21—24. Bacchus γιγαντολέτωρ. Magnae ſane Bacchi, quo antiquiores poetae vim naturae vegetam repraeſentabant, partes eſſe debuere in fabulis phyſicis, in pugna deorum, cum Titanibus, Centimanis et Gigantibus; translatae mox adfictaeque eae eiusdem nominis heroi Thebano a poetis ſerioribus, quum vel rerum, quae fabularum involucris proderentur, notiones diverſo poetarum eas tractandi modo plane obliteratae eſſent, vel omnino fabulae pro meris ornamentis poeticis haberi coeptae eſſent. Idem factum in Hercule antiquiore ac Thebano v. Heyn. ad Apollod. p. 325. Iam e quorundam narratione Bacchus ſumta leonis forma diis in hac pugna aderat, quos Noſter h. l. ſequitur. Eadem ſpecie occurrit piratis apud Homer. in eiusd. H. v. 44. Nam omnes deos mutatis formis contra Gigantas ſtetiſſe inde cum Geſnero ad Claudianum XXXVII. 51. vix ſtatuerim, minime autem hoc ex Claudiani l. l. probaverim, quandoquidem ibi *Numina omnigenis formis* dicuntur, quatenus ſunt diverſae formae, generis, ac loci, adeoque Dii marini

Rhoetum retorsisti leonis
Vnguibus horribilique mala:

Quamquam, choreis aptior et iocis
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnae

marini, fluviatiles, agrestes, silvestres, inferi. Sed ipsorum mutatio in animalia, quae timorem arguebat, in Typhoei demum pugna locum habebat. Haepius autem hoc aut simili argmento invictum Bacchi robur declarasse veteres discas ex Eurip. Bacch. 1025. Φάνηθι ταῦρος, ἢ πολύκρανος γ' ἰδεῖν δράκων, ἢ πυριφλέγων ὁρᾶσθαι λέων. — Quum *cohors Gigantum*, gigantes *impii*, ἀτάσθαλοι, ἄδικοι (Callim. Lav. Pall. 8.) ob affectatum regnum caeleste, *regna* regnum *parentis* tui, Iovis, caelum *scanderent*, in caelum eniterentur, Iovem inde deiecturi, *per arduum* tendentes, quum arduam viam in caelum molirentur. *Per arduum* volunt esse per montes exaggeratos; equidem copia poetica adiectum malim, δι' αἰθέρος, in sublime enisi. — 23. 24. Quam ornate pro, tu Rhoetum deiecisti, depulisti sub specie leonis. *Retorsisti* egregie Rhoeti renitentis imaginem ob oculos ponit. Apud Apollodorum I. 6. Eurytum thyrso occidit Bacchus.

v. 25 — 28. Sicque te egregium bellatorem ostendisti, quem imbellem ac mollitie diffluentem antea differebant, notabant. In sententia ipsa, quae et apte satis cum antecedentibus cohaeret, nihil plane est, quod offendat; sed nimis protraxit eam poeta et quidem admodum vulgari ratione; *quamquam, choreis aptior dictus*, quum choreis unice aptus habereris, ideo *non sat idoneus pugnae ferebaris*: ac in hoc subsistere debebat Intpp. censura. Docte autem *sed* τῷ *quamquam* subiicitur pro *tamen*: exempla exquisitioris huius formae pete a Markl. ad Stat. Silv. III. 3. p. 163. *Aptior* natus magis ad choreas ducendas ac ferendos iocos, quam ad proelia obeunda, et arma tractanda. Declaratur Bacchus χορευτὴς (Orph. Εὐχ. 9. ἐγερσίγελως (Paul. Silent. XL. Anal. Br. III. 83.) et φιλοπαίγμων (Anacr. XLII. 2.) satis obvia ratione. Tibull. I. 7. 43. *Non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri, sed chorus et cantus et levis aptus amor.* — *sed* enimvero *idem eras*, eundem te esse ostendebas, te praestabas, sive *medius* esses *pacis*, sive versareris in pace, seu in bello, utrique aeque commodum te prae

Pugnae ferebaris; ſed idem
Pacis eras mediusque belli

Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter adterens

Cau-

praeſtabas; in pace, remiſſiorem, choreis indulgentem, luxuque diffluentem; in bello autem, ſtrenue pugnantem. Vtraque haec virtus Bacchi et pacis amantis et bello ſtrenui paſſim celebratur poetis. Euripid. Bacch. 302. Ἄρεώς τε μοῖραν μεταλαβὼν ἔχει τινά et 417 ſqq. ὁ δαίμων ὁ Διὸς παῖς χαίρει μὲν θαλίαισιν, φιλεῖ δ' ὀλβοδότειραν εἰρήνην. Apprime autem huc facit epigr. CCL. (Anal. III. 201.) in Bacchi ſtatuam, Minervae iunctam, dignum quod ex parte huc transferamus: εἰπὲ, τί σοι ξυνὸν καὶ Παλλάδι; τῇ γὰρ ἄκοντες καὶ πόλεμοι πάρα· σοὶ δ' εὐαδὲν εἰλαπίναι. Μὴ προπετῶς, ὦ ξεῖνε, θεῶν πέρι τοῖα μετάλλα· ἴσθι δ' ὅσοις ἵκελος δαίμονι τῇδε πέλω. Καὶ γὰρ ἐμοὶ πολέμων φίλιον κλέος· οἶδεν ἅπας μοι ἠῴου δμηθεὶς Ἴνδος ἀπ' Ὠκεανοῦ. Cf. Lucian. D. D. XVIII.

v. 29 — 32. Quin et Tartari monſtra ſubmiſere ſe tuo numini, remiſſa ferocia. Praeclare hoc Cerberi Bacchum adulantis imagine adumbratur a poeta. Adiit autem Bacchus inferos, Semelen inde reducturus. Vid. Apollod. III. 5. 3. adde Pauſan. II. 37. ubi per ſtagnum Alcyonium Bacchum ad inferos deſcendiſſe ab Argivis tradi memorat. Cf. et Hygin. f. 251. Iam proſaica forma erat: Vbi Cerberus te Orcum ingreſſum *vidit*, ſenſit, tantum abeſt ut noxae inferendae cupidum ſe oſtenderet (*inſons*), ut potius blanda adulatione potentiam tuam veneraretur. — Bacchus *cornibus decorus: inſignis cornu* (Ovid. A. A. III. 348. κερασφόρος, κερόκερως, antiquiſſimo roboris ac potentiae ſymbolo. Cf. Intpp. ad Nemeſ. III. 36. *Aurea* habet cornua, ut deus. Vnde χρυσώπης Eurip. Bacch. 553. χρυσόκερως (Anthol. gr. I. p. 82.) dictus. Idem capite cornuto in numis ac monumentis Etruſcis obvius. vid. Spanhem. de Vſu et Pr. Num. T. I. p. 392. Burm. Sicula T. II. t. 12. Gori Muſ. Etr. t. LIII. — *leniter atterens* tibi *caudam*, adblandiens tibi cauda mota, σαίνων, Heſiod. Theog. 770. de Cerbero: ἐς μὲν ἰόντας σαίνει ὁμῶς οὐρῇ τε καὶ οὔασιν ἀμφοτέροισιν.

Forte

Caudam, et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

Forte tamen melius fuerit, ne bis eadem imago occurrat, explicare: applicans, subiiciens utero caudam, prae timore. Virgil. Aen. XI. 812. *caudamque remulcens* (*leniter* Horatii) *subiecit pavitantem vtero.* Similiter se ab Oedipode victam testatur Sphinx apud Euripid. fr. Oed. XVI. (ed. Lips. p. 458.) Οὐρὰν ὑπίλλουσ' ὑπὸ λεοντόπουν βάσιν ἐκαθέζετ'. — *recedentis*, quum revertereris ex inferis, in reditu tuo pedes cruraque tua attigit *ore trilingui*, tribus linguis suis, ore exsertis, blandientium canum instar; qui alias reditum umbris negat, easque devorat. Hesiod. l. I. ἐξελθεῖν δ' οὐκ αὖτις ἐᾷ πάλιν, ἀλλὰ δοκεύων ἐσθίει, ὅν κε λάβῃσι πυλέων ἔκτοσθεν ἰόντα. Cerberus autem hic τρίκρανος, ut apud Sophocl. Trach. 1106.

CAR-

CARMEN XX.

ARGVMENTVM.

Generoso spiritu hac ode (quam ex dithyramborum genere quidam, nescio qua ratione inducti, statuunt) Horatius immortalitatem nominis, facultate poetica parti sibi pollicetur certoque auguratur, eamque nova plane ac vividissima imagine ita repraesentat, ut se in cycnum, avem Apollini sacram, transformatum totum terrarum orbem pervolaturum dicat; (de cuius phantasmatis ratione vide ad v. 1.) igitur, ubi inter homines esse desierit, luctus omnino caussam non dari, quandoquidem mortalis conditionis plane expers sit. Idea totius carminis haud dubie e graeco aliquo lyrico poeta ducta est, ab Horatio tantum amplificata atque exornata. Summa virtus carminis est in vivida metamorphoseos adumbratione, etsi hac ipsa ad sensum parum suavi.

AD

AD MAECENATEM.

Non usitata, non tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates: neque in terris morabor
Longius: invidiaque maior

Vrbes

v. 1. Famam alicuius nominisque celebritatem ad remotiores terras pertingentem quum poetae fere ita efferant, ut eum vel Famae alis (v. II. 2. 7.) vel suismet ipsum levatum pennis totum terrarum orbem volatu lustrantem fingant (in quam rem commode laudant Theognid. 231. *σοὶ μὲν ἐγὼ πτέρ' ἔδωκα, σὺν οἷς ἐπ' ἀπείρονα πόντον πωτήσῃ, κατὰ γῆν πᾶσαν ἀειρόμενος ῥηϊδίως — πολλῶν κείμενος ἐν στόμασι.* Vide et quae ibi sequuntur); exquisitius Horatii, quo simul, unde sibi illa gloria obtigerit, docte declaret, haberi debet phantasma, quo se cycni adsumta forma omnes terrarum plagas pervolaturum omnesque populos cantu suo permulsurum generoso spiritu iaciat. Nam non volatus solum, quo efferuntur poetae (*ποτανὰν μηχανὰν* appellat Pind. Nem. ζ. 32. cf. ad I. 6. 2. et IV. 2. 25.) sed etiam cantus rationem in poetarum cum cycnis comparatione haberi, in promtu est intelligere. Eadem de caussa *Sirenum* alas posuit Eurip. fr. CLIV. (p. 491. ed. Lips.) haud dubie eadem in re: *χρυσέαις δή μοι πτέρυγες περὶ νώτῳ κεῖ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέδιλα ἁρμόζεται· βάσομαι τ' εἰς αἰθέρα πολὺν ἀερθείς.* Et *luscinias* formam Cinesiae poetae adfinxit Aristoph. Avv. 1372. *ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσιν κούφαις.* — Pedestris enuntiatio sententiae erat: ego alte in aerem evolabo. Pro tenui *ego* cum vi est *vates*; quo caussa mutationis declaratur, facultas eius poetica. — *biformis*, respectu prioris *humanae* ac novae *cycni* formae in quam nondum plane abierat. cf. v. 9 sqq. Vel quatenus *vatis* imaginem ac sensum in cycni formam transfundit, animo utrumque simul complectitur. Ridicule alii ad lyrica et satiras, diversa poematum genera, Horatii referunt. — *Penna*, alis, volatu *non usitato*, quo pauci mecum certaturi sint, altissimo. Nisi simpliciter est:

Vrbes relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Maecenas, obibo,
Nec Stygia cohibebor unda.

Iam

Novo plane more ſc. cycni ſpecie, evolabo. — *non tenui*, πυκνῇ πτέρυγι, denſa, valida, quae adeo alte enititur, et ſatis virium habet, ad ſe ſuſtentandum. Omnino ad gloriae magnitudinem ac peremitatem refer, quam ſibi poeta augnratur. — 4. *invidia maior*, excelſior, cuius gloriae invidia nihil amplius detrahere valeat, ἄφθονος, φθόνου κρείττων (quamquam hoc fere de iis, qui invidia non ducuntur, veluti Lucian. Hermot. c. 76. p. 820.) h. l. ſummam facultate poetica laudem, famam adeptus. Callim. ep. XXII. 4. ὁ δ' ἤεισεν κρείσσονα βασκανίης. Ita de ſe IV. 3. 16. *Et iam dente minus mordeor invido.* Simmias Rhod. II. 3. (Anal. Br. I. p. 204.) εἰ δέ τις ἐκ πάντων σοφίης μέγαν ἔσχεν ἔπαινον, οὗτος ἔχει πλεῖστον, καὶ φθόνος οὐχ ἕπεται. Praeclare autem hoc adiectum ſententiae, qua ſe inter homines eſſe deſiturum declarat; ita enim minus arrogantiae habet. Similia ſibi ſpondet Propert. III. 1. 21. *At mihi quod vivo detraxerit invida turba, poſt obitum duplici foenore reddet honos.* et Stat. Theb. XII. extr. *Mox tibi, ſi quis adhuc praetendit nubila livor, occidet, et meriti poſt me referentur honores.*

v. 5. *Ego* etſi *ſanguis*, filius (ut III. 27. 63. Tibull. I. 6. 66. Ovid. Faſt. VI. 488. cf. Schrad. ad Muſ. p. 136.) *paup. parentum*, utpote libertino patre natus, ob humilitatem generis vulgo deſpectus, *non obibo*, ſi ſententiam ſpectes, eſt: ſummam nominis claritatem conſequar, in ore omnium ero, quem nunc libertino patre natum rodunt. Suavis adeo atque ſatis perſpicua oppoſitio: Immortalem ego gloriam, famam adipiſcar, qui nunc vix ullo in honore ſum, quippe paupertate atque humili genere depreſſus, a te tamen, optime Maecenas, aliquo loco habitus, expetitus, qui tamen tui gratia floreo, qui tua me amicitia dignaris, qua facile et paupertatem meam, imperitorumque iudicia fero. Ita fere ſententiam verbis, *quem vocas, dilecte Maecenas*, continuatam exiſtimaverim. Vide Obſſ. — 8. immortalitatis notio novo colore adumbrata, in cuius elocutione non haerendum. Eſt ſimpliciter: Stygem non traiiciam, Tartara non videbo.

Simi-

Iam iam residunt cruribus asperae
Pelles: et album mutor in alitem
Superna: nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.

Iam Daedaleo ocior Icaro
Visam gementis litora Bospori,

Syr-

Similiter in Lucceii epitaph. 19. (Poet. min. III. 209.) *Non ego Tartareas penetrabo tristis ad undas — atris non errabo locis, nec cohibebor aquis.*

v. 9. sqq. In cycnum enim mutatus pervolabo totum terrarum orbem. Animatur haec imago poetica vivida metamorphoseos repraesentatione per partes facta. *Pelles asperae* pellis aspera residit cruribus, docte et copia poetica dictum pro: pellis aspera fit, residit; dum enim crura humana extenuantur, cycni formam exilem induunt, necesse est, ut cutis, quae mollibus ante ac succulentis partibus inducta fuerat, his evanescentibus *subsidat*, ossibus propius admoveatur, quaeque antea pleniore corpore extensa erat, nunc contrahatur, adeoque *aspera* h. rugosa evadat. In ornatu tam perspicuo mirum utique, Intpp. adeo hallucinari potuisse. Nunc pellem cycni vel natura asperam, vel ex emicantibus plumis ita dictam volunt; nunc *residunt* accipiunt de pelle cuti humanae superinducta, contra receptam poetis immutandae formae rationem, qua corpus tantum diffingitur, nulla re extrinsecus illata. — *album alitem*, cycnum. — 11. *Superna*, superiore corporis parte, τὰ ἄνω, ἄνωθεν. Sequentia perspicuitatis caussa τῷ *superna* adiecta. *Plumae leves nascuntur*, emicant, prodeunt e digitis et humeris, h. alatus sio. — *leves* praeclare de pennis olorinis, levore ac candore refulgentibus, *purpureis*, IV. 1. 10.

v. 13. Ad remotissimas terrae oras *ales canorus*, in alitem canorum, cycnum mutatus, penetrabo, eas sub cycni specie adibo. — *ocior*, celerior, quippe *penna haud tenui* instructus, quam volatus fuit *Icari Daedalei*, Daedali filii. Comparaturus suum volatum cum simili conatu in Daedalum et Icarum incidere debuit, e quibus alterum ponit, tanquam poeta; in quo adeo non argutandum.

Syrtesque Gaetulas canorus
Ales Hyperboreosque campos.

Me Colchus, et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus, et ultimi
Noscent Geloni: me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.

Ab-

vid. Obss. — 14. *litora Bosphori*, populos Bosporo Thracio adiacentes. Forte cum dilectu *litora* memorantur a poeta; nam ad ea fere cycni cantum ponunt poetae. Moschus III. 14. Στρυμόνιοι μύρεσθε παρ' ὕδασιν αἰλινα Κύκνοι. Loll. Bass. I. 2. (Anal. Br. II. 160.) μελιθρεῦς κύκνος ἐπ' ἠιόνος. cf. Eurip. Iphig. in Taur. 1104. Ovid. Trist. V. 1. 11. Sed hoc forte argutius. — *gementis*, sonori, rauci, undis isto freto coarctatis et fractis. Cf. II. 13. 14. III. 4. 30. — 15. *Syrtes Gaetulae*, ora Africae Gaetulis habitata, omnino pro Africae regione. — 16. *campos Hyperboreos* extremas versus Septentrionem terras, necdum cognitas. De certo adeo populo vix cogitandum h. l.

v. 17. Observa varietatem et copiam poetae in *visam*, *me noscent*, *discent*: tum antea *terras* posuit, quibus nunc *populos* substituit. *Dacus dissimulans*, celans *metum Marsae cohortis*, Marsorum tanquam fortissimorum militum in exercitu Romano, omnino pro, exercitus Romani. Daci metuunt Romanos, ab iis victi ac in fines suos repulsi; sed dissimulant hunc metum, armis iterum contra Romanos sumtis, in rebellando pervicaces; suaviter. — *Geloni* Scytharum gens, Istri accola. Vid. II. 9. extr. — *ultimi* qui Romanis innotuerant versus Septentrionem, remotissimi. — 19. *Iberi* Hispani ab Ibero fluvio, qui iam Horatii aetate aliquam litterarum Romanarum notitiam e commercio, quod ipsis cum Romanis intercedebat, traxerant; unde *periti*, exculti artibus. — *discet*, audiet meum cantum; nihil amplius. Ita II. 19. 5. Statius, qui hunc locum in animo forte habuit, accepit pro, ediscet. Theb. XII. 814. *Iam te magnanimus dignatur* noscere *Caesar*,

Absint inani funere naeniae,
Luctusque turpes et querimoniae:

Com-

sar, *Itala iam studio* discit, *memoratque iuventus*. — *Rhodani potor*, Galliae populus, sollenni poetarum loquendi usu, quo *fluvium bibere* est, ad eum habitare, v. c. IV. 15. 21. Virg. Aen. VII. 715. et centies alibi.

v. 21. Quocirca, ubi inter homines esse desiero, ne lugeas me, ut mortuum. Iam Ennius apud Cic. Tusc. I. 15. *Nemo me lacrimis decoret, neque funera fletu faxit: Cur? volito vivu' per ora virum.* Ad sententiam facit quoque egregie locus in Phalaridis ep. XCVI. de Stesichoro: τὸν δὲ ἄνδρα μὴ στένετε, μήτ' ὀλοφύρεσθε, κινοῦντες τι τῆς ἐπ' αὐτῷ τύχης. Τέθνηκε μὲν γὰρ τὸ σῶμα τὸ Στησιχόρου, τοὔνομα δὲ παραλαβὼν ὁ ἀνήνυτος αἰὼν, εὐκλεὲς μὲν ἐν βίῳ μακάριον δὲ ἐν μνήμαις ἀναθήσεται. — *Absint naeniae* cesset, ne canatur carmen lugubre ad tibiam in funere *inani*, quandoquidem *funeri*, exequiis, pompae, corpus deest, utpote in cycnum mutatum. — 22. *luctus turpis*, qui vultum deformat; ad fletum enim sollennem, ardente rogo, *luctum* potius retulerim, quam ad vestem lugubrem, squalidam. Ad pompam autem exequialem pertinent etiam *querimoniae* et *clamor*, lamenta et eiulatus in funere instituti. — *Compesce*, reprime, contine; ut Lucret. III. 967. *Aufer abhinc lacrimas — et compesce querelas.* — *Mitte* omitte *honores*, ne impertiaris honores sepulchro. *Honores sepulcri* possunt esse generatim, qui mortuo impenduntur, exequiae, pompa funebris, et quae ad eam pertinent, naenia, fletus caet. ut adeo antecedentia poeta ita complexus videri debeat. *Extremos honores*, hoc sensu dixit Sil. It. VI. 670. *ferale decus* idem X. 535. Ovid. ex Pont. I. 9. 61. *Ille tibi exequias et magni funus honoris fecit.* Ita *lacrimae* sunt γέρας θανόντων Hom. Il. ψ. 9. Aeschyl. Suppl. 126. ἰηλεμοῖσιν ἀμπρετῆ θρεομένη μέλη ζῶσα γόοις μὲ τιμῶ. *lacrimae, qui maior honos* Stat. Silv. III. 3. 213. Ita lacrimis *decorari* se vetat Ennius l. l. Praestat tamen honores sepulcri proprie accipere de tumulo in mortui honorem erecto (Hom. Il. π. 455. Ἔνθα ἑ ταρχύσουσι κασίγνητοί τε ἔται τε τύμβῳ τε στήλῃ τε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Ita τιμᾶν de sepulcri honore adhibuit Hesiod. Sc. Herc. 476.) cupressis ornando, tum de inferiis ad eum quotannis faciendis. — *supervacuos*, qui-

Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

quibus plane locus non est; ut qui mortuus non ero. Alias honores isti ita dicuntur, quod mortuis eorum nullus sensus est. Ita *vanum* hunc *honorem* appellat Virgil. Aen. XI. 52. κενεὰν χάριν Meleag. CIX. 6. (Anal. Br. I. 32.) δαπάνας κενὰς Eurip. in Polyid. fr. VI. p. 470. ed. Lips.

BODLEIAN LIBRARY OXFORD MUSEUM

28,-